

OPERA OMNIA
SANCTI THOMAE AQUINATIS

-----oOo-----

Textum electronicum praeparavit et indexavit
Ricardo M. Rom n, S. R. E. Presbyterus
Bonis Auris, MCMXCVIII

|*IN_ISAIAM

|+P Prologus

|#1 Lectio 1

Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum: quia adhuc visus procul, et apparebit in finem. Habac. 2.

Ex verbis istis tria possunt accipi circa librum Isaiae prophetae, quem prae manibus habemus; scilicet auctor, modus et materia. Circa primum tria ponuntur: scilicet auctor, auctoris minister, et ministri officium, sive donum. Auctor ostenditur in dicentis imperio: unde praemittitur: respondit mihi Dominus, et dixit: scribe visum etc.. Auctor enim Scripturae sacrae spiritus sanctus est. Infra 48: nunc misit me Dominus etc., 2 Petri I 21: non enim voluntate humana etc..

Spiritus enim loquitur mysteria, sicut dicitur 1 Cor. 14. Minister ostenditur in scribentis actu: dicit enim, scribe. Fuit autem lingua prophetae organum spiritus sancti, sicut in Psal. 44.

Dicitur: lingua mea calamus Scribae, velociter scribentis. Et 1 Cor. 3: quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri ejus cui credidistis.

Officium vero ministri ostenditur in visionis privilegio: dicit enim, visum. Qui enim hodie dicitur propheta, olim vocabatur videns, sicut 1 Reg. 9 dicitur. Et numer. 12: si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Sic igitur patet auctor; sed modus ostenditur in hoc quod sequitur, et explana: modus enim istius prophetiae planus est et apertus. Unde, ut dicitur in prologo non videtur vaticinari de futuris, sed magis de praeteritis historiam texere. Et circa hoc tria ponuntur: visionis explanatio, explanationis ratio et utilitas consequens. Primum ostenditur in hoc quod dicit, explana eum. Explanatur autem ab eo visus, sive visio, tribus modis. Primo per similitudinis adaptationem; secundo per sententiae expressionem; tertio per verborum venustatem. Et in his tribus iste propheta alios excellit prophetas.

Ponit enim pulchras et curiales similitudines, quae quidem sunt necessariae nobis, propter connaturalitatem sensus ad rationem: est enim naturale rationi nostrae accipere a sensibilibus: unde perspicacius capit ea quorum similia ad sensum videt.

Unde Dionysius in epistola ad titum secunda demonstrat hoc, scilicet quod necessariae sint sensibiles figurae in Scripturis: quicumque plana cum audierint, in seipsis componunt figuram quamdam ad intellectum theologiae ipsos manucentem.

Et Osee 12: in manibus prophetarum assimilatus sum. Excellit etiam in expressione sententiae, ut videatur non prophetiam, sed evangelium texere, ut dicitur in prologo galeato. Unde dictum est sibi, infra 40: exalta vocem tuam, noli timere, dic civitatibus Iudae etc.. Excellit etiam in verborum venustate sicut vir nobilis et urbanae eloquentiae, ut dicitur in prologo et Prov. 15: lingua sapientium ornat scientiam. Sed huius explanationis tangitur consequenter ratio, cum dicit, super tabulas. Sunt enim tabulae legis, sunt tabulae lapidei cordis et sunt tabulae mollis et carnei cordis. 2 Cor. 3: epistola nostra vos estis... Scripta non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Primae tabulae (scilicet) legis scriptae fuerunt digito Dei, sicut dicitur exo. 31. Et ideo Scriptura profunda et obscura, et plena multis mysteriis. Unde oportuit superscribi illis tabulis digito hominis planam prophetiam, ad explanandum, infra 8: sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis. Sed secundis tabulis, scilicet cordibus lapideis, superscribi oportuit plane ad confutandum. Matth. 15. Bene prophetavit de vobis Isaias dicens: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sed tertiis tabulis, scilicet cordibus carnalibus, oportuit plane superscribi ad instruendum. 2 esdrae 8: signate in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum.

Et sequitur: et intellexerunt cum legeretur. Utilitas autem explanationis ostenditur in hoc quod sequitur, ut percurrat. Percurrere enim est expedite in finem currendo devenire.

Est autem finis triplex; scilicet finis legis, finis praecepti et finis vitae. Finis legis Christus est ad justitiam omni credenti; sicut dicitur ad Rom. 10. Finis praecepti caritas est: 1 ad Tim. I. Finis vitae mors est, Matth. 21: qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.

Dicit ergo: ut percurrat qui legerit; ac si dicat: ut qui legerit, sine impedimento dubitationis percurrat credendo in Christum, credens amet, et in amore perseveret.

Materia tangitur in hoc quod sequitur: quia adhuc visus procul. Et est principaliter materia hujus libri apparitio filii Dei: unde in ecclesia tempore adventus legitur. Est autem triplex apparitio filii Dei. Prima qua apparuit in carne homo factus. Ad titum 3: apparuit benignitas et humanitas salvatoris nostri Dei. Secunda qua apparuit per fidem a mundo creditus. Ad titum 2: apparuit gratia salvatoris nostri Dei erudiens nos.

Tertia qua apparebit per speciem in glorificatione. 1 joan. 3: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. Et istae apparitiones sunt materia istius libri. Unde in prologo dicitur, quod omnis cura ejus est de adventu Christi, et vocatione gentium. Sed certe iste qui postea sic visus est, adhuc suis temporibus procul erat. Siquidem procul, quia excelsum in majestatis aequalitate. Job 36. Unusquisque intuetur procul.

Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.

Erat etiam procul, quia absconditus in praefinitione patris. Eph. 3: quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo. Erat etiam procul, quia dilatatum in expectatione patrum. Hebr. 11.

Juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes.

Sed certe modo quod erat longe, factum est prope, quia excelsum factum est infimum.

Verbum enim caro factum est: joan. 1. Quod erat absconditum, factum est publicum, quia unigenitus qui est in sinu patris, ipse enarravit: (ibidem) quod erat dilatatum, incepit esse jam a sanctis possessum in gloria. Matth. 25: venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Sic igitur poterat dicere: adhuc visus procul apparebit in finem. Fuit enim prima apparitio in fine legis: quia ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege: ad Galat. 4. Secunda autem fuit in fine idolatriae. Infra 19: ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et movebuntur simulacra Aegypti a facie ejus. Sed tertia erit in fine omnis miseriae, quam absterget Deus ab oculis sanctorum, et non erit amplius neque luctus, neque labor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt: Apoc. 21. Et haec sunt ultima de quibus Eccli. 48, dicitur de Isaia: spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes sion usque in sempiternum: et ostendit futura et abscondita antequam evenirent.

#2 Lectio 2

Huic autem operi praemittit Hieronymus prologum, in quo tria facit. Primo ostendit modum dicendi; secundo modum prophetandi, ibi, deinde etiam hoc adjiciendum; tertio modum tractandi, ibi, prophetavit autem. Modum dicendi ostendit circa ornatum prolocutionis ex duobus. Primo ex ordine verborum; secundo ex elegantia verborum, ibi, ac primum de Isaia. Circa primum tria facit. Primo removet ordinem a quibusdam aestimatum, scilicet metricum; secundo demonstrat ordinem a propheta servatum, ibi, sed quod in demosthene; tertio ostendit eundem modum se esse in sua translatione imitatum, ibi, nos quoque.

Versibus, idest brevibus clausulis, descriptos, idest distinctos, metro ligari. Metrum Graece, mensura dicitur: unde illud dicitur metrica describi ubi servatur certa mensura pedum, syllabarum, et temporum; a qua lege prophetae soluti sunt. Et aliquid habere de Psalmis, idest eis simile, vel operibus Salomonis, quantum ad finem proverbiorum, et in canticis canticorum; in demosthene, Graeco, tullio, Latino oratoribus, qui prosa scripserunt per cola et comata. Tres sunt distinctiones in Scripturis: coma, colus et periodus, ad similitudinem corporis humani, in quo sunt distinctiones quaedam in partibus unius membri; sicut sunt articuli, et distincta membra, sicut manus et pedes et iterum totum corpus. Primae distinctioni respondet distinctio quae sit per comata, quia coma, idem est quod incisio vel divisio; secundae respondet illa quae est per cola, quia colon interpretatur membrum; sed toti respondet periodus: periodus enim dicitur circulatio a peri, quod est circum, et odos, quod est via. Sola autem linea circuli completa est, sicut probat Philosophus. Sumuntur autem istae distinctiones in Scripturis tripliciter. Primo, secundum Isidorum, in versibus, coma est quando post duos pedes sequitur una syllaba, quae est pars alterius pedis, quia tunc deciditur pes unus, sicut ibi: gloria, laus, et honor.

Cola autem quando accipiuntur duo pedes sine syllaba sequente, ut carmina dulcia. Sed periodus, quando tota sententia metrica tradita completur.

Secundo modo, in prosa, secundum Isidorum et tullium, coma est, quando imperfectae orationes pausatim proferuntur, ut infra 1: vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, filiis sceleratis; et dicitur subdistinctio. Cola, quando perfectae orationes cum pausa proferuntur, quamvis perfecta non sit sententia, et dicitur distinctio, ut illud eodem: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, alienati sunt retrorsum. Periodus, quando ex pluribus orationibus constat perfecta sententia.

Tertio modo sumitur coma a Rabano pro capitulo uno, super illud jer. 48: audivimus superbiam Moab; ubi dicit: in superiori (commate) provocavit ad poenitentiam; idest in superiori capitulo. Sed secundo modo accipitur hic. Novam, a nobis primo editam de Hebraeo in Latinum, novo genere, servato modo qui apud Hebraeos est, per cola et comata, qui in aliis translationibus non servabatur. Ac primum de Isaia. Hic ostendit modum dicendi quantum ad elegantiam verborum; et circa hoc tria facit. Primo ponit modum; secundo assignat rationem ex

conditione dicentis, ibi, quippe ut vir nobilis, tertio concludit excusationem defectus in sua translatione a tali modo, ibi, unde accidit etc.. Disertus, idest eruditus in eloquentia appareat, nobilis, genere, quia fuit avus maternus vel affinis Manasse regi Juda, sicut dicitur in historia.

Unde accidit. Quae pulchre dicuntur in una lingua, non sonant pulchre translata in aliam; et ideo quanto ipse prae ceteris prophetis pulchriori eloquio usus est, tanto magis translatio a pulchritudine ipsius deficit. Florem, idest dulcedinem et ornatum. Deinde etiam hoc adjiciendum. Hic ostendit modum prophetandi apertum et expressum: et circa hoc tria facit. Primo ostendit modum prophetandi qui dictus est; secundo ex modo concludit rationem defectus in antiqua translatione septuaginta, ibi, unde conjicio: tertio excludit contradictionem aemulorum, ibi, nec ignoro etc.. Non propheta, quasi veritatem sub aenigmate obscurans, mysteria; idest secreta, a mystim, quod est secretum, ut incarnationem: infra 10: filius datus est nobis; passionem: infra 53. Tamquam ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se obmutescet: et multa alia. Ad liquidum, expresse.

Putes, putare possis propter expressionem facti, non quantum ad modum qui magis exprimi potest de praeteritis quam de futuris: unde in hoc superat evangelista prophetam. Conjicio, sub quadam conjecturatione existimo, ethnicis idest gentilibus, ab ethnon, quod est gens. Margaritas. Matth. 7: inventa una pretiosa margarita.

Abscondita, occultata. Unde tria facit. Primo ponit defectum; secundo rationem defectus, ibi, ne sanctum; tertio probat per suam editionem, ibi, quae cum hanc. Abscondita, idest sacramenta.

Nec ignoro. Hic refellit contradicentium falsum iudicium, et circa hoc tria facit. Primo ostendit per causam falsum esse eorum iudicium; secundo convincit eos per exemplum, ibi, et nihilominus; tertio ostendit eis ordinem rectum, ibi, legant.

Circa primum tria facit. Primo ostendit causam falsi iudicii ex parte intellectus, ignorantiam; secundo ex parte affectus, invidiam, ibi, nos quoque; tertio concludit suam inter contradictiones constantiam, ibi, sciens ergo quanti laboris.

Psal. 17: tenebrosa aqua in nubibus aeris.

Contra. Supra dixit, ad liquidum, idest expresse, hunc dicere Christi mysteria.

Respondeo. Verum est quantum ad quaedam principaliora.

Morsibus, idest detractionibus. In flammam mitto manum, idest expono me periculo. Et alludit proverbio vulgari, quod habet ortum ex hoc quod scaevola manum qua cillium interfecit, credens sillam interficere, misit in ignem, dicens: pereat manus quae hoc scelus operata est. Ob studium, idest exercitium scientiae.

Prophetavit. Hic ponit modum tractandi: et circa hoc tria facit. Primo tangit tractatus ordinem, quantum ad tempus et materiam et modum simul; secundo tangit intentionem, ibi, cum interdum; tertio ex intentione concludit orationis petitionem, ibi, quem quanto.

|+1 Capitulus 1

#1 Lectio 1

Visio Isaiae filii Amos.

Iste liber dividitur in duas partes, in prooemium et tractatum qui incipit, ibi, audite caeli. Prooemium inducitur quasi titulus, ad manifestationem sequentis operis.

Manifestatur autem ex quatuor. Primo ex operis genere; secundo ex auctore, ibi, Isaiae; tertio ex materia, ibi, quam vidit: quarto ex tempore, ibi, in diebus. Genus operis ostenditur in hoc quod dicit, visio; in quo differt a libris historialibus, quia prophetia est.

Oseae 12: ego visiones multiplicavi. Et sequitur: in manibus prophetarum assimilatus sum hic oportet tria videre. Primo qualiter se habeat visio ad prophetiam; secundo de modis prophetalium visionum; tertio de differentia propheticae visionis ad alias visiones. Circa primum sciendum est, quod prophetia potest habere duplicem interpretationem, secundum quod potest venire a phanos, quod est apparitio, vel a for faris. Secundum primam derivationem dicitur propheta habens apparitionem de his quae procul sunt; et secundum hoc prophetia differt a visione in modo; quia apparitio dicit relationem visibilis ad videntem, sed visio e contrario. Iterum se habent ex additione: quia visio est de quibuscumque, sed prophetia de his quae procul sunt. Dicuntur autem aliqua esse procul a cognitione nostra dupliciter: simpliciter, et secundum quid. Simpliciter procul sunt futura contingentia ad utrumlibet, quorum non potest accipi determinata cognitio neque in se neque in suis causis; et de his prophetia proprie est. Secundum quid procul sunt quorum cognitio diffugit cognoscentem, sicut quaedam praeterita et quaedam praesentia: et de his non est prophetia simpliciter, sed quo ad nescientes. Sed secundum secundam derivationem dicitur propheta quasi procul fans. Et sic prophetia addit supra visionem actum exterioris denuntiationis, et visio erit materialis respectu prophetiae. Circa secundum sciendum est, quod modi prophetalium visionum distinguuntur secundum ea in quibus accipitur praescientia futuri contingentis. Illud autem est aut species facta in sensu, et dicitur visio corporalis, quia sensus accipit species praesentibus corporibus quorum sunt: aut est species recepta in imaginatione, et dicitur visio spiritualis, quia primo manifestatur in ipsa actus et proprietate spiritualitatis, quae est cognoscere rem abstractam a materia; aut est species existens tantum in intellectu, et dicitur visio intellectualis.

Et est sciendum, quod prophetia salvatur in istis tribus sicut totum potentiale in suis partibus, cujus natura est quod secundum perfectam suam virtutem est in uno, et in aliis quaedam participatio et quidam modus illius; sicut est in anima, quod ejus tota virtus salvatur perfecte in anima rationali; et sensibilis non habet perfectam animae virtutem, et adhuc minus anima vegetabilis. Propter quod dicit Gregorius, quod plantae non vivunt per animam, sed per virorem. Similiter etiam et corporalis visio et spiritualis vel imaginaria est aliquid prophetiae; sed non possunt dici verae prophetiae, nisi addatur visio intellectualis, in qua est completa ratio prophetiae. Dan. 10: intelligentia enim opus est in visione: unde antecedit: intellexitque sermonem, scilicet Daniel. Visio autem primo et proprie dicitur de visione corporali. Et quia omnis nostra cognitio est a sensibus, inter quos visus potior est et subtilitate et universalitate, quia plures rerum differentias nobis ostendit; ideo transfertur nomen visionis ad alias interiores cognitiones. Circa tertium sciendum, quod non quaelibet visio intellectualis est visio prophetalis: est enim quaedam visio ad quam sufficit lumen naturale intellectus, sicut est contemplatio invisibilium per principia rationis: et in hac contemplatione ponebant Philosophi summam felicitatem hominis.

Est iterum quaedam contemplatio ad quam elevatur homo per lumen fidei sufficienter, sicut sanctorum in via. Est etiam quaedam beatorum in patria ad quam elevatur intellectus per lumen gloriae, videns Deum per essentiam, inquantum est objectum beatitudinis; et hoc plene et perfecte non est nisi in patria: sed quandoque ad ipsam raptim aliquis elevatur etiam existens in hac mortali vita, sicut fuit in raptu Pauli. 2 Cor. 12: scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore etc., ubi dicit Glossa, quod vidit sicut illi qui sunt de tertia hierarchia. Nulla autem istarum est visio prophetalis, quia ad ipsam nec lumen naturale neque lumen fidei sufficit; sed elevatur ad ipsam intellectus prophetae per lumen gratiae gratis datae, quod est donum prophetiae: nondum tamen attingit ad videndum Deum prout est objectum beatitudinis, sed prout est ratio eorum quae pertinent ad dispositionem hominum in mundo.

Similiter non omnis visio corporalis, vel imaginaria dicitur prophetica, sed illa tantum quae fit per speciem specialiter divina virtute ad hoc ordinatam, ut sit in signum alicujus futuri, sive videns sive alius intelligentiam accipiat. Auctor tangitur in hoc quod dicit, Esaiae filii Amos. Et quamvis iste Amos fuerit propheta, qui ponitur in titulo prophetiae, secundum regulam Hebraeorum; non tamen est ille qui est de numero XII prophetarum; quia aliis litteris apud Hebraeos uterque scribitur.

Materia tangitur in hoc quod dicit, quam vidit super Judam et jerusalem, quia de his quae pertinent ad Judam et jerusalem, ut ly super accipitur pro de secundum translationem symmachi, vel pro, contra, secundum septuaginta: ut Juda sumatur pro terra duarum tribuum, et jerusalem pro metropoli illius regionis. Vel Juda pro sorte Judae, et jerusalem pro sorte beniamin, quia in sorte illius erat quantum ad corpus civitatis, quod erat in declivi; quamvis quantum ad verticem montis, in quo erat turris David et templum, pertineret ad domum Dei, sicut potest ios. 15 haberi. In diebus. Hic notificatur opus ex tempore; et ponuntur quatuor reges, quorum tempore Isaias prophetiam hanc edidit: unde quidam dividunt hunc librum secundum tempora regum sub quibus revelationem accepit. Ut in prima parte ponantur ea quae visa sunt tempore Oziae; in secunda ea quae visa sunt tempore joathan, scilicet in 6 cap.: in anno quo mortuus est; in tertia ea quae visa sunt tempore Achaz a 7 cap. Usque ad finem 14 ubi dicitur: in anno quo mortuus est rex Achaz; et inde usque ad finem ea quae visa sunt tempore ezechiae.

Sed quaeritur quare non facit mentionem de regibus Israel, sicut Osee in suo titulo facit mentionem de jeroam filio joas, cum fuerint contemporanei.

Ad quod dicendum, quod iste prophetavit contra duas tribus principaliter; et ideo eorum reges tantum in titulo habet; sed ille contra utrosque.

Item quaeritur quare non fit mentio de Manasse rege Juda: sub quo etiam propheta vixit, cum constet eum non amisisse spiritum prophetiae.

Ad quod dicendum, quod omnia quae in hoc libro scripta sunt, temporibus prophetarum vidit. Sed non erat decens ut prophetia quae principaliter consolationis est, in comminatione terminaretur; aut quod tempore mali regis, qui iram Dei provocabat, Dei consolatio praedicaretur. Jer. 15: dabo eos in furorem universis regnis terrae.

#2 Lectio 2

Audite caeli et auribus percipite terra.

Hic incipit tractatus istius libri: unde accipitur divisio secundum exigentiam materiae. Dictum est autem, quod principaliter intentio ejus est circa adventum Christi, et gentium vocationem.

Constat autem quod universae viae Domini misericordia et veritas; ut dicitur in psalm. 24. Unde Christo nato dictum est a simeone, Luc. 2: ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel. Et intrantibus gentibus dictum est ab apostolo. Rom. 11: caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret. Dividitur ergo liber iste in duas partes. In prima ponitur comminatio divinae justitiae ad excidium peccatorum; in secunda consolatio divinae misericordiae ad resurrectionem justorum, cap. 40, ibi, consolamini. Prima in tres.

Cum enim principaliter super Judam et jerusalem loquatur; in prima parte comminatur duabus tribubus peccantibus; in secunda aliis eas persequentibus. 7 cap., et factum est.

In tertia liberat ab hostibus imminentibus. 32 cap.

Ecce in justitia. Prima dividitur in duas. In prima exprobrat culpam, et comminatur poenam corrigentem; in secunda comminatur poenam incorrigibiles condemnantem. 6 cap.: in anno quo mortuus est rex Ozias. Prima dividitur in duas. In prima arguit de culpa ex parte aversionis, in secunda ex parte conversionis. 2 cap., ibi, verbum quod vidit. Prima in duas. In prima arguit in eis peccatum aversionis a cultu Dei; in secunda a justitia proximi, ibi, quomodo facta est prima in tres. In prima increpat culpam; in secunda pro culpa comminatur poenam, ibi, terra vestra deserta.

In tertia quaerit poenae medelam, ibi, audite verbum Domini.

Prima in tres. In prima quaerit iudicii testem: in secunda arguit peccati deformitatem, ibi, filios enutrivi; in tertia ostendit peccantium incorrigibilitatem, ibi, super quo percutiam vos.

Requirat autem creaturam in testem in iudicium peccati, quae etiam fuerat testis in obligationem praecepti.

Deut. 32. Audite caeli quae loquor fuerat enim creatura testis obligationis ad praeceptum.

Deuteron. 32. Nunc invocatur ut arbiter transgressionis. Psalm. 49: advocavit caelum desursum. Sed quandoque vocabitur ut instrumentum divinae ultionis. Sapient. 16: creatura creatori suo deserviens, excandescet in tormentum adversus injustos.

Sed videtur inconueniens quod terra et caelum, quae sunt insensibiles creaturae, vocentur ad audiendum.

Sed dicendum, quod ad ea quae sunt rationalis naturae, vocatur insensibilis creatura ad ostendendam divinam potentiam.

Job 38: conclusi eum terminis meis. Et Rom. 4: vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt. Et per facti evidentiam. 2 Reg. 12: ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis. Et Luc. 19. Lapidibus clamabunt si hi tacuerint, dico vobis; ad exaggerandam malitiam. Jer. 2. Obstupescite caeli super haec, et portae ejus desolamini vehementer. Ad magnificandam laetitiam. Ps. 95. Laetentur caeli, et exultet terra. Ad stupendam tristitiam. Oseae, 4. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea. Ac si diceret: peccatum vestrum est adeo patens quod ab irrationabilibus, si fieri posset, convinceretur; et similiter de aliis. Vel est ibi metonymia, ut ponatur caelum pro Angelis, et terra pro hominibus. Caeli, plurale pro singulari. Vel quia ad litteram sunt plures caeli et unum centrum quod est terra. Dominus locutus est. Ipsum loquentem audiatis, quo loquente facta estis. Psal. 148: dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt. Audite caeli, quasi distantes; percipe terra, quasi propinqua.

Filios enutrivi. Hic ostendit peccati deformitatem: et circa hoc tria facit. Primo ostendit contemptum in affectu; secundo ignorantiam in intellectu, ibi, cognovit bos; tertio aversionem in operis effectu, ibi, vae genti peccatrici etc.. Et servatur hic ordo, ut ex contemptu aggravetur ignorantia, ne ignorantia excuset contemptum. Contemptum aggravat per beneficium impensum: unde circa primum duo facit.

Primo commemorat beneficium; secundo ingratitude vitium, ibi ipsi autem.

Ponit autem triplex beneficium. Primum est filialis adoptionis, cum dicit, filios. Exod. 4.

Filius primogenitus meus Israel. Secundum sollicitae educationis, ibi, enutrivi. Sap. 16: Angelorum esca nutriti populum tuum. Tertium singularis exaltationis, ibi, et exaltavi. Sap. 11: ostendens per sitim quae tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, et adversarios illorum necares. Primum quantum ad patrum assumptionem et exaltationem; secundum in filiorum liberatione; tertium in hostium subjugatione.

Spreverunt me. (hic ponit ingratitude vitium)p Jer. 3: quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel. Ignorantiam autem aggravat per brutorum exemplum: unde circa hoc duo facit.

Primo inducit cognitionem brutorum; secundo ignorantiam peccatorum, ibi, Israel autem cognovit bos, quadam consuetudine beneficii.

Israel autem. Arguit in eis duplicem ignorantiam; scilicet praecipientis, cum dicit, non cognovit me, contra id quod dixerat, possessorem suum; et contra rationem nominis; Israel: videns Deum, interpretatur. Joan. 16: non noverunt patrem, neque me. Ignorantiam legis: non intellexit; contra id quod dixerat, praesepe, et quod dixerat, populus, qui legislatoris praeceptis subjicitur. Oseae 8: Scribam eis multiplices leges meas, quae velut alienae computatae sunt. Effectum autem operis aggravat per confirmatum usum: unde primo ostendit confirmationem; secundo eorum aversionem, dereliquerunt. Confirmationem ostendit primo per peccati consuetudinem, quae inducit habitum: unde dicit, genti peccatrici.

Sic enim est peccator ex habitu sicut cantor ex arte, vel officio, infra 48: transgressorem ex ventre vocavi te. Secundo per peccati promptitudinem, quae est quasi quaedam gravitas in peccante; (unde dicit: populo gravi iniquitate)p Gregorius: peccatum quod per poenitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit.

Psal. 13: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Tertio ex peccati successione: quia peccata patrum imitantes, quasi ex propagatione habent: unde dicit, semini nequam, idest pessimorum, secundum aliam translationem. Ps. 105: peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Quarto quantum ad peccatorum magnitudinem, cum dicit, filiis sceleratis.

Ezech. 22: viri detractores fuerunt in te, ad effundendum sanguinem,... Scelus operati sunt in medio tui. Infra 57: numquid non vos filii scelesti, semen mendax? super quo addentes. Hic ostendit peccati incorrigibilitatem, removens triplicem correctionis modum. Primo illum qui est per divinum flagellum, dicens, super quo, idest ad quid, addentes, ut scilicet unde correptio inde addatis peccata? Jer. 2: frustra percussi filios vestros: disciplinam non receperunt. Secundo illum qui est per proximi consilium vel auxilium, cum dicit, omne caput languidum:

quia nullus est idoneus ad succurrendum alteri propter propriam infirmitatem. Et hoc ostendit quantum ad personam regis vel principis, dicens: omne caput languidum. 1 Reg. 15. Nonne cum parvulus esses in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es? quantum ad personam sacerdotis, omne cor moerens: cor enim primo recipit vitam ab anima et transfundit in corpus, quasi medium inter animam et corpus; ita sacerdos est medius inter Deum et populum. Exod. 4; tu eris ei in his quae ad Deum pertinent. Quantum ad personam privati hominis, cum dicit: a planta pedis, infra 56: omnes in viam suam declinaverunt.

Et notandum, quod inidoneitas regis ostenditur in languore, quia subvenire poterat puniendo per potentiam. Eccli. 7; noli quaerere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitatem.

Sacerdotis ostenditur in moerore, per quem fit inidoneus ad sacrificia, quibus expiabat peccata. Lev. 10: quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in caeremoniis mente lugubri? Psal. 99: introite in conspectu ejus in exultatione. Sed privatus poterat corrigere per exemplum; et ideo ostenditur inidoneus per peccatum, quod designatur in privatione sanitatis: Psal. 13: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; scilicet ad corrigendum. Tertio, ibi, vulnus et livor, removet modum qui est per humanum studium, sicut quando aliquis disponitur ad gratiam, quae delet peccata, per bona opera. Unde dicit: vulnus, culpa patens, et livor, invidia latens, et plaga tumens, superbia inflans, non est circumligata, vinculo legis retrahentis. Jer. 2: a saeculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, dixisti, non serviam, quantum ad primum: nec curata medicamine, caritate sanante, quantum ad secundum: Prov. 10: universa delicta operit caritas: neque fota oleo, humilitate leniente, (quantum ad tertium), Judith. 9: humilium et mansuetorum tibi semper placuit deprecatio. Eccl. 3: quanto major es, tanto magis humilia te in omnibus.

Prov. 15: responsio mollis frangit iram. Jud. 9: numquid possum deserere pinguedinem meam, qua dii utuntur et homines? terra vestra. Hic comminatur poenam: et primo ponit punientis iudicium; secundo consolationis quaecumque solatium, ibi, nisi Dominus.

Poenam ponit triplicem. Primo quantum ad destructionem possessionum; unde dicit, terra vestra deserta, quantum ad campestria, quae ita inculta erunt sicut desertum. Infra 7: vepres enim et spinae erunt in universa terra. Civitates vestrae succensae, quantum ad urbana. Amos 2: mittam ignem in Juda, et devorabit aedes jerusalem. Jer. 4: aspexi, et ecce carmelus desertus, et omnes urbes ejus destructae a facie Domini, a facie furoris ejus. Secunda poena est quantum ad destructionem terrae nascentium: unde dicit: regionem devorant, quantum ad fructus. Deut. 28: devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges terrae tuae, donec intereas. Desolabitur, quantum ad destructionem arborum et vinearum. Jer. 4: vae nobis, quoniam vastati sumus. Tertio quantum ad captivitatem hominum: unde dicit: derelinquetur filia sion, idest jerusalem, vel templum, unde erat custodia totius provinciae, ut solitaria, et ut umbraculum in vinea, post vindemiam. Infra 5: vinea enim Domini, domus Israel est, et vir Juda germen delectabile ejus. Sicut turgurium in cucumerario, post fructus ultimos collectos, per quos significat patres. Osee 9: quasi prima poma ficulneae, in cacumine vidi patres eorum.

Sicut civitas quae vastatur, quia metropolis erat.

Ezech. 33: vastata est civitas, ait ille qui venerat de jerusalem. Jer. 6: haec est civitas visitationis: omnis calumnia in medio ejus.

Nisi Dominus exercituum.

Hic ponitur consolatio ex promissione liberandi seminis. Reliquit autem Dominus eis semen carnis congregatum. Infra 43: ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te. Semen benedictionis promissum. Gal. 3: Abrahae dictae sunt promissiones, et semini ejus. Semen praedicationis diffusum. Infra 27: qui egredietur impetu a Jacob, et florebit et germinabit Israel: et implebunt faciem orbis semine. Semen sanctorum novum.

Infra 66: sicut caeli novi et terra nova, quae ego facio stare coram me, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum, dicit Dominus.

Filios enutrivit etc.. Hic notantur tria: nutritionis beneficium, exaltationis privilegium, ingratitude contemptum. Nutrivit quidem tempore legis, quando adhuc heres parvulus erat, Gal. 4, primo reficiens promissis in patribus. Gal. 3: Abrahae dictae sunt promissiones. Secundo gubernans judiciis in legislatoribus psalm. 147: non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. Tertio defendens auxiliis in iudicibus et regibus, Judith 5: Deus eorum defendit eos, et erimus in opprobrium universae terrae.

Quarto erudit in prophetis. Malach. 2: et testificatus est Dominus inter te et uxorem pubertatis tuae. Quinto correxit flagellis in hostibus, 2 Mach. 6: etenim non multo tempore sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.

Sed exaltavit tempore gratiae primo secundum carnis assumptionem. Hebr. 2: nusquam Angelos apprehendit; sed semen Abrahae apprehendit.

Secundo per personalem praedicationem.

Matth. 10: non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel. Tertio per suam conversationem. Joan. 10: multa bona opera operatus sum in vobis: propter quod opus etc.; quarto per miraculorum operationem.

Joan. 5, et Luc. 7: quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam. Quinto per discipulorum praedicationem.

Psal. 44: pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.

Sed e contrario illi Christi genus vituperant, Luc. 4: nonne hic est filius josph? doctrinam improbant. Matth. 26 et Luc. 23: a Galilaea usque huc, hunc invenimus subvertentem gentem nostram. Vitam blasphemant. Matth. 9: quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester? miracula pervertunt. Matth. 12: in principe Daemoniorum eicit Daemonia. Discipulos occidunt. Matth. 10: ecce mitto vos sicut oves in medio luporum.

#3 Lectio 3

Audite verbum Domini.

Hic ponitur medicina contra poenam; et primo convocat ad audiendum; secundo removet inutile remedium, ibi, quo mihi? tertio adhibetur salubre consilium, ibi, lavamini, mundi estote.

Convocat autem ad audiendum primo majores; dicens: audite verbum Domini, principes; secundo minores, ibi, populus Gomorrhae, Matth. 10: amen dico vobis etc..

Sed quare invitat majores ad audiendum minores ad percipiendum? quia ea quae sunt a majoribus audita, facile percipiunt minores.

Item cum relinquit eis semen, quare comparat eos illis? et dicendum, quod quantum ad incorrigibiles comparat propter duo. Propter peccati similitudinem: infra 2: et pueris alienis adhaeserunt; et propter publicationem: infra 3: peccatum suum quasi sodoma praedicaverunt, nec absconderunt. Et cum fuerint quinque praecipue comparat istis, quia sunt praecipuae inter alias. Et propter hoc etiam principes comparat sodomis, quia civitas illa metropolis erat, sicut patet genes. 14. Principum autem est audire a Domino verbum suum et populo legem imponere; et ideo invitat illos ad audientiam verbi, et populum ad perceptionem legis. Quo mihi? hic ostendit inutilitatem remedii quod apponebant: et primo quantum ad sacrificiorum oblationes; secundo quantum ad festorum celebrationes, ibi, Neomeniam et sabbatum; tertio quantum ad divinas orationes, ibi, et cum extenderitis manus. Circa primum duo facit. Primo reprobat oblationem de animatis; secundo de inanimatis, ibi, incensum abominatio. In sacrificiis autem animalium erat aliquid quod totum cedebat in cultum Dei; sicut holocaustum, quasi totum incensum, ab olon, quod est totum, et cauma, quod est incendium. Lev. 1; adeps qui totus adolebatur levitic. 3, et sanguis qui totus effundebatur, levitic. 17, quaedam autem erant quae partim cedebant in cultum Dei, partim in usum ministri: sicut hostia pro peccato; nisi quando erat pro peccato sacerdotis vel multitudinis, levitic. 4.

Quaedam autem erant de quibus cedebat aliquid in cultum Dei, et aliquid in usum ministri, et aliquid cedebat ipsi offerenti, sicut in hostiis pacificis, quae pro gratiarum actione offerebantur, vel pro salute, levitic. 4. Et secundum haec tria dividitur in tres partes. Primo reprobat sacrificia in tria distributa, scilicet pacifica. Et primo ponit reprobationem, dicens, quo mihi, idest ad quod mihi offertis, multitudinem victimarum vestrarum, quasi non mearum? et dicuntur victimae, vel quia animal vinctum ad sacerdotem ducebatur, vel quia pro victoria habita vel habenda offerebatur. Deinde reprobationis rationem ponit dicens, plenus sum: vel propter fastidium, quia non bona: genes. 4: ad cain autem et ad munera ejus non respexit: vel propter dominium: psalm. 49: meae sunt omnes ferae sylvarum, jumenta in montibus et boves. Secundo reprobat ea quae ex toto erant Deo oblata. Et primo ponit reprobationem illorum trium; et ponit tantum tria animalia, quia de his fiebant tantum sacrificia quae erant de armentis: fiebant etiam quaedam de avibus turturum et pullis columbae: sed hoc erat propter defectum paupertatis, sicut patet levitic. 1 et 4 et pluribus aliis locis.

Et iterum non erat usus eorum universalis in omnibus, quia non offerebatur ex his hostia pacifica.

Deinde ponit reprobationis rationem, ibi, cum veneritis, quasi dicat: plus offenditis me ambulantes in atriis meis polluentes ea, quam holocaustum placeat: unde non accepto hanc communionem. Psalm. 39: holocaustum et pro peccato non postulasti.

Jerem. 7: non sum locutus cum patribus vestris, et non praecepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocaustorum et victimarum; sed hoc praecepi eis, audire vocem meam; et ero vobis Deus, et vos mihi populus.

Tertio reprobat ea quae erant Deo et sacerdoti debita, dicens: ne offeratis ultra. Jerem. 11: numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? et Mich. 6: quid dignum offeram Domino?... Numquid offeram ei holocaustum et vitulos anniculos? numquid placari potest in millibus arietum, aut in millibus hircorum pinguium? incensum. Hic reprobat oblationes de rebus inanimatis, pro quibus omnibus ponit incensum, eo quod hoc erat inter alia dignius, sicut thymiana, de quo Exod. 30, et communiis, quantum ad thus, quod ponebatur et adungebatur cuilibet tali oblationi, et totum Deo incendebatur.

Infra 66: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.

Sed objicitur de hoc quod dicit Glossa quod Deus nunquam sacrificia eorum amavit, cum praeceperit ea ad hoc quod fierent. Genes. 8: odoratusque est Dominus odorem suavitatis; et ait ad eum: nequaquam ultra maledicam terrae propter hominem.

Et dicendum: quod in quolibet sacrificio est aliquid considerandum ex parte offerentis, et aliquid ex parte rei oblatae. Ex parte rei oblatae, sacrificia nostra placent Deo per se, non autem antiquorum sacrificia; et hoc est quia placitum sive amatum dicitur per se quod in se ipso habet unde ametur, sicut bonum honestum; quod autem amatur tantum per relationem illius tantum ad alterum, non dicitur per se amatum, sicut dicitur secari vel uri amatum, secundum quod est ad finem sanitatis relatum. Nostra autem sacrificia in seipsis continent gratiam

sanctificationis, secundum quam sunt Deo accepta; sed illa antiquorum sacramenta vel sacrificia erant tantum signa istorum; et ideo non erant per se amata. Ex parte autem offerentis, et nostra et illorum possunt esse accepta ex devotione offerentis. Potest ergo quadruplex tempus distingui.

Primum ante legem scriptam et idolatriam; et tunc placebant antiqua sacrificia facta a sanctis patribus et propter devotionem offerentis et propter significationem rei oblatae. Secundum tempus est sub lege scripta; et tunc interveniente idolatria, additum fuit quiddam propter quod simpliciter displicebant, quia non erat dignum quod eodem placaretur Deus et coleretur diabolus: et ex alia parte fuit addita una utilitas ex parte offerentis, ut esset remedium contra idolatriam populo ad hoc prono. Unde etiam de sacrificiis nihil praeceptum est ante fabricationem idoli. Et sic intelligitur auctoritas jeremiae inducta.

Tertium tempus fuit sub prophetis, in quo propter peccata populi jam non placebant ex parte offerentis, sed tantum in quantum erant signum.

Unde secundum hoc non placabant Deum, sed magis offendebant. Quartum tempus est sub gratia, quando jam usus eorum ex toto abolutus est, quia veniente veritate cessavit figura.

#4 Lectio 4

Neomeniam et sabbatum.

Hic removet solemnitatum celebrationes.

Et primo, quantum ad futurum, ponit prohibitionis propositum dicens, Neomeniam. Psal. 80: buccinate in Neomenia tuba, in signum diei solemnitatis vestrae. Sabbatum. Exod. 20: festivitates alias. Levit. 23: hae sunt feriae Domini, quas vocabitis celeberrimas et sanctissimas.

Iniqui sunt coetus vestri. Infra 58: ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Secundo ibi kalendas vestras quantum ad praesens ponit odium dicens: kalendas, quod supra Neomeniam. Unde in alio Psalterio: canite in initio mensis tubam, Thren. 2: oblivioni tradidit Dominus in sion festivitatem et sabbatum, et in opprobrium et in indignationem furoris sui regem et sacerdotem.

Tertio, quantum ad praeteritum, ponit taedium, dicens: facta sunt mihi molesta: et ponit duo: gravitatem ponderis: facta sunt molesta, Psal. 37: sicut onus grave gravatae sunt super me: secundo laborem portantis: laboravi sustinens. Is. 43: praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Et loquitur more humano de Deo: quia homini dicitur esse grave laborare in eo quod non placet sibi. Et cum extenderitis.

Reprobat orationes ipsorum: et primo ponit reprobationem; secundo reprobationis rationem, ibi, manus enim vestrae. Circa primum duo facit. Primo reprobat quantum ad signum devotionis, ibi, et cum extenderitis. Thren. 3. Levemus corda nostra cum manibus ad caelum ad Deum. Et infra 65: tota die expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur via non bona.

Secundo prolixitatem orationis, (ibi: et cum multiplicaveritis), Prov. 28: qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

Manus enim vestrae sanguine plenae sunt, quem fudistis. Psalm. 13: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Prover. 1: prohibe pedem tuum a semitis eorum: pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem. Lavamini. Hic ponit salubre consilium; et circa hoc tria facit. Primo ponit efficax remedium; secundo remedii effectum, ibi, venite; tertio poenam contra contemptum, ibi, quod si nolueritis.

Remedium consistit in duobus: in fuga mali et sequela boni, ibi, discite. Malum fugatur dupliciter. Per purgationem praeteriti; et quantum ad hoc dicit, lavamini, jer. 4: lava a malitia cor tuum, jerusalem, ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae? secundo per cautelam futuri: et hoc fit tripliciter. Ut corde mala non cogitet: mundi estote. Proverb. 22: qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum regem. Ut cogitata opere non impleat.

Micheae 2: vae qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud. Auferte malum, scilicet opus. Ut incepta non perficiat: quiescite agere perverse. Jerem. 2: prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti. Cursor levis explicans vias suas, in eodem 2. Discite bene facere. Hic ponit remedium quantum ad sequelam boni: et primo ut addiscant; secundo ut opere impleant, ibi, subvenite oppresso. Operatur enim aliquis bonum in ordinando seipsum; et quantum ad hoc dicit, discite bene facere. Jer. 6: erudire, jerusalem, ne forte recedat anima mea a te; ne forte ponam te terram desertam et inhabitabilem.

In ordine ad proximum; et hoc est quod dicit, quaerite iudicium. Job 29: causam quam ego nesciebam, diligentissime investigabam.

Jerem. 6: state super vias, et videte et interrogate de semitis antiquis. Subvenite oppresso. Hic ponit impletionem operis in subveniendo miseris. Miserum autem facit vel violentia: et quantum ad hoc dicit, subvenite oppresso: Proverb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses: aut aetatis ignorantia: iudicate pupillo: Eccli. 4: in iudicando esto pupillis ut pater: aut sexus impotentia: defendite viduam. Job 29: auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi. Et venite. Hic promittit effectum: et circa hoc tria ponuntur. Primo promittentis obligatio, cum dicit, venite; ac si diceret: si facitis quae dico, et non sequatur quod promitto, obligo me ad hoc quod arguatis me. Hoc plangebat job 9: non est qui utrumque possit arguere et ponere manum suam in ambobus. Secundo malorum cessatio: si fuerint peccata. Et promittit specialiter mundationem a peccatis: quia cessante causa, cessat effectus, duo genera peccati tangit.

Quod est ex amore incendente, quod notatur in coccino propter intensum ruborem, contra quod ponit candorem nivis frigidae. Job 9: si lotus fuero quasi aquis nivis et fulserint velut mundissimae manus meae etc.. Et quod est peccatum ex timore mortificante, quod notatur in vermiculo, cujus color accedit ad albedinem: contra quod ponit lanam: Ezech. 27: in multitudine diversarum opum in lanis optimi coloris (Matth. 28): aspectus eius etc., Dan. 7: vestimentum ejus sicut nix candidum, et capilli ejus quasi lana alba.

Tertio ponitur bonorum restitutio: si volueritis, et audieritis, bona terrae. Psalm. 26: credo videre bona Domini in terra viventium.

Comeditis. Infra 65: ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Quod si nolueritis. Ponit poenam contra contemptum. Et primo ponit contemptum, dicens: quod si nolueritis, Zach. 8. Cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam me provocarent patres vestri. Secundo comminatur vindictae gladium; gladius devorabit vos. Ezech. 5: gladium evaginabo post eos, et complebo furorem meum; et quiescere faciam indignationem meam in eis.

Tertio ostendit esse immutabile iudicium: quia os Domini locutum est. Numer. 23: non est Deus ut homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur.

#5 Lectio 5

Quomodo facta est meretrix.

Hic ostendit peccatum eorum secundum aversionem a justitia proximi: et circa hoc tria facit.

Primo describit culpam; secundo comminatur poenam, ibi, propter hoc dicit Dominus; tertio poenae sequelam, ibi, et restituam. Circa primum primo arguit peccatum plebis; secundo peccatum sacerdotis, ibi, argentum; tertio peccatum principis, ibi, principes tui. In plebe duo arguit, aggravans per comparisonem ad priorem statum: scilicet venalitatem per comparisonem ad priorem fidelitatem: unde quomodo facta est meretrix? jer. 2: sub omni ligno frondoso et in omni colle sublimi tu prosternebaris meretrix: et crudelitatem per comparisonem ad justitiam et iudicium, quod est justitiae executio.

Psal. 93: quoadusque justitia convertatur in iudicium.

Unde dicit: nunc autem homicidae. Oseae 4: maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.

Peccatum sacerdotis in duobus arguit.

In corruptione veritatis doctrinae: unde dicit: argentum tuum, versum est in scoriam. Psal. 11: eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.

Jer. 5: prophetae prophetaverunt mendacium.

Secundo in remissione severitatis disciplinae, quae significatur in vino: hoc enim est vinum quod infudit Samaritanus: Luc. 10. Unde dicit: vinum tuum.

Ezech. 13: vae qui consuunt.

Principes tui. Hic arguit peccatum principum: et primo ostendit eos infideles in officii executione, quod ad suam utilitatem et non populi exequentur. Amos 6: unguento optimo delibuti, bibentes in phialis vinum.

Ezech. 34: vae pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? et propter hoc dicit, infideles. Secundo ostendit eos transgressores in malefactorum receptione: socii furum, eos defendendo et patrocinium praestando: Oseae 6: quasi fauces virorum latronum principes sacerdotum. Proverb. 1: fili, ne ambules cum eis. Tertio ostendit eos corruptos in munerum receptione. Infra 5. Vae qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. Unde dicit: diligunt munera, recepta, sequuntur promissa vel sperata. Quarto, ostendit eos iniquos in pauperum repulsione, dicens pupillo non iudicant, jer. 5: causam viduae non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt. Propter hoc haec dicit Dominus.

Hic comminatur poenam: et primo praelatorum; secundo subditorum, ibi, et convertam. Circa primum ponit tria. Primo punientis potestatem in auctoritate, dicens, Dominus. Malach. 1: si ego Dominus, ubi est timor meus? dicit Dominus.

In ministrorum multitudine: exercituum. Job 25: numquid est numerus militum ejus? in fortitudine, fortis. Job 9: sapiens corde est, et fortis robore: quis resistit ei, et pacem habuit? secundo ponit punientis voluntatem. Heu, scilicet eis, consolabor, quia consolatio erit punitio eorum. Infra 63: dies ultionis in corde meo, annus retributionis meae venit. Tertio ponit poenae crudelitatem: ibi et vindicabor de inimicis: quasi: sicut hostes puniam vos. Deut. 32: reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.

Et convertam. Hic comminatur poenam subditorum. Et primo ponitur punientis praeparatio, ibi, et convertam manum meam ad te puniendum, quam parcendo quasi plicatam tenueram. Job 19: manus Domini tetigit me.

Secundo poenae perfectio: excoquam, igne tribulationis, ad purum, quousque aliquid purgandum sit. Matth. 5: non exhibis inde donec reddas novissimum quadrantem. Tertio poenarum multitudo: auferam omne stagnum tuum: quia pro omni peccato, infra 40: recepit de manu Domini duplicita pro omnibus peccatis suis. Et restituam. Hic ponit poenae sequelam: et primo quantum ad correptos, renovationem; secundo quantum ad obstinatos, consumptionem, ibi, et conteret. Eodem enim igne (ut dicit Augustinus) aurum probatur, et palea fumat. Circa primum tria facit.

Primo promittit renovationem quantum ad praelatorum emendationem; secundo quantum ad famae restitutionem, ibi, post hoc vocaberis; tertio quantum ad justitiae observationem, ibi, sion in iudicio.

Dicit ergo: restituam iudices, quantum ad saeculares principes, quorum est iudicare populum, et consiliarios tuos, idest sacerdotes, quorum est consilia Dei ministrare populis: Malach. 2: labia sacerdotum custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est: ut fuerunt prius, sicut Moyses et Josue qui Deo placuerunt. Jerem. 3: dabo vobis pastores juxta cor meum, qui pascent vos scientia et disciplina. Et vocaberis, idest recuperabis famam, ut dicaris talis qualis ante fueras, civitas justi, idest in qua servatur justitia.

Infra 62: non vocaberis ultra derelicta, nec vocaberis ultra desolata; sed vocaberis voluntas mea in ea. Sion in iudicio, per executionem justitiae, redimetur, a calumniantibus; et reducent eam in justitia; quia iudicium est reducere ad aequalitatem, in qua consistit justitia. Psal. 71: iudicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in iudicio. Jerem. 23: regnabit rex...

Et faciet justitiam et iudicium in terra. Et conteret. Hic ponitur obstinatorum destructio; et circa hoc tria facit. Primo praedicat destructionem; secundo destructionis modum, ibi, confundentur; tertio aufert evasionis spem, ibi, et erit fortitudo tua.

Et quia poena ordinatur contra culpam, ideo circa primum tangit culpam dupliciter. Ex parte conversionis, quantum ad scelus idolatriae: unde dicit. Scelestos; et quantum ad peccatum voluptatis et luxuriae: unde dicit, peccatores: quia ad talia homines maxime proni sunt; contra quod ordinat poenam contritionis, in qua notatur poena pro inflictione. Jerem. 17: duplici contritione contere eos; quasi pro duplici peccato. Secundo ex parte aversionis, quia dereliquerunt Dominum; contra quod ordinat poenam consumptionis, dicens, consumentur; in quo designat poenam desertionis: quod enim consumitur, in nihilum vadit, et omnia in nihilum deciderent, nisi manus Domini ea contineret; ut dicit Gregorius. Jer. 17: Domine, omnes qui te derelinquunt, confundantur; recedentes a te in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

Confundentur. Hic ponit modum destructionis: et primo quantum ad confusionem peccati; secundo quantum ad subtractionem boni, ibi, cum fueritis.

Circa primum contra idolatriam ordinat confusionem, dicens: confundentur ab idolis, idest propter idola. Psalm. 96: confundantur omnes qui adorant sculptilia: contra voluptatem erubescitiam, cum dicit: erubescetis super hortis id est voluptuosus locis, quos elegeratis, luxuriae vestrae. Rom. 6: quem fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis? confusio enim magis respicit malum; sed erubescitiam culpam. Peccata enim carnalia (ut dicit Gregorius) sunt minoris culpae et majoris infamiae. Et ratio est, quia sunt secundum potentias ignobiliores, et maxime materiales: et tamen sunt innatae et connaturales et passibiles. Cum fueritis. Hic ponitur subtractio boni: et primo ejus quod pertinet ad protectionem et ornatum, quod significatur in ablatione foliorum; secundo ejus quod pertinet ad fructum, ibi, velut hortus qui sine aqua sterilis.

Et contra dicitur de viro justo, psalm. 1: erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Et erit. Hic aufert eis evasionis spem: et ponit tria. Primo aufert ab eis propriae fortitudinis firmamentum: unde dicit: erit fortitudo tua ut favilla stupae, quae cito consumitur.

Eccl. 21: stupa collecta synagoga peccantium.

Secundo idolorum auxilium, dicens: opus vestrum, scilicet idolorum, quod manus vestrae operatae sunt, quasi scintilla, quae nullius momenti est. Deuter. 32: ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? et tamen comburitur: unde sequitur, et succendetur. Infra 50: ambulate in lumine ignis vestri. Tertio hominum succursum: et non erit qui extinguat. Ezech. 20: non extinguetur flamma succensionis, et comburetur in ea omnis facies ab Austro usque ad Aquilonem; et videbit omnis caro.

|+2 Capitulus 2

|#1 Lectio 1

Verbum quod.

Hic incipit increpare culpam eorum ex parte conversionis; et dividitur in partes tres. In prima arguit eos pro culpa quam committebant in cultura idolorum; in secunda pro illa quam committebant in oppressionem hominum: 3 cap., ecce enim; in tertia pro culpa quam committebant in abusu rerum: cap. 5: cantabo dilecto meo.

Prima dividitur in duas. In titulum et tractatum.

Secunda ibi, et erit.

Et ponit hic verbum in principio capituli: quia specialiter de incarnato verbo prophetia est. Amos 3: non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. Et erit. Hic exequitur intentum. Et dividitur in partes tres. In prima promittit salutis remedium, ne gravitate sequentis culpae in desperationem inducat; in secunda ostendit culpae reatum, ibi, projecisti; in tertia comminatur poenae flagellum, ibi, ne ergo dimittas.

Circa primum tria ponuntur. Primo salutis praeparatio; secundo gentium conversio, ibi, et fluent; tertio Judaeorum in fine vocatio, ibi, domus Jacob. Circa primum tria ponuntur. Primo salutis tempus: unde dicit. Et erit. Et copulat ad praecedentem prophetiam, vel ad illud quod a Domino audivit; sicut dicit Gregorius super principium ezechielis. In novissimis diebus; idest in tempore gratiae, quod dicitur novissimum, quia non succedet alia religionis observatio. Matth. Ult.: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Genes. 49: congregamini filii Israel, ut annuntiem vobis quae ventura sunt vobis in novissimis diebus.

Sed videtur quod a principio humani generis debuerit ista salus praeparari quae est per incarnationem filii Dei: quia quanto morbo per medicinam citius subvenitur, facilius curatur.

Ad quod dicendum, quod medicina debet offerri secundum conditionem morbi. Et quia peccatum hominis fuit per superbiam, qua praecepta Dei contempsit; oportuit quod ad salutis medicinam percipiendam praepararetur per humilitatem, ut cognosceret infirmitatem suarum virium: quia nec in lege naturali nec in lege scripta adjutus poterat sibi providere; et sic tanto humiliter et ardentius medicinam quaereret, quanto in se auxilium sibi non inveniebat.

Secundo salvantis virtus, cum dicitur, mons domus Domini, in quo domus Domini est fundata.

Ezech. 40: dimisit me super montem excelsum.

Tertio salvantis gradus: in vertice montium, idest majorum, et elevabitur super colles, idest minores principes. Infra 52: ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde. Et fluent ad eum. Hic ponitur gentium conversio: et circa hoc tria ponit.

Primo ipsam conversionem; secundo declarat conversionis ordinem, ibi, et ibunt populi; tertio promittit conversis pacem, ibi, et iudicabit gentes.

Dicit ergo quantum ad primum: et fluent, in quo notatur multitudo et festinantia, omnes gentes, idest de gentibus omnibus aliqui. Jerem. 31: adducam eos per torrentem aquarum in via recta, et non impingent in ea. Ordo conversionis fuit quod per vocationem eorum qui ex Judaeis, gentes conversae sunt. Et ideo tria circa secundum ponit. Primo vocantes, secundo vocationem, ibi, venite, tertio ordinis rationem, ibi, quia de sion.

Dicit ergo: populi, idest qui ex Judaeis, multi, non omnes; in quo notatur paucitas Judaeorum conversorum respectu multitudinis gentium; ibunt, passibus fidei credentes, et dicent. 2 corinth. 4: et nos credimus, propter quod et loquimur.

Venite. Hic ponitur vocatio. Vocant autem ad tria.

Ad fidei eminentiam: unde dicit: venite, per consensum, ascendamus per fidem in montem Domini, idest in Christum, et ad domum Dei Jacob, idest ecclesiam. Jerem. 31: surgite et ascendamus in sion ad Dominum Deum nostrum: quia haec dicit Dominus: exultate in laetitia Jacob, Hebr. 12: ascensus ad montem sion etc..

Secundo ad doctrinam, cum dicit: docebit nos vias suas, idest praecepta quibus ad ipsum itur. Cant. 8: ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.

Tertio ad obedientiam. Et ambulabimus, post eum, in semitis ejus consiliorum. Jerem. 6: interrogate de semitis antiquis quae sit via bona et ambulate in ea. Quia de sion. Hic ponit ordinis rationem, dicens: quia de sion, non de monte sina, exhibit lex, spiritualiter intellecta, et verbum Domini, idest evangelium, de jerusalem propter contemplationem pacis: salus enim ex Judaeis est. Joan. 4. Et infra 27: qui egrediuntur impetu a Jacob, florebit, et germinabit Israel.

#2 Lectio 2

Et iudicabit. Hic promittit conversis pacem; et circa hoc tria facit. Primo ponit pacis effectivum; secundo pacis signum: et conflabunt gladios; tertio pacis fructum: non levabit gens. Effectivum pacis est regis iudicium; et ideo primo dicit: iudicabit gentes, dando eis jura, et arguet populos, corrigendo peccata.

Infra 11: iudicabit in justitia pauperes, et arguet in aequitate pro mansuetis terrae. Signum pacis est quod instrumenta belli vertuntur in cultum agri: unde dicit: et conflabunt gladios suos in vomeres. Psal. 45: arcum conteret, et confringet arma. Fructus pacis est in amotione hostium: unde dicit: non levabit gens contra gentem gladium.

Infra 26: vetus error abiit, servabis pacem, pacem, quia in te speravimus.

Sed contra, quia postea fuerunt multa bella.

Glossa respondet, quia non fuerunt tam magna sicut ante. Unde in tempore Antichristi quamvis sit futura maxima sanctorum persecutio, tamen habebunt pacem magnam adinvicem, sicut fuit tempore diocletiani.

Vel melius dicendum, quod referatur ad pacem factam per Christum, quae complebitur in futuro.

Domus Jacob. Hic ponitur vocatio Judaeorum post conversionem gentium factam: vel ex persona prophetae, vel ex persona gentilium, ut sint in cauda qui fuerunt in capite. Rom. 11: caecitas ex parte contigit donec plenitudo gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fiet.

Ambulemus, simul et concorditer, ut sit unum ovile. Joan. 10: et fiet unum ovile et unus pastor. In lumine. Joan. 12: ambulate dum lucem habetis. Projecisti enim.

Hic ostendit eorum reatum: et primo in generali; secundo in speciali, ibi, et augures habuerunt. Circa primum duo facit.

Primo ostendit eorum a Deo elongationem, cum dicit, projecisti enim: et ut continuat Glossa: merito vocandi sunt, quia projecisti. Jer. 22: quare abjecti sunt ipse et semen ejus, et projecti in terram quam ignoraverunt. Secundo ponit elongationis rationem, quia scilicet repleti sunt, iniquitate, ut olim, in Aegypto. Jerem. 23: adulteriis repleta est terra; non enim est causa elongationis a Deo nisi peccatum. Unde infra 59: peccata vestra diviserunt inter vos et Deum. Et augures. Hic ponit eorum culpam in speciali; et praecipue circa idolatriam, quam arguit in eis tripliciter. Primo quantum ad gentilem conversationem; secundo quantum ad idolatriam occasionem, ibi, repleta est terra; tertio quantum ad cultus observationem, ibi, et repleta est terra. Gentilem

conversationem reprehendit in eis in duobus. Primo quantum ad divinos et augures, quos habebant: unde dicit: augures, idest pronosticantes de futuris ex voce et garritu avium, habuerunt ut Philisthiim, in quibus maxime haec superstitio vigeat, contra id quod praecipitur Deut. 18: cave ne imitari velis abominationes gentium illarum. Et infra statim: non inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria.

Sed videtur quod augurium non sit peccatum.

Aves enim meliorem aestimationem habent quam pisces qui sunt magis aquosi; sed marinarii ex motu quorundam piscium accipiunt conjecturas de tempestate futura: ergo etiam per aves potest aliquid pronosticari de futuris.

Et dicendum, quod Deus praevidit unicuique rei ea quibus possit conservari in esse, secundum suae naturae capacitatem: et ideo homini dedit rationem per quam conferendo potest sibi adinvenire remedia contra nociva. Et quia in brutis deficit ratio, ordinavit ut quod ex ratione deficit, natura suppleret; et ideo talibus data sunt arma et opera naturaliter, quae homo per artem sibi acquirit.

Similiter etiam creata est eis quaedam vis naturalis aestimationis, impellens ea ad operandum opera suae speciei. Unde potius aguntur quam agant, ut dicit Damascenus. Et cum natura inferior reguletur per naturam superiorem et moveatur, relinquuntur in ipsis impressiones superiorum motuum fricantium huiusmodi motum per quem moventur ad providendum sibi in necessariis. Et in talibus accipere conjecturam ab avibus, vel avium motibus, vel aliorum animalium, non est peccatum; sed tantum de his quae habent causam ex libero arbitrio, quod non operatur necessitate stellarum.

Secundo, quantum ad passiones innaturales, in quibus subjacebant: unde dicit: pueris alienis, idest alienigenis, vel a Deo alienis, adhaeserunt, per turpem abusum. Rom. 1: masculi in masculos turpitudinem operantes. 2 machab. 4, dicitur de hoc vitio: erat autem hoc et incrementum quoddam, et profectus gentilis et alienigenae conversationis, propter impii et non sacerdotis Jasonis nefarium et inauditum scelus. Repleta est. Hic ponit idolatriae occasionem, quae est avaritia vel similitudo.

Ephes. 5: aut avaritia... Quae est idolorum servitus. Primo ergo ostendit avaritiam eorum quantum ad multiplicationem rerum quae pertinent ad necessitatem victus, cum dicit, repleta est terra: in quo notatur abundantia rerum; et non est finis: in quo notatur insatiabilitas avari, qui non implebitur pecunia. Eccli. 5: avarus non implebitur pecunia; et qui amat divitias, fructum non accipiet ex eis. Et Oseae 2: dedi eis frumentum, vinum et oleum et argentum, et multiplicavi eos, et aurum; quae fecerunt baalim.

Secundo quantum ad res quae pertinent ad portantis usum, cum dicit, repleta. Psalm. 19: hi in curribus, et hi in equis; nos autem etc..

Et repleta est.

Hic arguit in eis idolatriae cultum; et aggravat hoc ex tribus. Primo ex multitudine, cum dicit, et repleta est. Oseae 7: multiplicavit ephraim altaria ad peccandum. Jer. 2: sub omni ligno frondoso et in omni colle sublimi tu prosternebaris meretrix. Secundo ex idolorum vilitate: quia opus manuum suarum, et adhuc plus quod fecerunt digiti eorum. Psal. 113: simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Tertio ex hominis dignitate: et ideo dicit: homo, qui ad imaginem Dei factus est, inclinavit se, supponendo se idolis; vir, qui virtuosus videbatur quantum ad acquisita, humiliatus est.

Psal. 48: homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Infra 44: curvatus est ante illud, et adorat, et dicit, libera me.

#3 Lectio 3

Ne ergo dimittas.

Hic comminatur eis poenam. Et dividitur in duas partes. In prima ostendit eis imminere periculum; in secunda concludit evasionis remedium, ibi, quiescite ergo. Ostendit autem eis imminere periculum, removendo tria. Primo praesumptionem de divina misericordia; secundo confidentiam de propria potentia, ibi, oculi sublimes.

Tertio remedium quod relinquebatur in aliorum fiducia, ibi, in die illa projiciet homo idola. Et quia divina misericordia mensuram non habet, sed semper superexaltat iudicium Iac. 2, ideo non removet eam praedicendo ut defecturam, sed imprecando ut justam. Duo ergo facit. Primo ponit imprecationem, dicens: ex quo tam turpia mala faciunt, ergo ne dimittas eis: quasi dicat: justum esset ut in nullo eorum misereris. Jer. 5: numquid super his non iudicabo, dicit Dominus, et super gentem huiusmodi non ulciscetur anima mea? secundo ironice ponit consilium ad evasionem, dicens, ingredere; quasi dicat: ex quo ipse non dimittit, restat ut abscondatis vos a facie ejus. Ingrederet in petram: ad litteram, in fissuras petrarum ad ibi manendum: abscondere fossa humo, idest in cavernis terrae, a facie timoris Domini, idest a facie illorum per quos Deus se probat timendum et glorificandum. Jer. 18: relinquitte civitates. Sed hoc non valebit eis: unde in psalm. 138: quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? bernardus exponit de Christo. Petra enim erat Christus: 1 ad corinth. 10. In ipso est intrandum per devotionis affectum.

Dicit ergo: ego fidenter quod mihi deest usurpo de visceribus Jesu Christi. Viscera enim misericordiae affluerunt, nec desunt foramina per quae effluant: foderunt enim manus ejus, et pedes ejus perforaverunt. Cant. 2: surge, propera amica mea... Et veni in foraminibus petrae. Oculi sublimes. Hic removet ab eis confidentiam de

propria potentia: et circa hoc duo facit. Primo excludit potentiam resistendi; secundo repellit cautelam latendi, ibi, et introibunt.

Circa primum tria facit.

Primo ponit intentum; secundo explicat modum, ibi, quia dies; tertio concludit propositum. Et incurvabitur.

Ponit autem duo ad excludendam potentiam resistendi. Primo ipsorum depressionem, tum quantum ad superbiam cordis, cum dicit, oculi, idest superbia, sublimis, idest hominis potentis, humiliati, idest humiliabuntur; praeteritum pro futuro propter certitudinem prophetiae Prov. 30: generatio cujus oculi excelsi sunt, et palpebrae in alta surrectae. Job 40: respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios de loco suo. Tum etiam quantum ad nobilitatem generis: unde dicit, altitudo virorum, idest nobilitas generis. Amos 2: ego exterminavi Amorrhaeum a facie eorum, cujus altitudo cedrorum altitudo ejus. Secundo ponit punientis exaltationem, exaltabitur, idest altus apparebit in punitione qui infirmus videbatur in expectatione. Psal. 9: cognoscetur Dominus judicia faciens. Infra 5: exaltabitur Dominus exercituum in judicio. Quia dies Domini. Hic ponitur modus expletionis praedictorum: et primo quantum ad depressionem hominum; secundo quantum ad subtractionem rerum, ibi, et super omnes. Dicit ergo primo: ideo erit hoc quod dictum est, quia dies Domini, idest ultionis tempus: infra 63: dies ultionis in corde meo, annus retributionis meae venit: exercituum; ut non dubitetur de victoria ejus, cui tanta subest obsequentium multitudo: veniet quasi grave pondus ad comprimendum, super omnem superbum et excelsum; idest, super eum qui magis de magnis quae habet extollitur: et super omnem arrogantem, qui elevatur de eo quod non habet. Gregorius: arrogans est qui sibi tribuit quod non habet. Prov. 8: arrogantiam et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Et humiliabitur. Luc. 14: qui se exaltat humiliabitur.

Et super omnes cedros. Hic ponit subtractionem rerum quae faciunt ad defensionem: et primo quantum ad ea quae pertinent ad praeparationem machinarum: vel propter altitudinem; et sic dicit, super omnes cedros; vel fortitudinem; et sic dicit, super omnem quercum. Zach. 11: aperi Libane portas tuas, ut comedat ignis cedros tuas. Et infra: ululate quercus basan, quia succisus est saltus munitus. Secundo quantum ad ea quae pertinent ad munitionem locorum: aut a natura: et super omnes montes excelsos, Ezech. 6: haec dicit Dominus Deus montibus et collibus, rupibus et vallibus: aut ab arte: et super omnem turrim excelsam.

Soph. 1: dies tubae et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos; et tribulabo homines.

Tertio quantum ad ea quae pertinent ad abundantiam victualium; et sic dicit: super omnes naves, in quibus deferuntur, tharsis, idest maris. Infra 23: ululate naves maris, quia vastata est domus unde venire consueverant. Et super omne quod visu pulchrum est. Hoc pertinet ad hostium implacationem, vel augmentationem pugnantium.

Judith 10: quis contemnat populum Hebraeorum, qui tam decoras habet mulieres? et incurvabitur.

Hic quasi concludit propositum; et est omnino idem quod prius dictum est, nisi quod additur de destructione idolorum, ut ostendatur ipse solus excelsus, cum dicit, et idola. Ezech. 6: confringentur et cessabunt idola vestra, et conterentur delubra vestra. Et introibunt in speluncas.

Hic ponit cautela latendi, et est idem quod prius; nisi quod hic praedicatur quasi futurum, quia etiam potentiam dejiciendam praedicando et non imprecando exposuerat; psalm. 62: introibunt in inferiora terrae, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. In die illa.

Hic removet tertium, scilicet idolorum fiduciam.

Et primo removet auxilium, ut adoraret. Ezech. 8: et ingressus vidi; et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio, et universa idola domus Israel depicta. Infra 31: in die illa abjiciet vir idola argenti sui, et idola quae fecerunt manus ejus in peccatum. Secundo replicat latendi subsidium, ibi, et ingredietur, apocal. 6: omnis servus et liber absconderunt se in speluncis, et petris montium. Quiescite ergo. Hic ponit sanum consilium ad evadendum; ergo ex quo omnia ista non valebunt vobis, quiescite ab homine, idest cessate ab offensa ipsius, scilicet Christi. Cujus spiritus in naribus ejus, idest qui spirat naribus, et vivit sicut alii homines quantum ad humanitatem.

Quia excelsus reputatus est ipse, quantum ad divinitatem, a sanctis et ab Angelis. Psalm. 112: excelsus super omnes gentes Dominus, et super omnes caelos gloria ejus. Vel aliter. Loquitur de Deo ad similitudinem hominis per figuram antropospatos. Ab homine, idest Deo, cujus spiritus in naribus: loquitur ad similitudinem irati, qui propter multiplicationem spirituum exufflat per nares: unde dicit Homerus, quod fortes austeram virtutem per singulas nares exufflabant. Psal. 17: ab inspiratione spiritus irae tuae. Infra 30: ardens furor ejus, et gravis ad portandum. Et iterum: spiritus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum: et hoc refertur ad primum, in quo removet praesumptionem de misericordia Dei: quia excelsus ipse, discretive, quasi solus contra secundum.

|+3 Capitulus 3

|#1 Lectio 1

Ecce enim dominator.

Hic incipit secunda pars, in qua arguit peccatum eorum quantum ad oppressionem proximorum; et dividitur in partes duas. In prima ponitur opprimentium confutatio; in secunda oppressorum consolatio. Cap. 4: et apprehendent.

Et quia violentum dominium non solum est culpa hominis, sed etiam poena Dei judicantis peccata populi, sicut dicitur job 34: qui regnare facit hypocritam propter peccata populi: ideo prima pars dividitur in partes duas. In prima enim praedicitur secundum quod est poena a Deo inflictata; in secunda arguitur secundum quod est culpa ab homine commissa, ibi, populum meum. Prima dividitur in duas. In prima comminatur regiminis subversionem; in secunda assignat dicti rationem, ibi, ruit enim. Prima in tres. In prima subtrahuntur ad regiminis officium idonei; in secunda praeficiuntur indigni, ibi, et dabo pueros in tertia refutantur vocati, ibi, apprehendet vir. Prima in duas. In prima subtrahit idoneum ad regiminis officium; in secunda utilem ad regentis auxilium, ibi, et consiliarium.

Prima in tres, secundum tria quae requiruntur ad idoneitatem praelatorum. Primo enim aufert idoneum quantum ad potestatem; in secunda quantum ad sagacitatem, ibi, iudicem; in tertia quantum ad auctoritatem, ibi, senem. Potestas ad regenda bella populi requiritur in duce vel rege, et ad compescendum insolentias: Eccl. 9: noli quaerere fieri iudex, nisi virtute valeas irrupere iniquitates: quae in tribus consistit, secundum quae dividitur prima pars in tres partes; scilicet in fortitudine corporis, quae consistit in tribus: scilicet complexionis vigore; et quantum ad hoc dicit: ideo moneo ut quiescatis; enim, idest quia, ecce, in proximo est, auferet validum, idest bene valentem in complexionis sanitate. In membrorum robore; et sic dicit, fortem, quia fortitudo consistit in ossibus et nervis, ut dicit Philosophus. Iterum in cibi multitudine; et sic dicit, omne robur panis in quo omnis cibus et potus significatur. Eccl. 29: initium vitae hominis aqua et panis et vestimentum.

Secundo consistit potestas dicta in constantia cordis; et sic dicit, fortem, secundum quod venit a fortitudine quae est virtus animae. Tertio consistit in exercitio bellicae artis, et sic dicit, virum bellatorem. Sapientia autem requiritur ad exercenda iudicia; propter quod petiit Salomon sapientiam a Deo. 3 Reg. 3: dabis servo tuo cor docile... Ut possit discernere inter bonum et malum.

Et hoc habetur tripliciter. Vel humana institutione; et quantum ad hoc dicit, iudicem, quasi juris peritum: vel divina inspiratione; et quantum ad hoc dicit, prophetam: vel Daemonis revelatione; et quantum ad hoc dicit, ariolum, quia in aris Daemonum divinabant, et aliquando vera dicebant. Auctoritas necessaria est ad reverentiam; et haec consistit in tribus. In officii dignitate; et quantum ad hoc dicit, principem etc.; et per hos omnes alios principes intelligit, ut dicit Glossa: in morum honestate; senem, moribus. In vultus maturitate; honorabilem vultu. Utiles autem sunt aliqui principibus ad regimen populi, vel ad expediendum dubia negotia; et quantum ad hoc dicit, consiliarium: vel ad facienda aedificia; sapientem de architectis, ab archos, quod est princeps, et techne, quod est ars, et praecipue mechanicarum.

Architector dicitur principalis artifex, qui praecipit artificibus inducere formam, et praeparare materiam, secundum considerationem finis cujus scientiam habet in usu vel ratione. Sapientia autem, secundum Philosophum, dicitur dupliciter; scilicet universalis et particularis. Particularem definiens dicit, quod est virtus per quam homo ponitur in ultimo cujuscumque artis, ut medicinae: et dicitur sapiens medicus qui est certissimus in his quae sunt medicinae; et similiter sapiens faber; et sic de aliis.

Et hoc modo sumitur hic. Universalis sapientia est quae est ultimum in omnibus artibus et scientiis; et ista est per quam homo ponitur in cognitione nobilissimarum rerum, substantiarum scilicet separatarum, vel spiritualium. Et haec, secundum Philosophum, est metaphysica, et secundum nos theologia. Tertio aliquis necessarius est ad instruendum divina: et quantum ad hoc dicit: et prudentem eloquii mystici, a mystim quod est secretum, idest divinorum verborum quae secreta sunt. Et de omnibus his habetur 4 Reg. Penult., quod translati sunt a Nabuchodonosor in Babyloniam.

Transtulit quoque joachim in Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos, et iudices terrae duxit in captivitatem. Et dabo pueros. Hic ostenditur subversio regiminis quantum ad hoc quod praeficiuntur indigni. Et dividitur in duas. In prima ponitur indignorum praelatio; in secunda consequens populi turbatio, ibi, et corruet populus, sunt autem indigni quantum ad defectum sapientiae et aetatis; et sic dicit: dabo pueros: et quantum ad defectum virtutis; et sic dicit: et effeminati, idest lascivi et imbecilles. Oseae 13: dabo tibi reges in furore meo. Effectus autem regiminis in perturbatione populi tangitur triplex.

Primo universalis dissensio: unde dicit: corruet populus, ab unitate pacis, per quam est populus, vir ad virum, idest contra. Prov. 11: ubi non est gubernator, corruet populus.

Zach. 10: abducti sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pastor. Secundo amicitiae dissolutio: unusquisque ad proximum suum, idest contra proximum suum. Jer. 10: omnis frater supplantans supplantabitur, et omnis amicus fraudulenter incedet. Tertio ordinis confusio: tumultuabitur puer contra senem.

Thren. 4: facies sacerdotum non erubuerunt, nec senem miserti sunt. Apprehendet. Hic ostendit subversionem regiminis quantum ad hoc quod invitati recusant (officium), quasi quoddam ruinosum. Et dividitur in partes duas. In prima ponitur eligentium invitatio; in secunda electi recusatio, ibi, et respondebit.

Circa primum tria ponuntur: scilicet ipsa electio, electionis occasio, officii iniunctio.

Electio inordinata, quia ab uno tantum; unde dicit: inde erit tumultus enim: idest quia non communiter eligent; sed apprehendet vir fratrem suum, conjunctum sanguine, domesticum patris sui, familiaritate acceptum, quamvis

etiam vilem. Mich. 3: qui aedificat sion in sanguinibus, et ierusalem in iniquitate. Et hoc est contra formam servatam numer. 17, in electione principum facta praecepto Domini, auctoritate praelati, et consensu multitudinis. Sed occasio est vilis, quia propter divitias: unde dicit: vestimentum tibi est: sperat enim temporalem subventionem; et hoc est contra formam traditam Exod. 18: provide de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam; et constitue ex eis tribunos et centuriones etc. Qui iudicent populum omni tempore. Sed injunctio periculosa: unde dicit: princeps esto noster; ruina autem haec, idest periculum, sub manu tua, idest sub custodia tua et defensione tua. 3 Reg. 20: custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus. Respondebit. Hic ponitur recusatio electi: et primo ostenditur rationabilis excusatio; secundo concluditur officii refutatio, ibi, nolite.

In excusatione praetendit tria; scilicet impotentiam ad repellendum nociva: non sum medicus, scilicet ut possim mederi miseriis vestris jer. 8: numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? ad supplendum defectum: et in domo mea non est panis, quo suppleam defectum famis vestrae. Thren. 4: parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. Ad fovendum vel conservandum necessarium; neque vestimentum, quo conservatur calor. Prov. Ult.: non timebit domui suae a frigoribus nivis. Omnes enim domestici ejus vestiti duplicibus. Nolite me constituere principem populi. Hic concluditur officii refutatio ubi ponitur triplex ratio, scilicet impedimentum devotae contemplationis, Iud. 9: numquid possum deserere pinguedinem meam, qua dii utuntur et homines? dulcis affectionis: infra: numquid possum deserere dulcedinem meam? spiritualis exultationis: numquid possum deserere vinum meum, quod laetificat Deum et homines, et inter cetera ligna promoveri?

#2 Lectio 2

Ruit enim ierusalem.

Hic ponit causam dicti scilicet renuntiationis: et primo ponit causam proximam, scilicet poenam universalis ruinae: unde dicitur ex persona prophetae: ideo recusabit, enim, idest, quia, ruit ierusalem, idest ipsa civitas, et Judas, idest ipsa provincia, concidit, per poenam a sua integritate. Infra 23: in captivitatem transdixerunt robustos ejus, suffoderunt domos ejus, posuerunt eam in ruinam. Secundo ponit causam remotam, scilicet culpam. Et dividitur in partes tres. In prima aggravat culpam: in secunda contra culpam ordinat poenam, ibi, vae animae eorum, tertio ostendit punientis justitiam, ibi, dicite justo.

Peccatum aggravat ex tribus. Ex peccati specie, quia blasphemia in Deum: unde dicit: ideo concidit, quia lingua eorum contra Dominum. Infra 57: super quem lusistis, super quem dilatastis os, et eiecistis linguam? secundo ex peccati novitate: unde dicit: adinventiones eorum contra Dominum.

Oseae 7: nunc circumdederunt eos adinventiones suae, coram facie mea factae sunt. Tertio ex peccati publicatione: unde dicit: agnitio vultus eorum; et hoc quod peccatum suum a vultu agnitum aliis fecerunt. Respondebit eis, in poenam quantum ad gestus. Et quantum ad peccati commendationem dicit: et peccatum suum quasi sodoma praedicaverunt, idest laudaverunt. Jer. 2: frons meretricis facta est tibi et noluit erubescere. Aliter exponitur in Glossa: agnitio vultus eorum, idest cognitio suorum peccatorum, quam in intellectu habebunt, quia in vultu sunt sensus, respondebit eis, quaerentibus quare puniuntur. Vel aliter. Agnitio vultus eorum, idest remorsus conscientiae, respondebit eis, sicut poena. Et mystice hoc refertur ad peccatum quo Christum videntes cognoscere noluerunt, de quo conscientia redarguet eos, secundum quod dicit glo.. Et quia justitia Dei non sinit tam gravia mala inulta, ideo vae animae eorum, non solum corpori: quoniam reddita sunt eis mala, in Dei praescientia: vel praeteritum ponitur pro futuro. Et ne putetur poena omnes involvere, subjungitur Dei justitia in discretionem bonorum a malis: et circa hoc duo facit. Primo ponit remunerationem bonorum, dicens, dicite justo, cuicumque, quoniam bene erit ei, cum alii damnabuntur, quoniam fructum, idest mercedem adinventionum suarum comedet, quasi fructum capiens bonorum excogitatorum.

Sicut enim mali sunt solliciti ad inveniendum modos quibus peccatur, ita et boni sunt solliciti ut adinveniant qualiter Deo placere possint. 1 Cor. 7: qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Psal. 127: labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit. Secundo ponit punitionem malorum, dicens, vae impio in malum, idest pro malo quod sibi imminet. Retributio manuum suarum - Psal. 9: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Populum meum. Hic arguitur oppressio populi, secundum quod est peccatum hominis opprimentis. Et dividitur in partes duas. In prima ponitur oppressionis vitium; in secunda inducitur poenae iudicium, ibi, stat ad iudicandum Dominus.

Tripliciter autem quidam opprimebant populum.

Opprimebant enim primo principes per violentiam rapiendo: et quantum ad hoc dicit: populum meum expoliaverunt, bonis suis. Ezech. 22: populum terrae calumniabantur calumnia, et rapiebant violenter; egenum et pauperem affligebant. Secundo mulieres, protrahendo ad concupiscentiam, et etiam ad idolatriam, sicut de Salomone dicitur 3 Reg. 11; et quantum ad hoc dicit: mulieres eorum dominatae sunt eis. Eccli. 9: ne des mulieri potestatem animae tuae, ne ingrediatur in virtute tua. Tertio prophetae decipiendo per astutiam adulationis; et quantum ad hoc dicit, popule meus; quasi: per prophetas consueveram vobis loqui; sed quia illi mendaces sunt, per me vobis loquar, ne videatur non debere credi, quod propheta contra prophetam.

Decipiunt, promittendo securitatem. Dissipant, praebendo occasionem culpae. Mich. 3: haec dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et praedicant pacem. Jer. 14: prophetae dicunt eis: non videbitis gladium, et fames non erit in vobis; pacem veram dabit vobis in loco isto.

Stat ad iudicandum. Hic inducitur iudicium ad puniendum oppressores: et dividitur in duas: in prima ponitur iudicium contra oppressores principes; in secunda contra mulieres, ibi, et dixit Dominus. Pseudoprophetae ad spoliandum populum decipiebant; et ideo habent idem iudicium cum principibus. Ezech. 13: violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei et fragmen panis. Circa primum tria facit. Primo inducitur iudex: unde dicit, stat ad iudicandum.

Mich. 4: iudicabit populos multos. Dan. 7: iudicium sedit, et libri aperti sunt. Secundo inducuntur rei: unde dicit: Dominus ad iudicium veniet cum senibus, scilicet sacerdotibus, et principibus, regibus et ducibus. Ezech. 34: ego iudicabo inter pecus et pecus, et inter arietem et hircum.

Tertio ponitur causa: et primo inducitur accusatio actoris, cum dicit, vos depasti estis: Mich. 3: comederunt carnes populi mei: secundo ponitur increpatio iudicis, cum dicit: quare atteritis, affligendo, facies pauperum commolitis, fame attenuando? Amos 4: calumniam facitis egenis et confringetis pauperes. Ipse enim idem Deus erit actor et iudex.

Fructus iusti quem reddit: suae operationis, ioh. 10: eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat; suae praedicationis, Hebr. Ult.: offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius; suae confessionis.

Quem percipit: remissionis culpae, Is. 27: dimittetur iniquitas domui Iacob, et iste omnis fructus ut auferatur peccatum eius; participationis gratiae, Gal. 5: fructus autem spiritus: caritas, gaudium etc.; contemplationis sapientiae, Prov. 3: melior est acquisitio eius negotiatione auri et argenti, primi et purissimi fructus eius.

Quem quaerit: in fruitione Dei, Cant. 2: fructus eius dulcis gutturi meo; in societate caelestis chori, Ez. 36: montes Israel ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel; in perceptione divini doni, Cant. 4: emissiones tuae Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.

#3 Lectio 3

Et dixit Dominus pro eo.

Hic ponitur divinum iudicium contra mulieres: et primo aperitur culpa; secundo praedicitur poena, ibi, decalvabit.

Prima dividitur in duas. In prima arguit eas de superbia; in secunda de lascivia, ibi, et nutibus.

Circa primum duo facit. In prima arguit superbiam in corde, cum dicit: pro eo quod elevatae in superbiam. Psal. 130: Domine, non est exaltatum cor meum. Secundo arguit superbiae signum in corpore, ambulaverunt extento collo, quod signum superbiae est.

Job 15: cucurrit adversus eum erecto collo; et pingui cervice armatus est. Et nutibus. Hic arguit lasciviam earum in quatuor, quibus homines ad concupiscentiam provocabant. Primo in ipso visu: unde dicit, et nutibus. Proverb. 6: non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, ne capiaris nutibus ejus. Secundo lusu: et plaudebant. Glossa, ludendo. Eccli. 9: cum saltatrice ne assiduus sis... Ne forte pereas in efficacia illius. Tertio incessu, et ambulabant.

Prov. 7: garrula, vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedes eius. Quarto, lascivo ornatu, composito gradu.

Glos. Ornatae de rapina pauperum. Proverb. 7: ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio praeparata ad capiendas animas. Decalvabit. Hic comminatur poenam: et primo quantum ad ablationem ornamentorum; secundo quantum ad solatium virorum, ibi, pulcherrimi quoque viri.

Circa primum duo facit. Primo aufert ab eis ornamenta quae sunt signa ineptae laetitiae et lasciviae; in secunda recompensat signa tristitiae et miseriae, ibi, et erit pro suavi. Circa primum duo facit. Primo aufert ab eis ornatum naturalem capillorum; secundo artificialem, ibi, in die illa. Dicit ergo primo, decalvabit, quantum ad capillos veros. Infra 15: in cunctis capitibus ejus erit calvitium. Nudabit, quantum ad capillos adulteros, qui sunt sicut indumenta. Deut. 32: de captivitate nudati inimicorum capitis. In die illa. Hic aufert ab eis ornamenta artificialia; et primo ea quae pertinent ad ornatum membrorum; secundo ea quae pertinent ad cultum ornamentorum, ibi. Et acus, et specula.

Circa primum duo facit. Primo aufert ea quae pertinent ad ornatum partium; secundo ea quae pertinent ad ornatum totius, ibi, et mutatoria. Circa primum duo facit, primo aufert quae pertinent ad corporis membra; secundo quae specialiter ad sensus organa, ibi, et olfactoriola. Circa primum duo facit. Primo aufert ea quae pertinent ad membra inferioris partis corporis; secundo quae specialiter ad membra capitis, ibi, et mitras. Dicit ergo primo quantum ad pedes, ornamenta calceamentorum; quaecumque, et specialiter lunulas, quasdam picturas factas in calceamentis de corio deaurato. Cant. 7: quam pulchri sunt pedes tui in calceamentis, filia principis. Secundo quantum ad collum, torques, quaedam ornamenta colli usque ad pectus pendentia in honorem victoriae data. Proverb. 1: ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. Tertio quantum ad pectus dicit, monilia, quaelibet ornamenta, sed specialiter fibulae, quibus munitur pectus, ne vestes aperiantur. Cant. 7: junctura femorum tuorum sicut monilia quae fabricata sunt manu artificis. Quarto quantum ad brachia dicit, armillas,

ornamenta brachiorum ab armo dicta. Exod. 35: viri cum mulieribus praeberunt armillas. Et mitras. Hic ponit ornamenta capitis: et primo quantum ad verticem.

Mitras, ornamenta capitis in modum coronae. Judith 10: imposuit mitram super caput suum, discriminato crine capitis sui. Secundo quantum ad capillos dicit: discriminalia, instrumenta quaedam de argento vel auro in modum acuti fusti facta, quibus mulieres dividunt capillos suos ante frontem, sicut dictum est Judith eodem: discriminavit crinem capitis sui. Tertio quantum ad collum tangit duo. Primo periscelides, a peri, quod est circum, et colon, quod est membrum, quasi ornatus circa membrum. Haymo dicit, quod fit ex auro ad similitudinem armillarum, et ponitur circa collum. Glossa dicit, quod super pedes similes armillis. Alii dicunt, quod sunt quidam ornatus positi circa extremitates vestium sicut aurifrigia, vel pelles aliquae, vel aliquid hujusmodi.

Et hoc potest stare cum utroque praedictorum; quia sic sunt et circa collum, et circa pedes.

Vestes enim habent talia et in capitiis et in fimbriis inferioribus, et sic ornant collum mediate.

Numer. 31: ob hanc causam offerimus in donariis Domini singulis quod in praeda auri potuimus invenire, periscelidas, et armillas, anulos.

Secundo ponit ornamenta colli immediata, cum dicit, murenulas, scilicet quaedam catenae virgulis aureis et argenteis vermiculatae in modum murenarum, quae ponuntur circa collum. Cant. 1: murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Et quia collum est medium inter caput et corpus, ornatus ejus in utrumque redundat; et ideo cum utroque ponitur. Et olfactoriola.

Hic ponuntur ea quae pertinent ad organa sensus: et primo quantum ad olfactum. Olfactoriola, quaedam pixides in quibus ponebant muscum et hujusmodi, vel etiam quaedam vasa, sicut poma de argento facta, perforata ad modum thuribuli, in quibus ponitur ignis et aliquid odoriferum. Cant. 1: curremus in odorem unguentorum tuorum.

Secundo quantum ad auditum, in aures, quidam circuli aurei vel argentei, qui ponuntur in auribus mulierum ad hoc perforatis. Osee 2: ornabatur in aure sua et monili suo, et ibat, post amatores suos. Tertio quantum ad tactum, qui maxime viget in digitis. Anulos. Num. 31, auctoritate inducta superius: ob hanc causam offerimus anulos, etc.. Quarto quantum ad visum, gemmas in fronte pendentes, quibus ornabantur mulieres Aegyptiae. Exod. 25: accipietis lapides onychinos et gemmas ad ornandum ephod ac rationale.

De gustu non facit mentionem, quia instrumentum ejus interius est, et non ornatur. Et mutatoria. Hic ponit ornamenta pertinentia ad totum corpus; et primo ad induendum; et sic dicit: mutatoria, idest diversa vestimentorum paria. Zach. 3: indui te mutatoriis; et dixit, ponite cidarim.

Secundo ad operiendum: et sic dicit; pallia. Gen. 24: at illa tollens cito pallium, cooperuit se.

Tertio ad jacendum, et sic dicit, linteamina; joan. 20: venit Petrus, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita. Et acus.

Hic ponit ea quae pertinent ad cultum ornamentorum; et primo ad componendum. Acus. Matth. 19: facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum Dei.

Secundo ad discernendum, et specula, quibus mulieres discernunt utrum sint bene ornatae. Exod. 38: fecit et labrum aeneum cum basi sua de speculis mulierum, quae excubabant ante Ostium tabernaculi et atrium. Tertio ad ornamenta operiendum; et primo ad operiendum humerorum ornamenta, et sindones, subtilia velamina quibus operiuntur humeri, sicut fit in campania a mulieribus.

Proverb. Ultim.: sindonem fecit et vendidit, et cingulum tradidit chananaeo. Secundo ad operiendum ornamenta capitis, vittas, idest pepla. Vel melius dicendum, quod dicuntur quaedam ligamenta, quibus mulieres ligant capillos suos, ad modum retis facta; et sic accipitur Exod. 28: ligabisque eam vitta hyacinthina, scilicet laminam de auro purissimo, ubi scriptum erat nomen sanctum Domini. Tertio ad operiendum ornamenta totius corporis dicit, theristra. Glossa: vestis muliebris tenuissima, et visu pervia, aestati idonea, et inde nominatur. Theria enim aestas dicitur. Et praecipue consueverunt hujusmodi portare mulieres super serica vestimenta. Gen. 38: depositis viduitatis vestibibus, assumpsit theristrum. De pluribus horum dicitur Ezech. 16: vestivi te discoloribus, calceavi te hyacintho, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus... Et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum, et dedi in aures super os tuum, et circulos in auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo.

Et erit. Hic sublatiis ornamentis lasciviae, commutat in cultum miseriae. Et primo quantum ad id quod est extra, dicit: erit pro suavi odore: odor enim ab extra est. Joel 2: ascendet foetor ejus, et ascendet putredo, quia superbe egit. Secundo quantum ad id quod est circa, dicit, pro zona funiculus, job 12: balteum regum dissolvit, et praecingit fune renes eorum. Tertio quantum ad id quod est supra, dicit, pro crispanti crine. Quarto quantum ad id quod est intra: pro fascia pectorali, Glossa: qua castigantur ubera, idest comprimuntur, ne ex magnitudine sua turpitudinem ingerant. Pulcherrimi quoque viri. Hic aufert eis virorum solatium quantum ad quatuor. Delectantur autem mulieres in virorum pulchritudine; et quantum ad hoc dicit: pulcherrimi quoque viri gladio.

Thren. 4: candidiores Nazaraei ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores. Secundo in fortitudine; et quantum ad hoc dicit, et fortes. Infra 23: in captivitate. Tertio delectantur in dignitate; et quantum ad hoc dicit: et moerebunt, interius, et lugebunt, exterius, portae ejus, idest iudices sedentes in portis. Thren. 2: destructae sunt in terra portae ejus; et perdidit et contrivit vectes ejus, regem ejus. Quarto

delectantur in virorum jucunditate; et quantum ad hoc dicit: et desolata in terra sedebit. Thren. 1: posuit me desolatam, tota die moerore confectam.

Quaeritur primo circa hoc capitulum de hoc quod dicit, ariolum. Videtur enim secundum hoc quod inquirere futura ab ariolis sit licitum: auferre enim illicitum non est poena, sed magis beneficium.

Praeterea idem videtur ex Glossa, quod aliquando vera dicunt; sed a quibuslibet est accipienda veritas: ergo et ab ipsis. Praeterea cum Daemones sint specula clarissima secundum intellectum, ut dicit Dionysius, videtur quod in his quae pertinent ad cognitionem, ad minus non sit malum ab eis accipere; et ita divinationibus intendere erit licitum; et praecipue cum nulla cognitio sit malum, et divinatio dicat cognitionem.

Ad quod dicendum est, quod divinatio suo nomine dicit usurpationem actus divini, et hoc praecipue in cognitione futurorum quae naturaliter cognosci non possunt. Sunt enim quaedam futura quae habent causas determinatas in natura, ex quibus necessario proveniunt, sicut eclypsis solis; et de his non est divinatio. Quaedam etiam habent causas determinatas ex quibus proveniunt ut in pluribus, sicut siccitas in aestate sub cane: unde de his non est divinatio. Tales enim sunt praenosticationes medicorum de sanitate vel morte, et nautarum de tempestate futura; nisi forte praenuntientur (quasi) immobili veritate futura, quia hoc solius Dei est. Sunt etiam quaedam futura quae non habent causas determinatas in natura, et praecipue quae fiunt ex libero arbitrio; et harum praecognitionem nullus habet nisi Deus, cui omnia sunt praesentia, propter stabilitatem suae aeternitatis, vel aliquis accipiens a Deo. Et si quidem inspiratione divina talia praedicuntur, erit prophetia, et non divinatio: si autem per propriam adinventionem deceptorie propter lucrum aliquod, sicut faciunt vetulae, dicitur divinatio, et peccatum (est) tum propter mendacium, quia asserunt incerta pro veris, tum propter deceptionem, tum propter usurpationem deitatis.

Similiter dicitur divinatio si fiat consilio Daemonum qualitercumque; qui quidem possunt aliqua futura praedicere, vel quorum ipsi sunt causa, vel quae ipsi sciunt per revelationem bonorum Angelorum, vel quae ipsi sciunt naturali cognitione in his quae habent causas determinatas in natura; latentes nobis, et notas eis, tum propter perspicacitatem intelligentiae, tum propter experimentum longi temporis. Et tamen semper est peccatum inquirere ab eis, et apostasia a fide, ut dicit Augustinus.

Et hoc propter tres rationes: primo, quia quamvis vera dicant, tamen semper intentio eorum est ad fallendum; secundo, quia certitudinalem cognitionem habere non possunt, nisi de his quae per revelationem sciunt; tertio quia non possumus simul esse participes donorum Dei et diaboli. Et haec inter omnes praecipua est. Et quamvis simpliciter sit beneficium auferre talia; tamen poena est illis qui talia sequuntur, quia est contrarium voluntati eorum.

Deinde quaeritur de ludis chorealibus, utrum sine peccato exerceri possint, propter illud quod dicit, et plaudebant: arguit enim tamquam peccatum.

Ad quod quidem dicendum, quod ludus secundum se non est malus; aliter enim in ludis non esset virtus quae dicitur eutrapelia: sed secundum quod ordinatur diverso fine, et vestitur diversis circumstantiis, potest esse actus virtutis et vitii. Quia enim impossibile est semper agere in vita activa et contemplativa; ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia severitate frangatur, et ut postmodum homo promptius vacet ad virtutum opera. Et si tali fine fiat de ludis cum aliis circumstantiis, erit actus virtutis, et poterit esse meritorius, si gratia informetur. Ista autem circumstantia videtur in ludo choreali observandae praecipue: ut non sit persona indecens, sicut clericus, vel religiosus: ut sit tempore laetitiae, ut liberationis gratia, vel in nuptiis, et hujusmodi: ut fiat cum honestis personis, et cum honesto cantu; et quod gestus non sint nimis lascivi, et si qua hujusmodi sunt. Si autem fiat ad provocandum lasciviam, et secundum alias circumstantias indebitas, constat quod actus vitiosus erit.

Deinde quaeritur de ornatu mulierum, utrum sit licitum mulieribus ornare se. Et videtur quod non, propter hoc quod hic dicitur, et 1 ad timoth. 2: non in tortis crinibus, aut auro et argento, aut margaritis, vel veste pretiosa; sed quod decet mulieres etc..

Et dicendum, quod ornatus mensurandus est praecipue ad modum et mensuram personae et ad intentionem.

Si enim mulieres portent ornamenta decentia statum et dignitatem suam, ut moderate se habeant in factis suis secundum consuetudinem patriae: erit actus virtutis modestiae, quae ponit modum in incessu, habitu et omnibus motibus exterioribus: et poterit esse meritorius, si sit cum gratia. Similiter si faciat ad hoc ut placeat decenter viro suo, quem habet, vel quem accipere debet, et ut ab aliis mulieribus retrahatur. Si autem portent ornamenta pretiosiora quam deceat ipsas; erit arrogantia, vel etiam quid deformatum vitio luxuria, si faciant ad provocandum ad concupiscentiam sui.

|+4 Capitulus 4

|#1 Lectio 1

Et apprehendent septem mulieres.

Postquam arguit calumniam opprimentium in cap. 2 et 3, in hoc capitulo propheta ponit consolationem oppressorum; et dividitur in partes duas. In prima consolatur eos contra oppressionem mulierum; in secunda contra oppressionem tyrannorum, ibi, in die illa. Solent autem mulieres in tribus molestae esse viris; scilicet in

contemptu virorum; et quantum ad hoc dicit: et apprehendent septem mulieres: quod ad litteram exponit Glossa, quia potuit esse quod post captivitatem interfectis viris multis, mulieres remanserunt plures, ita quod septem quaererent habere unum virum. Infra 13: pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo. Secundo consueverunt esse molestae in superfluo victu et vestitu; et quantum ad hoc dicit: panem nostrum comedemus; quasi dicat: non oportebit quod det eis expensas. Proverb. Ult.: facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Quaesivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Tertio sunt molestae in superbiae fastu; et quantum ad hoc dicit: tantummodo invocetur nomen tuum super nos, ut dicamur tuae uxores: aufer opprobrium, scilicet sterilitatis.

Deuteron. 7: non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis.

Sed ex hoc videtur quod sit licitum habere plures uxores, quia Deus nunquam consolatur per illicitum. Praeterea. Omne peccatum est innaturale; sed habere unum virum plures uxores est naturale, quia unus potest fecundare plures.

Ad quod dicendum, quod, sicut dicit Philosophus, coniunctio maris et feminae in hominibus non est tantum propter generationem, sicut in brutis, sed etiam ad commodum vitae: unde et maris et feminae sunt diversae operationes, in quibus auxiliantur sibi invicem. Secundum ergo quod aliquid diversimode ordinatur ad hos fines, secundum hoc diversimode dicitur naturale vel innaturale. Id enim quod nullo modo potest stare cum fine dicto, est omnino innaturale, et nunquam potest esse bonum, sicut vitium sodomiticum: et sicut hoc, quod una mulier habeat plures viros, quia una non fecundatur a pluribus: et quantum ad vitam civilem, quia una non regitur a pluribus; sed e contrario.

Aliquid potest se habere ad dictum finem indifferenter quantum in se est; et hoc potest determinari diversis temporibus diversimode, secundum diversos casus, per legislatorem; et erit justum positivum, sicut de gradibus consanguinitatis.

Aliquid autem est per quod aliquis potest consequi finem, tamen est impeditivum finis, ut in pluribus.

Et hoc quantum de se est est innaturale; sed potest esse licitum secundum dispensationem legislatoris attendentis speciales casus; et huiusmodi est quod unus habeat plures (uxores): potest enim unus plures regere secundum vitam civilem, et unus plures fecundare.

Sed tamen aliquod impedimentum praestat generationi, cum oporteat semen viri esse digestum; et hoc non potest fieri in frequenter coeuntibus: propter quod frequenter tales steriles sunt. Et adhuc magis impedit communem vitam; quia perfecta amicitia, qualis est inter virum et mulierem uxorem, propter quam etiam homo patrem et matrem derelinquit (genes. 2), non potest esse ad multas.

#2 Lectio 2

In die illa.

Hic promittit exaltationem contra tyrannorum oppressionem: et primo quantum ad prosperitatem in temporalibus; secundo quantum ad sanctitatem in spiritualibus, ibi, et erit omnis; tertio quantum ad securitatem ab hostibus, ibi, et creavit Dominus.

Promittit autem prosperitatem in tribus. Primo quantum ad honorem hominum, cum dicit, in die illa, scilicet post reditum de captivitate, erit germen Domini, idest filii Juda, de quibus infra 5: viri Juda germen; in magnificentia, quantum ad magna quae facient, et praecipue tempore Machabeorum, et gloria, quantum ad honorem quem recipient. 1 Machabeorum 15: vidit gloriam simonis, et claritatem in auro et argento, et apparatus copiosum, et obstupuit. Secundo quantum ad abundantiam fructuum: et fructus terrae sublimis, idest terrae nascentia in abundantia. Amos ult.: comprehendet arator messorum, et calcator uvae mittentem semen, et stillabunt montes dulcedinem. Psal. 84: terra nostra dabit fructum suum. Tertio quantum ad laetitiam cordium, et exultatio his qui salvati fuerint, redeuntes de captivitate. Infra 51: gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. Et erit omnis.

Hic promittit sanctitatem in spiritualibus: et circa hoc tria facit. Primo promittit sanctitatis divulgatum nomen quod magis alliciebat cupidos gloriae: unde dicit, et erit, hoc quod sequitur, temporibus illis, omnis qui relictus fuerit in sion, in vita, et residuus, victorum voce sanctus vocabitur. Infra 61: vos sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis. Infra 6: semen sanctorum erit id quod steterit in ea. Secundo ponit sanctificationum signum: omnis qui scriptus est in vita in jerusalem; idest, omnis cujus vitae et generationis processio a parentibus scripta est in annalibus, secundum quod in esdrae 1 cap. 2, legitur de quibusdam qui usurpabant sibi officium sacerdotum, et non est numerata genealogia eorum. Tertio sanctificationis modum: si abluerit Dominus, idest, si tamen ante abluerit sordes, vitiorum, et sanguinem, prophetarum effusum, de medio ejus, non in angulo, in quo notatur publicitas peccati, spiritu iudicii, quantum ad aequitatem poenae, et ardoris, idest tribulationis quantum ad acerbiteriam. Spiritu, idest vento metaphorice, quo purgatur area. Jer. 4: ventus urens in viis quae sunt in deserto: viae filiae populi mei ad ventilandum, et ad purgandum, supple (non)p et creavit Dominus.

Hic ostendit securitatem ab hostibus, et servat metaphoram: quia enim tribulationem ardori comparaverat, securitatem comparat nubi et tabernaculo, quibus ab ardore defenditur.

Et dividitur in duas partes. Primo promittit divinam protectionem sub similitudine nubis; in secunda sub similitudine tabernaculi, ibi, et tabernaculum erit etc.. Circa primum tria facit. Primo ponit protectionis rationem, et creavit Dominus. Jam in sua praesentia vel propter certitudinem prophetiae, utitur praeterito pro futuro; et dicit creavit, quia ex vilissimo statu eos in tantam gloriam promovit, sicut quod creatur ex nihilo fit: super omnem locum montis sion, idest jerusalem, quae subjacet arci sion, et templo, ubi invocatus est. Ecce ratio protectionis: jer. 14: tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos.

Secundo ponitur ipsa protectio, nubem. Et ponitur secundum comparisonem ad beneficium exhibitum in exitu filiorum Israel de Aegypto: de quo dicitur Exod. 13: nunquam defuit eis columna nubis per diem; nec columna ignis per noctem coram populo. Et ideo ponit hic nubem per diem, quantum ad primum, et fumum, quantum ad secundum, propter duplex ignis beneficium; scilicet caloris contra frigus; et quantum ad hoc dicit, fumum, in quo notatur flamma, quae est fumus accensus, vel quia est effectus caloris; et splendoris contra tenebras; et quantum ad hoc dicit, et splendorem. Infra 10: et erit lumen Israel in igne et sanctus ejus in flamma. Tertio ponit protectionis magnitudinem, super omnem: quia protectio qua proteget vos Deus, erit super omnem gloriam prius vobis praestitam quasi excedens eam. Aggaei 2: magna erit gloria domus istius novissimae plusquam primae. Et tabernaculum.

Hic describit idem beneficium per metaphoram tabernaculi. Unde ponit ea ad quae tabernaculum est utile: protegit enim contra solis aestum per umbram; et quantum ad hoc dicit, in umbraculo diei ab aestu, idest in die; secundo protegit contra tempestatis impetum praebens securitatem; et quantum ad hoc dicit, et in securitatem a turbine: turbo enim est ex colluctatione quadam ventorum: tertio protegit contra pluviarum stillicidium per absconsionem; et quantum ad hoc dicit, et in absconsionem a pluvia. Et secundum haec tria designatur persecutio, secundum diversum sui gradum.

Infra 32: erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate. Glossae autem tangunt duplex mysterium. Quidam exponunt septem mulieres pro ecclesiis; et secundum hoc dividitur hoc capitulum in tres partes. Primo ponitur desponsatio; secundo sponsi exaltatio, ibi, in die illa; tertio sponsae gubernatio, ibi, et erit omnis.

Desponsatio autem est per fidem.

Oseae 2: sponsabo te mihi in fide. Unde tria ponit. Primo fidei communicationem, apprehendent per fidem, septem mulieres, septem ecclesiae, de quibus Apoc. 1: joannes septem ecclesiis etc., in quo omnes ecclesiae secundum regulam ticonii quintam. Virum unum, idest Christum. Cant. Ult.: apprehendam te, et ducam in domum matris meae, et in cubiculum genetricis meae. Secundo propalationem spei, quae est de sacramento sumendo: panem nostrum comedemus, corpus Christi nobis datum. Joan. 6: panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; et quae est de dono virtutis percipiendo: vestimentis nostris operiemur, idest virtutibus. Ezech. 16: vestivi te discoloribus, et calceavi te hyacintho... Et indui te subtilibus, et ornavi te ornamento.

Tertio desiderium sive petitionem caritatis, quae est de consecutione christiani nominis. Invocetur tantummodo nomen, ut a Christo dicamur christiani. Act. 4: non est nomen aliud sub caelo in quo oporteat nos salvos fieri. Et de ablatione criminis: aufer opprobrium quod patimur a Judaeis, qui dicunt nos sine lege.

Josue 5: hodie abstuli opprobrium Aegypti a vobis.

Panis dat culpae veniam. Matth. 6: panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra. Dat gratiae vitam. Joan. 6: panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Confirmat ad pugnam. Psal. 103: panis cor hominis confirmat. Confortat ad viam. 3 Reg. 19: ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Facit praegustare ipsam gloriam. Sap. 16: paratum de caelo panem praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.

Secundum alias Glossas dividitur sic. In prima notatur gratiae plenitudo; in secunda gloriae exaltatio; in die illa; in tertia ponitur subditorum benigna gubernatio, et erit.

Circa primum tria facit. Primo ponitur donorum abundantia, septem mulieres, idest septem dona spiritus sancti, quae dicuntur mulieres, quia per ea in Deo aliquis generatur et nutritur. Virum unum, Christum singulariter, qui solus sine peccato. Joan. 1: vidimus eum quasi unigenitum, plenum gratiae et veritatis. Secundo donorum sufficientia in perfecta fruitione: panem nostrum comedemus, scilicet patriae, quo fruitur perfecte spiritus sanctus, cujus sunt dona, sicut et filius. Joan. 4: meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me. In Scripturae attestatione: et vestimentis nostris operiemur, idest sermone Dei, quo dona ornantur quia eis (---)p tertio donorum perfectio per Christum quantum ad collationem salutis: nomen tuum, idest res tui nominis, salus, invocetur super nos, idest in illis qui nobis repleti sunt, quia de plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia: joan. 1. Ante Christum enim dona non perducebant ad regnum.

Quantum ad amotionem erroris: aufer opprobrium nostrum, quod patimur a falsis virtutibus, quae nostrum nomen subripiunt. Rom. 13: nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Cant. 2: capite nobis vulpes parvulas quae demoliuntur vineas. Vel opprobrium quod patimur in repulsione hominum, qui nos peccando repellunt. Sap. 1: spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum, et subditur corripietur a superveniente iniquitate. In die illa. Hic ponitur exaltatio: et primo quantum ad miraculorum operationem, in magnificentia. Exod. 15: magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia. Secundo quantum ad gloriosam resurrectionem, et gloria, infra 52: consurge, consurge, induere

fortitudine tua, sion. Tertio quantum ad ascensionem: fructus terrae, idest filius virginis, sublimis. Infra 52: ecce servus meus intelliget, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde; quantum ad totius mundi venerationem, de quo Phil. 2: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum.

Exultatio, infra 9: laetabuntur coram te sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda.

Et erit omnis. Hic ponitur gubernatio: et primo quantum ad sanctificationem; secundo quantum ad sanctificationis ordinem, ibi, si abluerit.

Tertio ponit sanctificationem, et creavit. Ad sanctitatem alicuius tria requiruntur. Primo distinctio cum fide; et quantum ad hoc dicit: qui relictus, a non credentibus abiectus, quasi distinctus, in sion, quae specula, quia fides videt per speculum et in aenigmate: 1 Cor. 13. Et infra 10: in veritate reliquiae convertentur, reliquiae, inquam, Jacob ad Deum fortem. Si fuerit populus tuus, Israel quasi arena maris, reliquiae convertentur. Secundo tranquillitas ad pacem: residuus, quasi residens, in jerusalem, quae visio pacis. Infra 52: jerusalem civitas sancta. Tertio praedestinatio ad gloriam: omnis qui scriptus. Luc. 10: gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis. Apoc. 3: non delebo nomen ejus de libro vitae. Si abluerit.

Hic ponitur ordo sanctificationis: et primo per baptismi abluitionem: sordes, vitiorum actualium, sanguinem, peccati originalis; vel sordes, venialium, mortaliu.

Ezech. 16: lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum a te. Per poenitentiae discretionem.

Spiritu iudicii. 1 Cor. 11: si nosmetipsos iudicemus, non utique a Domino iudicemur; per caritativam passionem. Spiritu ardoris, idest caritatis suae, qua nulla major fuit.

Joan. 15: majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Matth. 26: hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Et creavit. Hic ponitur protectio. Et ponit universalitatem protectionis quantum ad protectos: unde, super omnem; diversitatem quantum ad protegentia, nubem; et auctoritatem quantum ad affligentia: unde, in diem. Sed protectis sunt tria; scilicet eminentia contemplationis in corde, montem sion. Psal. 124: qui confidunt in Domino, sicut mons sion; non commovebitur in aeternum qui habitat in jerusalem. Laudes confessionis in ore, invocatus est. Rom. 10: omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Honestas conversationis in opere, gloriam. 2 ad corinth. 1: gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae. Proteget autem per quatuor. Per spiritum obumbrantem, nubem. Luc. 1: virtus altissimi obumbrabit tibi. Per compunctionem humiliantem, fumum. Joel. 2: dabo prodigia in caelo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi. Per veritatem illuminantem, splendorem.

Luc. 2: lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae, Israel. Per ecclesiam viventem, tabernaculum.

Apoc. 21: ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Adversantia sunt tria. Prosperitas elevans, diem. Adversitas constantiam frangens, nocte.

Psal. 120: per diem sol non uret te, neque luna per noctem, persecutio affligens, aestu, per afflictionem. Apoc. 16: et quartus Angelus effudit phialam suam in solem. Et sequitur: et datum est illi aestu affligere homines, et igni.

Turbine, per impetum. Infra 21: sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit de terra horribili. A pluvia, propter multitudinem.

Matth. 7: descendit pluvia, venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam; et cecidit.

|+5 Capitulus 5

#1 Lectio 1

Cantabo dilecto.

Hic arguit tertio peccatum duarum tribuum, quod committebant in abusu rerum sub quadam metaphora; et dividitur in duas partes. In prima ponitur metaphora; in secunda exponitur: vinea enim. Circa primum duo facit. Primo ponit titulum, dicens, cantabo, idest, alte et aperte pronuntiabo: infra 40: exalta in fortitudine vocem tuam: dilecto meo, idest populo Judaeorum, canticum patruelis mei, idest filii patris, vineae suae, idest quod fecit de vinea sua. Aliquando enim prophetae ex ipsis rebus gestis assumunt similitudines ad suas prophetias, sicut patet jer. 32, de venditione agri.

Ecce Hananael filius sellum patruelis tuus venit ad te dicens: eme tibi agrum meum qui est in Anathoth, tibi enim competit etc..

Ita potuit contingere etiam quod ad litteram aliquis patruelis suus composuerit simile carmen de vinea sua. Vel aliter. Cantabo canticum dilecto, scilicet Deo, idest in persona ipsius ad vineam suam. Vel aliter, dilecto, scilicet Deo, canticum patruelis, idest de patre meo, scilicet populo Judaeorum, quia ex eisdem parentibus descendimus, vineae suae, idest qui patruelis est vinea dilecti Dei. Vel mystice, patruelis, Christi, qui ex eadem gente est mecum, vineae suae, idest qui conqueritur de vinea sua synagoga; quae sibi amarus fructus in passione attulit. Et nota, quod canticum proprie exultationis est. Unde hic improprie canticum dicitur canticum, cum sit moeroris. Tale canticum cantavit David de morte Saulis. 2 Reg. 1: inclyti tui, Israel, super montes tuos interfecti sunt.

Quomodo ceciderunt fortes Israel?... Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniat. Ezech. 32: cane carmen lugubre. Secundo ibi, vinea facta est, ponit ipsum canticum, quod continet metaphoram: in quo tria ponuntur. Primo causae recitatio; secundo iudicii interrogatio, nunc ergo habitatores; tertio sententiae prolatio, nunc ostendam.

Circa primum duo ponit. Primo ex parte conquerentis diligentiam cultus; secundo ex parte vineae malitiam fructus, et expectavi ut faceret uvas. Diligentia autem cultus ostenditur ex tribus. In loci praeparatione, in palmitum electione, et in sumptuosa aedificatione.

Praeparatio loci primo describitur tripliciter.

Primo quantum ad loci pinguedinem: unde dicit: vinea, de qua Ps. 79: vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, et plantasti eam: facta est dilecto meo, idest Deo acquisitive, vel a Deo, in cornu, idest in loco eminenti, in quo notatur montuositas terrae ad constitutionem bonae vineae, propter hoc quod respicitur a sole, filio olei, idest adeo pingui quod sufficeret ad multitudinem olei.

Proprietates enim Hebraici sermonis est ut quilibet illius rei dicatur esse filius in quo abundat, sicut dicitur 1 Reg. 26: vivit Dominus, quod filii mortis estis. Et in hoc designatur bonitas terrae, quae fuit Judaeis data; de qua Ezech. 20: levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Aegypti in terram quam provideram eis fluentem lacte et melle, quae est egregia inter omnes terras. Secundo ponitur praeparationis diligentia quantum ad loci munitionem: unde dicit, sepivit eam. Oseae 2: sepiam viam tuam spinis: in quo significatur custodia Angelorum, et bonorum virorum. Tertio quantum ad purgationem: lapides elegit, idest diligenter collegit, ex ea.

Psal. 79: eiecisti gentes, et plantasti eam.

Quantum ad electionem palmitum dicitur: et plantavit eam electam, idest ex electis palmitibus: unde alia translatio habet, vinea soareth, quod est nobilissimum genus vitis, in quo significatur bonitas patrum. Jer. 2: ego te plantavi vineam electam, omne semen verum. Quantum ad sumptum aedificii, quod pertinet ad defensionem, dicit: aedificavit in medio ejus turrim; in quo ostenditur regia dignitas. Ezech. 16: decora facta es vehementer nimis, et profecisti in regnum. Can. 4: turris David aedificata est cum propugnaculis.

Vel templum, secundum alios. Usus turris ad conservationem fructus, et prospiciendum ad custodiam. Quantum ad fructus collectionem dicit: torcular. Proverb. 3: implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia redundabunt; in quo notatur altare holocaustorum propter effusionem sanguinis. Et expectavi ut faceret. Hic ponitur malitia fructus: unde dicit: et expectavi, secundum ordinem beneficiorum, ut faceret uvas, fructum bonorum operum, et fecit labruscas, idest uvas sylvestres, ab hoc dictae, quia in labris viarum nascuntur, scilicet sepibus: in quo amaritudo vitiorum notatur. Jer. 2: quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena? Mich. 7: qui optimus est in eis, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe. Nunc ergo habitatores. Hic ponitur interrogatio iudicii: et circa hoc duo facit.

Primo interpellat iudices, dicens: ergo quia feci quod debui, nunc, audita ratione mea, iudicate inter me et vineam meam. Oseae 2: iudicate matrem vestram, iudicate: quoniam non ipsa uxor mea, et ego non vir ejus. Simile iudicium quaerebatur a David de se quasi de alio 2 Reg. 12, super peccato commisso ab eo, circa scilicet adulterium et homicidium uriae cethei. Secundo quaerit iudicium; et duo quaerit. Primo utrum peccaverit ex negligentia; unde dicit: quid ultra, supra dicta, facere debui? michaeae 6: popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Secundo utrum peccaverit in cultura vineae ex superflua cura: unde dicit: aut forte videor fecisse ultra debitum quod expectavi, bene colendo, ut faceret uvas, et fecit labruscas? quasi dicat: in hoc videor potius superfluum quod vineae meae tantam culturam adhibui. Infra 26: Domine, indulsisti genti, indulsisti genti. Numquid glorificatus es? et 48: transgressorem ex ventre vocavi te propter nomen meum. Jer. 11: ad vocem loquela, grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fructeta ejus.

Vinea carnalis concupiscentiae, Deut. 32: de vinea sodomorum etc., vinum irae, Deut. 32: fel draconum venenum insanabile, luxuriae, Apoc. 18: de vino fornicationis eius etc., ineptae laetitiae, 3 esdr. 3: omnem mentem vertit in securitatem; fidelis animae, Cant. 2: vinea nostra floruit, vinum paenitentiae, Luc. 10: infundens oleum et vinum, corporalis munditiae, Zach. 9: et vinum germinans virgines, spiritualis laetitiae, Ps.: vinum laetificat cor hominis; militantis ecclesiae, Cant. Ult.: quae habet populos, vinum sacrae ablutionis, Num. 15: et vinum ad liba, fructuosae praedicationis, Ps.: a fructu frumenti, devotae confessionis, Cant. 7: guttur tuum; caelestis patriae, 3 Reg. 21 de Naboth, vinum divinae fruitionis, Cant. 8: comedi favum cum melle, interioris repletionis, esther 1: vinum quoque ut magnificentia regia, sanctorum congratulationis, Cant. Ult.: dabo tibi poculum ex vino condito.

Et nunc ostendam vobis.

Hic profertur sententia: et primo excitat attentionem vel audientiam, dicens: nunc, ex quo non vultis sententiam proferre, ego ostendam vobis quid ego faciam vineae meae. Infra 48: praedixi tibi ex tunc, antequam venirent, indicavi tibi; ne forte diceres: idola mea fecerunt hoc, et sculptilia mea et conflatilia mandaverunt ista quae audisti. Secundo profertur justam sententiam, ut ingratum auferat beneficium exhibitum, cum dicit, auferam sepem ejus. Et primo aufert beneficium quod pertinet ad custodiam, quae est duplex. Angelorum: et quantum ad hoc dicit, auferam sepem ejus, idest auxilia Angelorum, quibus contra hostes protegebatur, et erit in directionem, gentibus. Eccl. 36: ubi non est sepes, diripietur possessio. Est etiam custodia praelatorum; et quantum ad hoc dicit, diruam maceriam ejus, idest praesidia regni, de quibus supra 2: et incurvabitur omnis sublimitas hominum: et erit in conculcationem, idest vilis facta. Psal. 79: destruxisti maceriam ejus. Secundo aufert beneficium, quod

pertinet ad cultus diligentiam: unde dicit: et ponam eam desertam; idest, relinquam eam incultam sicut desertum. Non putabitur, admonitione aut correptionis verbere, quando peccat, et non fodietur, ut auferantur ab eis occasiones mali, sicut malae herbae; et ascendent super eam vepres et spinae, idest majora et minora peccata: vel vepres peccatorum, spinae tribulationum.

Infra 7: vepres enim et spinae erunt in universa terra. Tertio aufert beneficium fertilitatis, contra quod ponit defectum pluviae: unde dicit: et nubibus mandabo ne pluant: ad litteram, vel nubes praedicatores. Infra 60: qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas? jer. 3: quamobrem prohibita sunt stillae pluviarum, et serotinus imber non fuit. Vineam enim Domini exercituum. Hic exponit metaphoram: et primo quantum ad vineam; secundo quantum ad vineae causam, ibi, expectavi ut faceret iudicium. Circa primum exponit vineam dicens, vinea enim, primo, domus Israel est; vel tota, vel quantum ad decem tribus, quae dictae sunt Israel post separationem regni propter multitudinem.

Secundo quantum ad germen vel palmites, viri Juda, idest duae tribus in quibus adhuc observabatur cultus Dei. Oseae 4: si fornicaris Israel, non derelinquas saltem Juda.

Vel quia ex ipsa principes. 1 Paral. 5: porro Judas qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt. Expectavi ut faceret iudicium. Hic exponit vineae causam, quae consistit in culpa, et poena quae consequitur culpam: unde dividitur in partes tres. In prima ponitur culpa in generali; in secunda culpa et poena simul in speciali, ibi, vae qui conjungitis domum: in tertia, poena in generali, ibi, in omnibus his.

Culpam in generali arguit quantum ad praelatos, quorum est facere iudicium, in hoc quod dicit: expectavi, secundum ordinem beneficiorum, ut faceret iudicium, juste judicando; et ecce iniquitas, quasi inaequalitas iudicii. Eccl. 3: vidi sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco iudicii iniquitatem. Secundo quantum ad subditos, quorum est tenere justitiam sibi praefixam a praelatis: et justitiam, quae est per comparisonem ad praecepta legis; et ecce clamor, tumultus rixantium, vel conquestionis pauperum.

Infra 22: quidnam tibi quoque est quia ascendisti et tu in tecta clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans. Vae qui conjungitis domum domui. Hic ponit culpam eorum in abusu rerum in speciali, exequendo eam per partes. Et dividitur in duas partes. In prima arguit eos quantum ad ipsam culpam; in secunda quantum ad peccandi pertinaciam, ibi, vae qui trahitis.

Circa primum duo facit. Primo arguit eos quantum ad abusum possessionum, qui fit per avaritiam; in secunda quantum ad abusum ciborum, qui fit per gulam, ibi, vae qui consurgitis.

Circa primum tria ponuntur. Primo arguitur superflua possessionum multiplicatio: unde dicit: vae qui conjungitis domum domui, et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci; sicut usque ad viam publicam. Oseae 5: facti sunt principes Juda quasi assumptes terminum super eos.

Jerem. 22: vae qui aedificat domum suam in injustitia, et coenacula sua non in iudicio. Amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei. Qui dicit: aedificabo mihi domum latam, et coenacula spatiosa. Mich. 2: et concupierunt agros, et violenter tulerunt, et domos rapuerunt, et calumniabantur virum et domum ejus, virum et hereditatem ejus.

Secundo ponitur iudicis interpellatio, numquid habitabitis in medio terrae? quae lata est et spatiosa, et data multis in possessionem.

Gen. 1: crescite, et multiplicamini, et replete terram. Tertio ponitur poenae comminatio: et circa hoc duo ponuntur. Primo punientis auctoritas vel potestas: unde dicit: in auribus meis sunt haec verba, Domini exercituum, qui potest punire: quae dicam vobis, adhuc sunt sonantia in auribus meis, interioribus; in quo notatur verborum certitudo. Infra 50: mane erigit mihi aurem, et audiam quasi Magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico.

Secundo ponitur poenae severitas, ibi, nisi domus. Et primo quantum ad solitudinem domorum dicit nisi domus fuerint desertae, quantum ad custodiam, et absque habitatore, quantum ad solitudinem domorum; quasi dicat: non quiescet ira mea. Et est aposiopesis, quod est defectus orationis. Et ponit ea in quibus consistunt divitiae domorum: scilicet in multitudine: et quantum ad hoc dicit, multae: in pulchritudine: et quantum ad hoc dicit, pulchrae: in magnitudine, grandes. Sophoniae 1: et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum. Secundo quantum ad sterilitatem vinearum dicit: decem jugera vinearum (juger habet in longitudine 120 pedes) facient lagunculam unam. Alia littera habet. Batum, quod est ejusdem capacitatis in liquidis, sicut ephi in aridis. Tertio quantum ad amissionem seminum: et triginta modii facient tres, quia minus colligitis quam seminastis. Aggaei 2: cum accederetis ad acervum modiorum viginti, et fierent decem. Alii habent corum, vel ephi, quod est decima pars cori. Ezech. 45: ephi et batus erunt aequalia, et unius mensurae erunt, ut capiat decimam partem cori batus, et decimam partem cori ephi.

#2 Lectio 2

Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem.

Hic arguit eorum culpam quantum ad abusum ciborum: et primo arguit culpam; secundo comminatur poenam, ibi, propterea captivus.

Circa primum duo facit.

Primo arguit gulam quantum ad suas species, secundo quantum ad effectum, ibi, et opus Domini non respicitis. Species autem gulae sunt quinque quae hoc versu continentur: praepropere, laute, nimis, ardentem, studiose. Dicit ergo primo: vae qui consurgitis mane, quantum ad praepropere. Eccle. 10: vae tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt. Prov. 23: quando evigilabo; et rursus vina reperiam? quantum ad ardentem dicit, sectandam.

Quantum ad nimis dicit, usque ad vesperam.

Proverb. 23: cui vae, cui patris vae, cui rixae, cui foveae, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? ut vino aestuetis, luxuria, et ad omnia vitia.

Quantum ad studiose, dicit, cithara et vinum, studiose quaesitum quia cum magno studio praeparant sibi delectationem in cibis. Quantum ad laute dicit, in conviviis, in quibus fiunt magni apparatus et electa cibaria. Amos 6: qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti; qui canitis ad vocem Psalterii: sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti.

Effectus autem est inconsideratio: et quantum ad hoc dicit: et opus Domini non respicitis, quod facere debetis; nec opera, quae ipse fecit. Proverb. 20: luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas.

Propterea captivus. Hic ponit poenam respondentem; et primo quantum ad affectum voluntatis: unde dicit, propterea, sicut scientia eorum est captiva per ebrietatem, ita ipse captivabitur. Oseae 4: conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam.

Sed videtur quod ignorantia non mereatur poenam, quia excusat culpam.

Et dicendum, quod ignorantia potest dicere tantum negationem scientiae; et sic nec poenam nec veniam meretur; sicut ignorantia geometriae in rusticis. Potest etiam dicere privationem scientiae, ita quod relinquat debitam aptitudinem in subjecto; et sic constat quod nescire illa quae quis potest et tenetur scire, vitiosum est.

Secundo ponit poenam contra species gulae; et sic ponit famem et sitim, quae respondent ei quod est praepropere quantum ad causam: quia fames causatur ex hoc quod aliquis tardat nimis sumere cibum; ac si diceret: vos nimis cito comedebatis; sed tantum tardabatis quod esurietis. Iterum respondet illi speciei quae est ardentem quantum ad genus suum: est enim fames desiderium cibi: unde dicit: et nobiles.

Et ponit sitim contra multitudinem vulgi, quae ad minus aqua sitim extinguere consuevit.

Contra nobiles autem, qui abundabant in cibariis, quandoque siti gravatis, ponit famem. Thren. 4: melius fuit occisis gladio quam interfectis fame.

Secundo contra aliam speciem quae est nimis, ponit insatiabilitatem captivantium, in captivatione, unde dicit: propterea infernus dilatavit, idest mors vel diabolus, animam suam, quantum ad affectum, aperuit os, quantum ad effectum. Et loquitur more humano, quia infernus non habet animam. Proverb. 27: infernus et perditio nunquam replentur. Vel infernus dicitur Nabuchodonosor. Habac. 2: dilatavit infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimpletur. Tertio quantum ad studiosam ciborum praeparationem, quae contingit ex quadam elatione, ponit poenam humiliationis, ibi, et descendit. Et ostendit eos humiliandos quantum ad tria. Primo quantum ad captivationem: unde dicit: descendit, quasi humiliati, ad eum, scilicet infernum captivitatis, fortes ejus, quantum ad potentes, et sublimes ejus, quantum ad divites, et aliis bonis eminentes, de quibus superbiunt, gloriosisque, quantum ad nobiles et famosos.

Jerem. 39: et omnes nobiles Juda occidit rex Babylonis. Oculos quoque Sedeciae eruit, et vinxit eum in compedibus, ut duceretur in Babylonem. Et infra eodem: et reliquias populi qui remanserunt in civitate, et profugas qui transfugerant ad eum, et superfluos vulgi qui remanserunt transtulit Nabuzardan Magister militum in Babylonem. Secundo quantum ad captivorum depressionem: et incurvabitur homo, in captivitate existens, quantum ad sublimes, et humiliabitur vir, quantum ad potentes, et oculi sublimium, quantum ad gloriosos.

Deuter. 28: in gentibus quoque illis non quiesces; neque erit requies vestigio pedis tui. Tertio quantum ad punientis Dei exaltationem. Et exaltabitur: altus apparebit qui prius despiciebatur in iusto iudicio, et Deus sanctus in se, sanctificabitur, idest sanctus apparebit. Supra 2, exaltabitur autem solus Dominus in die illa. Quarto contra speciem quae est laute, ponit devorationem bonorum ab hostibus: et agni pascentur, idest comedentur ab hostibus vestris juxta ordinem suum, quia meliores prius quantum ad animalia: et quantum ad terrae nascentia, deserta, idest agros vestros a vobis desertos, in ubertatem, idest facti magis fertiles advenae. Deut. 28: adducet te Dominus, et regem tuum quem constitues super te, in gentem quam ignoras tu et patres tui. Infra eodem: advena qui versatur tecum in terra, ascendet super te, eritque sublimior.

Mystice agni, idest sancti, pascentur doctrina Dei patris reficientur juxta ordinem idest capacitatem suam; advenae, gentes; et deserta a Judaeis, sacras scilicet Scripturas, versa in ubertatem, spiritualis intelligentiae. Vae qui trahitis.

Hic arguit peccandi pertinaciam: et primo arguit culpam secundo comminatur poenam, ibi, propter hoc sicut.

Circa primum duo facit. Primo arguit in generali; secundo explicat in speciali, qui dicitis. Dicit ergo primo: vae qui trahitis, idest protrahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, idest vanis occasionibus; quibus ad peccata homo trahitur, dum per augmentum culpa protelatur. Proverb. 5: iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. Et hoc dicitur quantum ad communia peccata; quantum autem ad gravia subdit: et quasi vinculum plaustrum peccatum, idest quo ligatur et trahitur plaustrum, quod majus est.

Et designat gravitatem peccati in plaustro. Infra 58: dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Qui dicitis. Hic ostendit istas vanitates in speciali, ex quibus peccatum trahebant super se; et hoc quantum ad tria. Primo quantum ad contemptum iudicis; secundo quantum ad excusationem peccati, ibi, vae qui dicitis; tertio quantum ad praesumptionem peccandi, ibi, vae qui sapientes.

Et hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur: Eccli. 4. Contemnebant autem iudicis comminationem propter duo; scilicet propter sententiae dilationem: unde dicit: festinet, et cito veniet opus captivitatis, quod comminamini.

Eccle. 8: etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. Secundo propter iudicis elongationem: unde dicit, appropiet: quasi dicat: ipse est in caelo, et non potest videre: sed fiat prope.

Ezech. 9: dixerunt enim: reliquit Dominus terram, et Dominus non videt.

Nota super illo verbo, et quasi vinculum plaustri peccatum, quod peccatum dicitur primo funiculus; et hoc quia trahit primo ad peccati exemplum.

Prov. 7: statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et ignorat quod ad vincula stultus trahatur. Secundo ad peccandi usum. Jer. 2: onager assuetus in solitudine, in desiderio animae suae attraxit ventum amoris sui. Tertio ad aeternae mortis interitum.

Prover. 24: erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Secundo peccatum dicitur vanitas; et hoc quia deficit primo ab imitatione divinae veritatis. Sap. 13: vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei. Secundo a consecutione sperati finis. Eccle. 2: peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluum; ut addat et congreget, et tradat ei qui placuit Deo. Sed et haec vanitas, et cassa sollicitudo mentis. Tertio a longa duratione temporis. Eccli. 17: non est immortalis filius hominis, et in vanitatem malitiae placuerunt.

Sap. 5: transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius praecurrens.

Tertio peccatum dicitur vinculum: et hoc quia nequit primo intellectum ne videat. Sapient. 17: cum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctae, vinculis tenebrarum et longae noctis compediti, inclusi sub tectis, perpetuae providentiae placuerunt. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt. Secundo manum, ne bona faciat. Tertio pedes, ne proficiant. De his duobus Matth. 22: ligatis pedibus ejus et manibus, mittite eum in tenebras exteriores. Quarto peccatum dicitur plastrum; et hoc quia opprimit primo servitutis onere. Jer. 16: et servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Secundo cordis timore. Sap. 17: cum sit enim timida nequitia, data est in omnium condemnationem.

Tertio conscientiae inquietudine. Infra 57: impii autem cor quasi mare fervens, quod quiescere non potest.

#3 Lectio 3

Vae qui dicitis malum bonum.

Hic ponitur vanitas quantum ad excusationem peccati; et primo quantum ad effectum, malum bonum: michaeae 7: malum manuum suarum dicunt bonum; secundo quantum ad intellectum, lucem tenebras, veritatem errorem: joan. 3: dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; tertio quantum ad affectum, amarum in dulce, vitam peccati dulcem aestimantes. Sap. 14: et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed in magno viventes inscientiae bello: tot et tam magna mala pacem appellant. Vae qui sapientes estis. Hic ponitur tertia vanitas quantum ad praesumptionem peccandi, quae est de tribus.

Primo de sapientia cordis, et in speculativis, qui sapientes: Prov. 3: ne sis sapiens apud teipsum: et in practicis, prudentes. Rom. 12: nolite esse prudentes apud vosmetipsos.

Secundo quantum ad potentiam corporis ad peccandum: qui potentes estis ad bibendum: jactant se, quod possunt multum bibere, et inebriari, propter consuetudinem terrae in qua bibitur vinum mixtum.

Infra 41: taceant ad me insulae, et gentes fortitudinem mutent. Prov. 2: laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis. Tertio quantum ad auctoritatem, qui justificatis, idest dicitis vos tantae auctoritatis quod pro libito vestro potestis justificare impium, ut quod vobis placeat, legis habeat vigorem infra 10: vae qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitias scripserunt.

Prov. 17: et qui justificat impium, et qui condemnat justum. Michaeae 3: et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum praelium. Propter hoc sicut devorat. Hic comminatur poenam. Et primo ponit poenam consumptionis sub metaphora ignis. Propter hoc quia iniquitatem trahitis ponentes vobis radicem in peccatis. Sicut flamma ignis exurit stipulam quam attingit, et calor flammae exurit illam quam distat: persecutio enim captos occidit, et alios afflixit: Deut. 32: foris vastabit eos gladius, et intus pavor: sic radix eorum quasi favilla, quantum ad ea in quibus confidebant, vel patres, vel cognati, et germen eorum, filii, ut pulvis ascendet; in quo notatur fortitudo ex causis illis proveniens.

Mal. Ult.: et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos.

Secundo ponit poenae processum et ordinem; et primo ponit poenae causam et praecipue quantum ad primam vanitatem, unde dicit: abjecerunt enim legem, corde contemnentem, et eloquium sanctum Israel blasphemaverunt, ore iridentes. Jer. 32: non obedierunt voci tuae, et in lege tua non ambulaverunt. Secundo punientis iram; ideo iratus est: ad modum processus irae in hominibus loquitur. Psal. 105: iratus est Dominus furore.

Tertio poenae inflictionem: et extendit manum suam, potentiae ad percutiendum, quam plicatam parcendo tenuerat. Soph. 2: et extendet manum suam super Aquilonem, et perdet Assur, et ponet speciosam in solitudinem. Quarto, poenae effectum in intereccionem majorum: conturbati sunt montes, idest majores prae timore. Glossa dicit quod loquitur hyperbolice.

Sed contra. Ergo excessit veritatem propheta.

Et dicendum. Quod in aliquibus Scripturis sumitur (hyperbolice) pro excessu veritatis simpliciter, in sacra Scriptura pro excessu veritatis secundum opinionem hominum; quasi dicat: conturbatio erit ultra quam credi possit. Vel aliter, hyperbole est quidam tropus, et in tropicis locutionibus aliud dicitur, et aliud intelligitur. Unde non est falsitas quantum ad sensum quem intendit facere, sicut etiam in metaphora; quasi dicat: ita magna erit conturbatio, quod montes, si esset possibile, conturbabuntur.

Psalm. 45: conturbati sunt montes etc.. Et quantum ad vilitatem corporum, facta sunt morticina. Jer. 8: non colligentur neque sepelientur; in sterquilinum super faciem terrae erunt. Idem 16: mortibus aegrotationum morientur, et non plangentur, et non sepelientur; in sterquilinum super faciem terrae erunt.

#4 Lectio 4

In omnibus his non est aversus furor.

Hic ponit poenam communem, et ultimam, quantum ad captivitatem per Romanos: et circa hoc tria ponuntur. Primo exercitus praeparatio; secundo exercitus dispositio, ibi, et ecce festinus; tertio poenae inflictio, ibi, et tenebit praedam.

Circa primum tria ponuntur. Primo congregantis indignatio, in omnibus his; quasi dicat: sicut vos peccatis peccata additis, ita ipse poenis poenas adjungit.

Infra 9: vir fratri suo non parcat, et declinabit ad dexteram, et esuriet; et comedet ad sinistram, et non saturabitur. Secundo vexilli erectio, et levabit signum, idest vexillum. Jer. 4: levate signum in sion, confortamini, et nolite stare: quia malum ego adduco ab Aquilone, et contritionem magnam. Tertio exercitus convocatio, et sibilabit, idest inspirabit. Infra 7. Et erit in die illa sibilabit Dominus muscae quae est in extremo fluminum Aegypti, et api quae est in terra Assur; et venient, et requiescent omnes in torrentibus vallium. Et ad hoc quod magis terreat, ponit gentis extraneitatem et quantum ad cultum, in nationibus, ut sancta vestra non revereantur; et quantum ad linguam, procul, ne verbis placentur; et quantum ad mores, de finibus terrae, ne ab eis foederentur. Ecce festinus.

Hic ponitur exercitus dispositio: et primo ostendit eos expeditos ad veniendum; secundo armatos ad pugnandum, sagittae ejus; tertio crudeles ad puniendum, rugitus ejus. Circa primum duo ponuntur. Primo ipsorum velocitas: ecce, pro, certo, festinus. Thren. 4: velociores fuerunt persecutores nostri aquilis caeli. Habac. 1: equites namque ejus de longe venient: volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. Jer. 4: ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus: velociores aquilis equi illius. Secundo velocitatis causa secundum remotionem triplicis impedimenti: primum quod posset contingere ex naturae infirmitate; contra quod dicit: et non est deficiens, quem oporteat remanere, neque laborans in eo, quem oporteat tarde venire. Infra 40: qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem; assumptis pennas sicut aquilae; current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient. Secundo contra illud quod posset esse ex voluntate. Dicit: non dormitabit, per pigritiam, ut scilicet pigre vadat, neque dormiet, ut non respiciat. Prov. 19: pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet.

Tertio removet impedimentum ex rerum necessitate: nec solvetur cingulum. Et ponit ea quibus viatores solent impediri ab itinere: quasi: omnia plus solito durabunt. Deut. 29: adduxi vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, neque calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. Sagittae ejus acutae. Hic ostendit eos armatos esse ad pugnandum: et primo quantum ad bonitatem armorum; et ponit ea quae in illis terris maxime sunt consueta. Sagittae acutae, in quo notatur bonitas sagittarum; arcus extenti, in quo praeparatio armorum, ne in praeparando impediatur. Psal. 119: sagittae potentis acutae. Secundo ponit vectigalia: unguiae equorum ejus ut silex, qui non frangitur de facili, et rotae ejus quasi impetus tempestatis, propter multitudinem et velocitatem magnum sonum facientes. Jer. 4: ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus. Rugitus ejus. Hic ostendit eos crudeles ad puniendum: et primo quantum ad animositatem, rugitus. Oseae 11: post Dominum ambulabunt, quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris. Secundo quantum ad rapacitatem: rugiet ut catuli leonum.

Ps. 103: catuli leonum rugientes ut rapiant.

Tertio quantum ad crudelitatem, et frendet, quod est apri. Ps. 34: frenduerunt super me dentibus suis. Ps. 79: exterminavit eos aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam.

Et tenebit. Hic ponitur poenae inflictio, et demum punitorum desperatio, ibi, aspiciemus.

Circa primum ponit tria. Primo comminatur captionem, tenebit praedam; quasi dicat: sicut praedam capiet vos. Nahum 2: leo cepit sufficienter catulis suis, et necavit leaenis suis, et implevit praeda speluncas suas, et cubile suum rapina. Secundo sollicitam detentionem: et amplexabitur, ne exeatis per eorum incuriam; et non erit qui eruat, per eorum impotentiam.

Threnorum 1: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere. Tertio rigidam dominationem, et sonabit, comminationibus et terroribus.

Jer. 6: ecce populus veniet de terra Aquilonis, et gens magna consurget a finibus terrae; sagittam et scutum arripiet: crudelis est, et non miserebitur; vox ejus quasi mare sonabit.

Aspiciemus in terram. Hic ponit eorum desperationem: et primo quantum ad auxilium de terra: aspiciemus in terram, undique, et ecce tenebrae, quia omnes eos persequebantur; secundo quantum ad auxilium de caelo: et lux, divinae spei, obtenebrata est in caligine ejus. Jer. 4: aspexi terram, et ecce vacua erat et nihili; et caelos, et non erat lux in eis. Et connumerat se propheta in eis per compassionem.

|+6 Capitulus 6

|#1 Lectio 1

In anno quo mortuus est rex.

Postquam arguit in duabus tribus culpam, adjungens poenam corrigentem, hic comminatur poenam condemnantem finaliter, scilicet poenam obdurationis; et ideo ista poena praedicitur per modum sententiae, et cum solemnitate iudicii.

Dividitur ergo hoc capitulum in tres partes. In prima describitur sententiae auctor, scilicet iudex; in secunda sententiae denunciator minister iudicis, ibi, et dixi: vae mihi; in tertia ponitur ipsa sententia, ibi, audite audientes. Circa primum duo ponuntur. Primo visionis tempus; secundo ipsa visio, ibi, vidi Dominum sedentem. Quantum ad primum dicit: in anno quo mortuus est Ozias, qui 4 Reg. 15, dicitur Azarias, percussus lepra a Domino propter hoc quod usurpare voluit sacerdotale officium, ut dicitur 2 Paralipomen. 26. Sed postquam fuit percussus, filius ejus ioathan gubernavit domum regis et regnum usque ad mortem ejus: nec tamen dicitur regnasse tunc, sed magis vices patris gessisse; sed tunc primo regnavit quando mortuus est pater ejus. Unde ista visio ostensa est regnante ioathan, et praecedentia regnante Ozia. Vidi Dominum sedentem. Hic ponitur visio: et primo describit iudicis solium; secundo assistentium ministerium, ibi seraphim. Haec autem visio dicitur a quibusdam fuisse imaginaria, a quibusdam intellectualis. Et assumitur ab ipso propheta figura ex consimili, sicut dicit Dionysius in epistola ad titum, quod prophetae his quae plane vident sine figuris, circumponuntur figurae ad manuductionem audientium, qui per figuras sensibiles faciliter accipere possunt. Qualitercumque autem sit, oportet hic duo videre. Primo imaginationem figurae, vel a propheta visa, vel ab ipso composita; et secundo ipsius figurae significationem: ad aliquid enim significandum spiritualiter, inducuntur sensibiles figurae spiritualium in sacra Scriptura, sicut dicit Dionysius: et ille erit litteralis sensus; sicut etiam in locutionibus metaphoricis non illud quod significatur per verba, sed quod loquens per verba vult significare. Circa primum ergo sciendum, quod templum aedificatum a Salomone habuit in altitudine centum viginti cubitos, sicut dicitur 2 Paralip. 3, et erat distincta altitudo per tres domos; quarum suprema habebat sexaginta cubitos, et utraque inferiorum triginta. Et de istis dicitur 3 Reg. 6: per cochleam ascendebant in medium coenaculum, et a medio in tertium. Vidit ergo solium Domini in supremo coenaculo; propter quod dicitur, excelsum, idest altum, sicut et elevatum, super omnia coenacula: et a claritate vultus ejus resplendebat medium coenaculum: propter quod dicitur: domus plena majestate, idest gloria ejus; et ea quae sub ipso erant, idest ornamenta throni ejus, vel etiam splendor vestimentorum, sive subditorum agmina, implebant infimum coenaculum, in quod intrabant sacerdotes: propter quod dicit, templum.

Alii dicunt aliter, quod vidit solium altum in medio coenaculo, quod dicitur domus, quae plena erat mediis membris et brachiis Domini; inferius quod dicitur templum, pedibus et tibiis; sed caput et collum prominebant in tertium tabulatum. 3 regum ult.: vidi Dominum super solium suum sedentem, et omnem exercitum caeli assistentem et a dextris et a sinistris. Proverb. 20: rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum in circuitu suo. Circa secundum sciendum est, quod hujus visionis significatum tripliciter a diversis assignatur. Quidam enim dicunt, per sessionem in solio significari oppressionem captivitatis futuram: per repletionem domus a majestate, significari quod hostes qui sub ipsius dispositione erant, essent impleturi templum: et hoc tangunt historiae.

Hieronymus autem aliter exponit, et melius, per sedem significari filii Dei majestatem, propter quod dicitur joan. 12: haec dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo. Per solium significari Angelos, in quibus sedet Deus. Ps. 79: qui sedes super cherubim. Per domum, ecclesiam triumphantem, quae plena est gloria ejus. Per templum, ecclesiam militantem, quae plena est miraculis, vel Angelorum agminibus, quasi custodibus.

Dionysius aliter exponit in 13 capite caelest. Hierarch.

Et melius, ut videtur. Per solium significatur eminentia divinae naturae, et dicitur excelsum, propter sui nobilitatem, elevatum, quasi supra alia levatum, in quantum omnia in infinitum excedit; in quo dicitur sedere propter immobilitatem. Unde dicit 9 capitulo de div. Nomin. Quidnam dicendum de divina statione praeter hoc quod manet in seipso immobili identitate singulariter fixus? et dicitur domus tota creatura, quae plena est majestate, in quantum impletur participatione bonitatis ipsius secundum suam capacitatem. Et per templum videtur intelligere ipsas superiores creaturas, quae replentur his quae sub ipso sunt, in quantum bonitates receptae in ipsis, deficiunt a bonitate Dei, quae tamen videntur propinquare.

Sed contra hoc objicitur. Exod. 33: non enim videbit me homo: et vivet, idest in hac mortali carne vivens. 1 joan. 4: Deum nemo vidit unquam. Ergo nec Isaias.

Ad quod dicendum, quod nec interior nec exterior visus potest videre nisi moveatur a visibili; et secundum quod perfectius immutatur a visibili, melius videt. Et tunc perfectissime videt quando recipit actionem visibilis secundum totam suam virtutem. Et inde est quod idem videtur diversimode a diversis, et interius et exterius; a quibusdam melius, et a quibusdam pejus. Hoc igitur visibile quod est Deus, nihil perfecte comprehendit, nisi quod totum ipsum capit, et ideo ipse solum sic se videt. Unde caeleste secretum (dicit chrysostomus) a quibusdam videtur in essentia sua sine medio ad hoc, secundum perfectionem quam habent a suscepto divino lumine attingentibus, sicut a beatis in patria, et ab his qui elevantur per raptum ad illum modum visionis. Ab his autem minus perfectum visum habentibus videtur secundum similitudines quasdam bonitatis ipsius, sive in rebus sensibilibus, sive in imaginibus, sive in speciebus intelligibilibus.

Et hujusmodi est visio qua viderunt prophetae per lumen prophetiae, et qua videmus per fidem, et qua videtur per lumen rationis, etiam a philosophis, qui cognoverunt etiam Deum, sicut dicitur Roman. 1.

Sed tunc restat quaestio, utrum talem visionem immediate a Deo perceperint prophetae, vel mediantibus Angelis. Et videtur quod immediate, ex ipso modo loquendi: quia dicit, vidi Dominum, et non, vidi Angelum. Item de Moyse, Exod. 33: loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.

Item viderunt in speculo aeternitatis, ut communiter dicitur: ergo viderunt quidam Deum.

Ad quod dicendum, secundum Dionysium, 4 cap.

De caelest. Hierarch., quod nullus purus homo neque in patribus novi neque veteris testamenti accepit aliquam revelationem a Deo nisi mediantibus Angelis. Et hanc dicit esse legem inviolabilem, ut per prima media reducantur in divina; et hoc probat per locum a majori, quia etiam Moyses legem accepit mediantibus Angelis, qui tamen excellentissime vidit; quod probatur per id quod habetur Gal. 3: quid igitur lex? propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat Deus, ordinata per Angelos in manu mediatoris.

Act. 7: qui accepistis legem in dispositione Angelorum, et non custodistis. Ad primum ergo dicendum, quod haec ratio potest esse et ex parte finis visionis, et ex parte principii. Ex parte finis, quia Angelus revelans intendit ducere hominem in cognitionem Dei, et non in cognitionem sui; et ideo format visionem de Deo, ut ex his quae figuraliter videntur, aliquid de Deo cognoscatur.

Ex parte autem principii, quia tota virtus angelici luminis ad manifestandum aliquid, est ex Deo auctore, qui est fons luminis; sicut in demonstrativis tota virtus luminis vel manifestationis est ex primis principiis. Unde dicit Gregorius in Glossa super tertium capitulum exodi: Angelus qui Moysi apparuisse describitur, modo Dominus, modo Angelus nuntiatur. Angelus, quia exterius loquendo servit; Dominus, quia interius praesidens loquendi efficaciam tribuit. Cum enim loquens ab interiori regitur, et per obsequium Angelus, et per inspirationem Dominus memoratur. Ad secundum dicendum, quod hoc dicitur propter eminentissimum modum clarae visionis, quo Moyses super alios prophetas vidit, sicut dicitur Num. 12. Ad tertium dicendum, quod speculum aeternitatis non dicitur ipse Deus, sed ipsae species quae sunt in anima prophetarum; et dicuntur speculum in quantum resultat in eis dispositio sapientiae aeternae.

Seraphim stabant. Hic ponit ministrorum officium: et primo describit ministrorum ordinem; secundo eorum laudem. Et clamabant: sanctus. Circa primum ponit tria. Primo ponit ministrorum gradum dicens: seraphim stabant subter illud, scilicet templum, eo quod hic ordo inter omnes supremus est, sicut dicit Dionysius in Glossa hic. Item nota, quod seraphim scriptum per m, pluralis numeri est et masculini generis, et significat plures de ordine illo; scriptum vero per n pluralis numeri est et neutri generis et significat totum agmen illius ordinis; sed seraphin, singularis numeri est et masculini generis, et significat unum tantum de ordine illo. Infra 62: super muros tuos, jerusalem, constitui custodes: tota die et nocte perpetuo non tacebunt. Et dicit, stabant, erecti per contemplationem quasi assistentes. Secundo ponit ministrorum ornatum in senario numero alarum.

Sex alae. Tertio alarum usum: duabus velabant faciem ejus. In Hebraeo est ambigue dictum; et potest exponi quod velabant faciem Dei; et sic accipit Hieronymus: vel quod velarent faciem suam; et sic accipit Dionysius, secundum quem est sensus quod caput erat velatum et pedes et medium corpus. Duabus volabant, scilicet mediis. Ezech. 1: unumquodque duabus aliis velabat corpus suum.

Et infra eodem: et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum. Hujus visionis significatum tripliciter accipitur. Hebraeus dicit, quod per duodecim alas intelliguntur duodecim reges qui praefuerunt populo ab Ozia, sub quo visio incepta est, et deinceps; quorum quatuor tantum justi fuerunt, scilicet Ozias, joathan, ezechias et josias: et ideo quatuor alis volabant. Alii autem verecundabantur ante conspectum Dei, et ideo velabant faciem: quorum quatuor libere regnum possederunt, scilicet Achaz, Manasses, Amon et joathan, qui a populo reges constituti sunt; et hi significantur per alas quae erant in capite. Alii vero quatuor regnum sub servitute aliorum possederunt.

Unde et ab aliis, et non a populo reges constituti sunt, sicut joachim a Pharaone, jechonias et Sedecias et Godolias: de quo jerem. 41, dicitur, quod Ismael et decem viri qui erant cum eo interfecerunt Godoliam, quem praefecerat rex Babylonis terrae. Praedicti enim tres ultimi constituti sunt a Nabuchodonosor rege Babylonis. Hieronymus dicit, quod dicuntur alati, vel quia superius commorantur, vel propter velocitatem ministerii: et intelligit per duodecim alas ministerium perfectionis, qui commendatur in duodenario, sicut duodecim gemmae in diademate sacerdotis, et sic de aliis. Et duabus volant, etc.. Quia ea quae fuerunt ante mundum vel post mundum, nobis celant, et ostendunt quae fiunt sex aetatibus mundi: vel quia praeterita et futura nobis ignota

sunt, sed praesentia scimus; ut sic hoc referatur ad actum ministerii; et quod dixit, stabant, ad hoc quod Deo assistunt. Dionysius aliter exponit, 13 cap. Caelest.

Hierarch. Et 4 cap. Eccl.; et dicit, quod dicuntur alati, quia ad similitudinem volantis, altam contemplationem et liberam habent. Describitur autem triplex binarius alarum; quia seraphim vident ea quae ad ipsos pertinent, qui sunt de prima hierarchia, et quae ad alias duas eminentius quam illi; ita quod per unam alam intelligatur capacitas naturae, et per aliam lumen participatum a Deo, quia his duobus elevantur. Ea autem quae ad hierarchias pertinent, sunt a Deo sicut a principio, et in Deum ordinantur sicut ad finem; et utroque modo non possunt perfecte intelligi ab Angelis; quod significat velatio. Et sunt etiam in ipsis quasi media inter principium et finem; et sic habent perfectam cognitionem de ipsis et liberam, et ideo duabus mediis volabant, et clamabant.

Hic ponit eorum laudem: et circa hoc tria facit.

Primo ponit laudandi modum quantum ad devotionem, quia clamabant ex magnitudine affectionis; quantum ad concordiam, quia uterque: et quantum ad ordinem, quia ad alterum. Unus enim accipit ab alio, ut vult Dionysius. Job 38: ubi eras cum me laudarent simul astra matutina et jubilent omnes filii Dei? secundo ponit laudis canticum, ibi, sanctus, sanctus, sanctus. Et tria laudant. Personarum trinitatem: sanctus, sanctus, sanctus. Unitatis majestatem: Dominus Deus exercituum: qui omnibus praest. Apoc. 4: sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est. Provisionis liberalitatem: plena est omnis terra gloria ejus: quia usque ad ultimas creaturas, quae per terram intelliguntur, et extendit diffusionem suae bonitatis. Jerem. 23: numquid non caelum et terram ego implebo, ait Dominus.

Et hoc secundum Dionysium, 7 cap. Caelest. Hierarch.

Hieronymus: plena est omnis terra, per notitiam fidei. Eccli. 42: gloria Domini plenum est opus ejus. Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quae confirmavit Dominus omnipotens stabilis in gloria sua? tertio ibi, et commota, ponit laudis effectum, scilicet punitionem peccantium. Infra 65: ecce servi mei comedent, et vos esuriatis; ecce servi mei bibent, et vos sitiatis; ecce servi mei laudabunt prae exultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis, et prae contritione spiritus ululabitis. Et significatur templum diruendum. Commota sunt superliminaria cardinum. Amos 9: percute cardinem, et commoveantur superliminaria. Et comburendum. Et domus repleta est fumo combustionis a Romanis post agnitam fidem Christi.

Vel per fumum infidelitates Judaeorum; per commotionem cardinum, amotionem legalium, vel caeremoniarum, quae erant quasi umbrae claudentes aditum veritatis. Et dixi.

Hic ponitur sententiae denuntiator: et primo ostenditur ejus humilitas; secundo ejus puritas, et volavit; tertio auctoritas, et audivi. Humilitas in confessione peccati. Confitetur autem triplex peccatum.

Primum in locutione omissionis, vae quia tacui, non arguendo Oziam regem; et sic deplangit culpam; tacui a laude Dei, et sic deplangit damnum.

Infra 56: speculatores ejus caeci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia.

Eccli. 15: non est speciosa laus in ore peccatoris.

Commissionis: quia vir pollutus labiis. Eccli. 23: indisciplinae loquelae ne assuescat os tuum, est enim in illa verbum peccati: secundo malorum conversationis: et in medio populi. 1 corinth. 15: corrumpunt enim bonos mores colloquia prava. Tertio peccatum praesumptionis: et regem Dominum exercituum; quasi dicat: qui impurus est non potest intrare templum ejus, quanto magis nec ipsum videre, iudicum 13: morte moriemur, quia vidimus Dominum. Et hoc fuit reverentiae. Sed Jacob dixit, genes. 32: vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Et hoc est confidentiae. Hieronymus: felix conscientia quae tantum in locutione peccavit, non suo vitio, sed populi polluta labia habentis. Et volavit ad me.

Hic ostenditur puritas ex peccatorum purgatione: et circa hoc tria ponuntur. Purgationis minister: volavit ad me; purgationis instrumentum: et in manu ejus calculus de altari holocaustorum. Altare interius erat de terra, sicut dicitur Exod. 20: altare de terra facietis mihi. Circumquaque autem erat de lapidibus, ubi congregabantur ignes sacrificii; et de his accepit forcipe, instrumento habente duo brachia, per quod potest significari virtus receptiva; et per altare ipsa divina lux vel bonitas; et per calculum, donum receptum ad officium purgationis. Vel per ignem tribulatio; per seraphim Christus: per forcipem duo testamenta; per calculum caritas, quae in manu, idest operatione, ipsius est. Tertio purgandi modus: et tetigit os meum, et dixit; sicut in sacramentis est actio et verborum forma; ecce tetigit, exprimit actum, et auferetur iniquitas, in homines, peccatum, in Deum. Et non dicit, auferam, quia solius Dei est peccatum dimittere. Infra 43: ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.

De omnibus his Daniel 9: ecce vir gabriel quem videbam in visione a principio cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me, et locutus est mihi.

Sed contra hoc objicitur quod Dionysius dicit, quod illi de superioribus ordinibus non mittuntur in ministerium; sed constat seraphim supremos esse: ergo non videtur verum quod veniant ad purgationem prophetarum.

Ad quod dicendum, quod Gregorius istam quaestionem tangit in quadam homilia de centum ovibus, et dimittit sub dubio. Dionysius autem expresse vult quod tantum inferiores mittantur ad nos: et hoc dicit esse per ordinem divinae legis ut inferiora reducantur per media.

Quod autem hic dicitur, dupliciter solvit. Uno modo quod iste Angelus purgans dicatur seraphim aequivoce non ab ordine, sed ab actu quem tunc exercuit, quia igne purgavit, et seraphin dicitur incendium. Alio modo solvit quod dicatur proprie ille qui est de ordine illo; et dicitur purgare, non quia ipse immediate purgat, sed quia ejus auctoritate, vel percepta ab ipso illuminatione, inferior Angelus purgavit. Et ponit exemplum. Sicut dicitur episcopus absolvere quando alius auctoritate ipsius absolvit. Et ideo propter reverentiam, Angelus inferior, qui visionem formavit, reducit in Deum primo, et in seraphim secundo; ac si diceret: ego purgo te per lumen receptum a Deo, mediante seraphim. Lxx habent, carbunculos, propter similitudinem ignis. Habet enim colorem flammantem.

#2 Lectio 2

Et audivi vocem. Hic ostenditur ministri auctoritas ex iniunctione officii: et circa hoc tria facit. Primo quaeritur mittendi consensus; unde dicit, quem mittam? in quo notatur auctoritas ex parte mittentis. Rom. 10: quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? et quis ibit? missi voluntas, nobis acquisitive, ut non quaerat vanum honorem, et non quaerat lucrum. E converso Phil. 2: omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae Jesu Christi.

Mittam, in quo notatur unitas essentiae: nobis, in quo pluralitas personarum. Secundo ponitur oblatum obsequium: et dixi: ecce ego: mitte me. Infra 50: ego autem non contradico, retrorsum non abii.

Sed videtur quod hoc fuerit praesumptionis, quia Moyses recusavit. Exod. 3: quis ego sum ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel ex Aegypto? jeremias etiam recusavit; jerem. 1: et dixi: a, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dicendum quod, sicut dicit Gregorius in pastoralis (et ponitur in principio jeremiae in Glossa): utrumque fuit ex radice caritatis. Ille enim propter dilectionem Dei noluit perdere solatium contemplationis: iste propter dilectionem proximi voluit mitti ut prodesset; et tamen nec ille jussus pertinaciter recusavit, nec iste prius quam purgatus aut requisitus esset, se obtulit.

Tertio injungitur officium: quantum ad duplicatum actum praedicat discurre: et dixit, vade. Matth. 10: ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum: et dices populo huic. Jer. 15: si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.

Audite audientes. Hic ponitur sententia; et primo ponitur sententia obdurationis. Non obdurat autem immittendo malitiam, sed non impartiendo gratiam; et hoc quia non se volunt ad gratiam convertere. Secundo quaeritur sententiae duratio, ibi, et dixi.

Circa primum tria facit. Primo ponitur sententiae pronuntiatio a Domino, quantum ad duos sensus disciplinales, scilicet auditum, qui deservit disciplinae: unde dicit audite, auribus exterioribus, audientes, Christum, vel alium praedicantem, et nolite intelligere; quasi: quia non vultis, non intelligitis. Permissivum est. Et quantum ad visum, qui servit inventioni: et videte visionem, Christum corporaliter, vel magnalia Dei; et nolite cognoscere. Permissivum est, et non imperativum.

Infra 42: quis caecus nisi servus meus? secundo ponitur sententiae acceptatio et (est verbum) prophetae: unde dicit: o Domine, ex quo plenitudo gentium intratura est, percute caecitate Israel: Rom. 11, excaeca cor, interius, et aures agrava, ne percipiant, et oculos ejus claude, ne cognoscant.

Joan. 9: in iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant. Vel est verbum Domini, et est sensus: excaeca, idest excaecatam praedica. Tertio excaecationis ratio: ne forte, propter bona, et convertantur, et sanem eos, cum sanitate sint indigni. Ezech. 18: si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est, et custodierit universa praecepta mea, et fecerit iudicium et justitiam; vita vivet, et non morietur; omnium iniquitatum ejus non recordabor. Infra 30: si revertamini, et quiescatis, salvi eritis. Et dixi, usquequo. Hic ponitur sententiae duratio: et primo ponitur prophetae quaestio, usquequo excaecabuntur? Dan. 8: usquequo visio conculcabitur? secundo Domini responsio, et dixit. Et ponitur duplex terminus. Primus quantum ad poenam malorum; secundus quantum ad sanctitatem bonorum; ibi, semen sanctum, ac si dicat: quousque qui in sordibus est sordescat? apocalyp. Ult.: qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc. Poenam autem tangit triplicem. Primo quantum ad captivationem, quae designatur in desolatione civitatum: donec desolentur civitates.

Jer. 12: dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. Thren. 1: posuit me desolatam, tota die moerore confectam.

Quantum ad culturam agrorum: terra relinquatur deserta. Supra 1: terra vestra deserta, civitates vestrae, succensae igni. Quantum ad exilium hominum: et longe faciet Dominus homines. Jerem. 22: et mittam te, et matrem tuam quae genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini. Ezech. 20: et eligam de vobis transgressores et impios, et de terra incolatus eorum educam eos. Secundo quantum ad captivitatis longitudinem: et multiplicabitur, gens illa, in medio terrae, in qua captiva tenebitur: tamdiu durabit captivitas.

Jerem. 29: haec dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigratori quam transtulit de jerusalem in Babylonem: aedificate domos, et habitate in eis. Et infra: et multiplicamini, ibi, et nolite esse pauci numero, et quaerite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci. Tertio quantum ad iteratam persecutionem: et primo ponit paucitatem: et adhuc in ea decimatio; idest, vix decima pars relinquatur a tito in Judaea terra, vel in toto orbe, propter Judaeos interfectos. Deut. 28: et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra caeli prae multitudine. Secundo iteratam destructionem: et convertetur, iterum super vos captivatio, sub Adriano

imperatore. Supra 5: in omnibus his non est aversus furor ejus; sed adhuc manus ejus extenta. Tertio eorum vilitatem et despectionem vel dispersionem: erit in ostensione, derisionis, sicut terebinthus; quaedam arbor, quae in Damasci partibus magna est, in Graecia parva, et sicut quercus, quae expandit ramos suos: in quo eorum dispersio significatur. Eccli. 24: ego quasi terebinthus extendi ramos meos. Semen sanctum. Hic ponit terminum quantum ad sanctitatem bonorum: unde dicit: semen sanctum, idest virorum perfectorum, qui divinae obediunt visioni, et aliorum sanctorum de Judaeis, quod steterit, non cadens per infidelitatem.

Infra ult. Quia sicut caeli novi, et terra nova, quae ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. Alii exponunt in bonum. Multiplicabitur, post reditum de captivitate, in medio terrae, suae; et adhuc in ea decimatio, quae relinquetur ad cultum Dei post multorum necem; et convertetur ad Deum, et erit in ostensione, gloriae.

|+7 Capitulus 7

#1 Lectio 1

Et factum est in diebus Achaz, filii ioatham.

Hic ponitur comminatio contra hostes duarum tribuum; et dividitur in duas. In prima ponitur comminatio contra persecutores populi; in secunda contra contemptores prophetarum, vaticinium, cap. 28: vae coronae superbiae. Prima in duas.

In prima comminatur hostium dejectionem; in secunda ponit gratiarum exultationem, cap. 25: Domine Deus meus es tu. Prima in duas. In prima singulorum in speciali; in secunda omnium in generali, 24 cap.: ecce Dominus dissipabit. Prima in tres: in prima contra hostes corporaliter persequentes; in secunda contra hostes potestatem praebentes, cap. 17: onus Damasci: in tertia contra hostes in rebus calumniantes, cap. 21: onus deserti maris. Prima in duas: in prima contra persecutores ejusdem gentis; in secunda contra alienigenas, cap. 10: vae qui condunt leges iniquas.

Prima in duas. In prima comminatur ipsi frustrationem, per liberationem duarum tribuum; in secunda ipsorum destructionem, cap. 8: et dixit Dominus ad me. Prima pars, quae continetur in hoc capitulo, dividitur in tres. In prima describitur imminens periculum; in secunda promittitur liberationis beneficium, et dixit Dominus ad Isaiam; in tertia confertur liberationis signum, ibi, et adjecit.

Ad evidentiam autem primae partis sciendum est, quod Achaz fuit impius et idolatra, sicut legitur 4 regum 16, et 2 Paralip. 27. Et ideo Dominus tradidit eum in manu regis syriae et Samariae, qui primo venerunt contra eum, et obsidentes jerusalem, tandem devincentes ipsum, magnam partem exercitus sui ceperunt et principem exercitus ejus. Iterum ex illa victoria confisi, venerunt ut omnino privarent eum regno, et substituerent alium loco ejus; et in hoc secundo adventu consolatur eum Isaias. Tria ergo ponuntur in prima parte. Primo describitur hostium congregatio: unde dicit: et factum est in diebus Achaz. Reducit autem genealogiam usque ad Oziam, quia forte in percussione Oziae qua percussus est lepra a Domino, 2 Paral. 26, qui tamen justus fuerat, acceperunt audaciam invadendi, quasi contemnentes divinum auxilium. Ascendit. Hoc dicitur propter situm terrae, quia Judaea in montanis est.

Phacee, qui interfecit Phacejam regem Israel, cujus princeps militiae erat, et regnavit pro eo: et non potuerunt, in prima vice, quamvis regem in campo devincerent. Vel loquitur per anticipationem, quantum ad secundam ascensionem.

Secundo ponit denuntiationem: et nuntiaverunt, sui exploratores, domui David, idest domui regiae, dicentes: requievit syria super ephraim, idest rex syriae cum rege decem tribuum, quae ephraim dicuntur, propter primum regem, qui de ephraim fuerat: 3 Reg. 13. Vel propter dignitatem sunt amicitia juncti qui tamen fuerunt prius inimici, sicut legitur 3 Reg. Ult. Et penult.: et dicit, syria super ephraim ut notetur principalitas in regno syriae, quia fortius erat. Tertio ponitur denuntiationis effectus, perturbatio scilicet regis et suorum. Et commotum est cor populi eius vel cor ejus, scilicet regis. Eccl. 22: sic et cor trepidum in cogitatione fatui. Prov. 21: et pavor operantibus iniquitatem. Matth. 2: audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis jerosolyma cum illo. Et dixit Dominus ad Isaiam. Hic promittitur liberatio: et primo ponitur promissionis modus; secundo ipsa promissio, et dices ad eum. Modus autem ponitur primo quantum ad personam nuntiantem: dixit Dominus ad Isaiam, interius inspirando, vel loquens per subjectam creaturam: egredere in occursum Achaz, qui forte propter timorem hostium iverat ut praepararet se ad resistendum. Secundo quantum ad testem: et qui derelictus est Jasub, tibi; alio fratre, scilicet rapsace, ex matre nobiliore nato, fugiente ad regem Assyriorum, quia non bene receptus fuit ab Achaz; de quo infra 36. Deut. 19: in ore duorum aut trium stabit omne verbum.

Tertio quantum ad locum, ad extremum. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod quia jerusalem in montanis est, non abundat aquis fluentibus, et ideo habebant aquas collectas in piscinis vel ex pluviis, vel ex longinquis fontibus per aquaeductus. Erant autem tres piscinae in jerusalem. Una quae erat ad usum sacerdotum et sacrificiorum, quae dicitur probatica piscina, de qua joan. 5: secunda erat inferius in civitate, quae munda servabatur ad communem usum civitatis. Tertia erat extra civitatem, quae habebat aquam immundam, in qua fullones lavabant lanam, et erat ad hujusmodi usus; et ab illa piscina dicitur totus fullonis ager. Et sic patet quod

dicitur in littera. Et dices ad eum. Hic ponit promissionem: et primo ponit confortationem; secundo confortationis rationem, a duabus caudis; tertio incredulorum condemnationem, ibi, si non credideritis.

Confortat autem prohibens timoris signum: vide ut sileas; idest, cave ne timorem cordis exterius prodas. Infra 30: in silentio, et in spe erit fortitudo vestra. Eodem 32: et erit opus justitiae, pax et cultus justitiae, silentium et securitas usque in sempiternum. Et etiam ostendit timoris transitum: noli timere, mala futura, et cor tuum ne formidet, propter memoriam malorum quae passus es. Infra 43: noli timere, quoniam ego tecum sum; ab oriente educam semen tuum, et ab occidente congregabo te. A duabus caudis.

Hic ponit confortationis rationem: et primo ostendit proponentium vanitatem, qui magna proponunt, qui tamen nihil vel parum possunt subsistere.

Duabus caudis, quia in eis finitum est regnum.

Rasin enim interfectus est a teglathphalasar, 4 regum 16, et sui in captivitatem ducti; sed Phacee subjugatus fuit, et postea interfectus ab hoste, qui postmodum captus est a rege Salmanasar, et decem tribus captivatae: 4 regum 17. Fumigantium: tunc enim sunt vicini extinctioni. Et suscitemus eum, quasi somno quiescentem, et avellamus, trahamus in potestatem nostram. Filium tabeel: ad litteram quemdam hominem, vel idolum Dei nostri. Tabeel, bonus Deus. Secundo quantum ad propositi frustrationem: haec dicit Dominus, qui omnia potest: non erit istud, quia non perducetur ad effectum, et non stabit, quia non diu durabunt in tali proposito, majoribus malis in eos irruentibus.

Infra 8: inite consilium, et dissipabitur; loquimini verbum, et non fiet: quia nobiscum Deus.

Tertio quantum ad hostium destructionem: et primo quantum ad Assyrios: sed caput syriae; quasi dicat: sed interim, et antequam destruantur, caput syriae Damascus, quasi: erunt Damasceni et rex eorum contenti suis finibus. Et adhuc sexaginta et quinque anni, quia captivabuntur.

Isti anni non debent computari a tempore hujus prophetiae, sed a tempore quo Ozias percussus est lepra, quia tunc assumpserunt audaciam, vigesimo sexto anno regni ejus. Et ex tunc joathan filius ejus regnavit, vivente patre, 27 annis, et postea 16, et postea Achaz 16, et postea ezechias, cujus sexto anno captus est populus: 4 Reg. 18. Et hi omnes collecti, sunt 65 anni. Et caput ephraim, ut supra.

Si non credideritis. Hic ponit incredulorum condemnationem. Si non credideritis, scilicet promissis Domini, etiam vos non permanebitis in terra vestra, sed captivabimini. Habac. 2: ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso.

Et dicit hoc, quia 4 Reg.: 16 Achaz non credens prophetiae, invocavit auxilium regis Assyriorum teglathphalasar, ut adjuvaret eum: qui ad petitionem ejus venit, et destruxit Damascus et regem interfecit; et cum dedisset sibi munera, tamen nihil sibi profuit, sicut dicitur 2 Paral. 28.

|#2 Lectio 2

Et adiecit loqui ad Achaz. Hic ponitur liberationis signum: et primo datur optio ad signum eligendum; secundo confertur signum ad credendum: propter hoc dabit.

Circa primum tria ponuntur. Primo optio eligendi signum conceditur: et dixit Dominus ad Achaz.

Quia prophetas contemnebat, ipse per se dixit.

Quia videtur durum quod tam potentes reges ita cito destruantur, pete tibi signum, ut credas, a Domino Deo tuo. Ex hoc videtur quod sit sermo prophetae; et dicendum, quod mos est Hebraici sermonis, ut utatur nominibus pro pronomibus.

Unde, a Domino Deo tuo, idest a me. Vel est verbum Domini per inspirationem, et prophetae per denuntiationem. Infra 8: numquid non propheta a Deo suo.

In profundum inferni, ut aperiatur terra, et infernus pateat, sicut in subversionem Dathan et Abiron: Num. 16. Vel per infernum inferiora elementa, sicut Moyses de terra locustas et cyniphe Exod. 9: sive in excelsum supra, sicut Josue in statione solis: 10: Judaei enim signa quaerunt: 1 Cor. 1. Secundo oblata refutatio: et dixit, non petam: vel quia in idolis confidebat, vel in rege Assyriorum, vel invidens Dei gloriae, vel quia timebat offendere Deum in angustia positus. Infra 26: Domine in angustia requisierunt te. Unde dicit, non tentabo: innixus ei quod dicitur Deut. 6: non tentabis Dominum Deum tuum. Sed male intellexit, quia licebat ei auctoritate Domini petere signum, sicut Gedeon in vellere; jud. 6. Tertio ponitur refutantis increpatio: et dixit, scilicet Isaias: ergo ex quo tam rebelles estis, audite ergo domus David, propter consensum in malitia, regis, vel quia David promissus Christus datur signum Psal. 131: de fructu ventris tui ponam super sedem. Numquid parum vobis est, ad merendam divinam iram, esse molestos hominibus, quos spoliatis; vel prophetis, quibus non creditis; quia molesti estis, per rebellionem, Deo meo, non vestro, cui non obedistis? jer. 23: ut quid vobis onus? projiciam quippe vos, dicit Dominus. Propter hoc. Hic datur signum ad credendum: et primo confertur signum liberationis; secundo comminatur incredulis poenam destructionis, adducet Dominus.

Hoc autem signum est de Christi incarnatione.

Sed contra hoc objiciunt Judaei multipliciter.

Primo, quia Dominus dabat signum illius liberationis, ad quam nihil consonat Christi incarnatio.

Ad quod dicendum, quod incarnatio Christi significat ipsam quia si per locum a majori: quia si Deus dabit filium suum ad salutem totius mundi, multo magis potest salvare vos ab istis hostibus. Rom. 8: qui proprio filio suo non

pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Vel quasi causa motiva: hoc enim quasi movit Dominum, quod multa bona illi populo, quamvis injusto, concedantur, quia de illo providerat filium suum incarnandum.

Item objiciunt, quia signum sequens datur ad praesentes; sed incarnatio non fuit facta temporibus illorum; et sic videtur quod hoc nullum sit signum.

Ad quod dicendum, quod incarnatio, quamvis non fuerit facta praesentibus illis hominibus, fuit tamen manente domo David: unde dicit: audite domus David; non autem, audi Achaz.

Item objiciunt, quia signum debet praecedere signatum; sed incarnatio fuit diu post liberationem illam; ergo non fuit signum ejus.

Ad quod dicendum, quod signum quandoque sequitur signatum, sicut Deut. 18: hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit; hoc Dominus non est locutus. Quandoque est simul. 2 Reg. 5: cum audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc inibis praelium. Quandoque praecedit, sicut jud. 7, de Gedeone, ubi datum est signum quod vincere debebat in his qui aquam manibus lambuerant. Et oportet de necessitate quod hoc signum sequatur, etiam secundum quod ipsi exponunt. Si enim praecedit, tunc puer parum fuit natus ante mortem Phacee, qui regnavit 20 annis, cujus 17 anno regnavit Achaz, qui regnavit 16 annis: ergo Achaz regnavit 13 annis post mortem ejus.

Et Osee regnavit 12 anno Achaz, cujus nono anno Samaria capta est, qui fuit 6 annus post mortem Achaz: ergo in captivitate Samariae ad minus habebat puer 19 annos: ergo falsum est quod infra dicitur, quod puer nesciebat vocare patrem et matrem.

Item objiciunt, quod in Hebraeo non est virgo, sed alma, quae apud eos significat juvenulam nubilem, sicut habetur Gen. 24, de Rebecca, ubi nos habemus, puella decora nimis, et ipsi habent, alma. Et si etiam habeatur bethula, quod apud eos significat virginem, non oportet quod manens virgo conciperet, quia poterat esse quod quae tunc erat virgo, postea ex semine viri corrupta concepisset.

Ad quod dicendum, quod nullum signum esset, si juvenula conciperet, et etiam virgo corrupta.

Dominus autem aliquod magnum voluit significare, cum dixit; in profundum inferni, sive in excelsum supra. Ideo autem apud nos ponitur magis alma quam juvenula, quia alma significat virginem, secundum nominis originem, et adhuc plus, custoditam, de qua non possit esse mali suspicio.

Sed bethula significat secundum usum loquendi posteriorem. Exponunt autem Iudaei dupliciter. Quidam de ezechia, quidam de filio Isaiae, quem fingunt esse Manuel vocatum. Sed quod primum non possit stare, sic ostenditur, quia ezechias erat 25 annorum, quando coepit regnare, 2 Reg. 18, et Achaz regnavit 16 annis, 4, Reg. 16; ergo ezechias erat 10 annorum, quando pater suus incepit regnare; et sic non promittitur hic nasciturus.

Praeterea. Quomodo nescisset vocare patrem et matrem, cum sexto anno regni ejus capta fuerit Samaria? item quod secundum non possit stare, ostenditur, quia hoc nullum signum fuisset.

Et praeterea filius Isaiae non fuit Dominus Judaeae, cum tamen dicatur infra 8, terra Judaea esse emmanuel possessive. Et ideo oportet quod intelligatur de filio Dei.

Secundum hoc ergo tria facit. Primo promittit signum: propter hoc, quia vos non vultis petere, ipse dabit signum vobis, vestrae liberationis. Hoc etiam signum datum est pastoribus Luc. 2: et hoc vobis signum. Invenietis infantem pannis involutum, etc.. Secundo ponitur ipsum signum, ecce virgo: et primo ponitur miraculosa conceptio: ecce virgo, manens virgo, concipiet in partu pariet filium. Secundo mirabilis generati vocatio: et primo quantum ad divinitatem: vocabit, scilicet virgo, vel vocabis tu, Juda, in periculis, nomen ejus emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus. Matth. 1: vocabis nomen ejus emmanuel. Et hoc totum nullum simile habet in aliis, quia novum est. Jer. 31: creavit Dominus novum super terram: mulier circumdabit virum; idest perfectum hominem in ipsa conceptione, quamvis non secundum quantitatem perfectam, sicut dicit Augustinus super illud joan. 2: quadraginta et sex annis aedificatum est etc.. Et ideo est super hominem, quia nihil novum sub sole, Eccle. 1. Unde concordantia alia non potest haberi de ipsa prophetia nisi ipsa historia. Luc. 1: ecce concipies, et paries filium: significatum Ezech. 44: porta haec clausa erit, et non aperietur; et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. Secundo quantum ad humanitatem: butyrum et mel comedet: ad litteram, cibos viriles, quia ab infantia ad modum aliorum se habuit. Sap. 7: et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans. Vel a parte ad totum, secundum regulam quartam tyconii. Per hos enim omnes humanos cibos intelligit. Ut sciat. Ut consecutivum est, quia talibus vescens adhuc puer sciat reprobare malum, sine experimento, et eligere bonum, sine consilio, perfectam habens omnium scientiam. Hoc promiserat diabolus, sed non solvit, Gen. 3: sed Deus gratis dedit. Sap. 7: ipse enim mihi dedit horum quae sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutem elementorum.

Vel ut est causale: ut sciat, idest ut ostendat se scire, quia per cibos perductus est ad perfectam aetatis quantitatem, in qua ostendit se scire, Augustinus: per butyrum humanitatem, quod de terrae nutrimento venit; per mel divinitatem, quod de rore caeli colligitur. (super illud Cant. 4: mel et lac)p habuit tamen naturam sine corruptione, sicut butyrum sine caseo; et portavit consolationem sine iudicio, quasi mel sine aculeo. Bernardus: elegit puer noster noviter concipi, quia naturam nostrae carnis accepit sine corruptione. Similiter apis mel nobis attulit, non miscens aculeum. Non enim venit ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum: joan. 3. Et sic est etiam causale. Et hoc est signum de deorsum ex parte virginis parientis, et desursum ex parte Dei

nascentis. Ps. 84: Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Tertio ponitur signi adaptatio: quia antequam sciat, idest antequam nascendo scientiam creatam assumat. Terra, Samariae et syriae: 4 Reg. 16 et 17: adducet Dominus.

Hic ponit comminationem contra non credentes signum: et primo ostendit poenae gravitatem; secundo poenae ordinem, et erit in die illa; in tertia poenae effectum, et erit in die illa, nutriet homo.

Ostendit autem gravitatem ex praecipientis auctoritate: adducet Dominus, qui potens est. Exod. 15: Dominus omnipotens nomen ejus. Ex poenae universalitate: super te, per teglathphalasar, et super populum tuum, et super domum patris tui, quantum ad posteros tuos, per filios tyrannos; ex praecedentium comparatione.

Dies, tam mali; et dicuntur mali propter culpam.

Matth. 6: sufficit diei malitia sua. Eph. 5: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Propter poenam: qui non venerunt a diebus separationis: 3 Reg. 12: exequentis potestatem: cum rege Assyriorum, Nabuchodonosor, quia regnum chaldaeorum et Assyriorum sub ipso unum fuit, et a principio unum fuerat.

Assyrii enim de chaldaeis egressi sunt: Gen. 10.

Jer. 25: Nabuchodonosor servum meum. Et erit. Hic ponit poenae modum et ordinem: et ponit tria. Primo hostium convocationem.

Sibilabit, idest inspirabit, muscae, idest regi Aegypti, qui occidit josiam: 4 Reg. 23: et comparatur muscae propter immunditiam idolorum, et luxuriae, quae viget in Aegypto; in extremo fluminum, quia etiam de ultimis partibus Aegypti venerunt, et api, scilicet chaldaeis et Assyriis, quia ab anteriori habebant mel defensionis, et a posteriori aculeum persecutionis. Supra 5: sibilabit ad eum de finibus terrae. Secundo hostium multitudinem: et venient, et requiescent omnes in torrentibus vallium: quia in vallibus consueverunt currere aquae, propter commodum aquarum, in cavernis, propter munitionem, in fructibus, propter ligna, in universis foraminibus, propter loca domorum. Infra 8: et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terrae tuae. Tertio captivationem: in die illa radet Dominus in novacula, idest per regem, in his, idest per hos, scilicet Assyrios. Novacula acuta, de qua Ezech. 5: sume tibi gladium acutum radentem pilos, et assumens eum educes per caput tuum. Caput regem, pedes artifices, barbam milites qui sunt ad ornatum regis: 4 reg.

Ult. Supra 3. Omnem virum bellatorem, judicem et prophetam. Vel loquitur contra Aegyptios, qui erant adjuutores. In his, idest Aegyptiis, conducta.

Ezech. 29: et diripiet spolia ejus, et erit merces exercitui ejus, et operi pro quo servivit adversus eam. Et erit in die illa, nutriet.

Hic ponit poenae effectum, vel signum destructionis. Primo in animalium paucitate: duas oves vaccam, quae erit propter pauca animalia.

Supra 5: et deserta in ubertatem versa advenae comedent. Secundo ex victualium paritate: butyrum et mel, propter inopiam panis. Thren. 4: qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis. Tertio ex paucitate hominum. Primo in vilitate possessionum: in quo fuerint mille vites. Jer. 32: eme agrum argento, et adhibe testes, cum urbs data sit in manus chaldaeorum.

Prov. 24: per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urticae, operuerant superficiem ejus spinae. In multitudine latronum: cum sagittis et arcu, scilicet cum fugietis, ingredientur. Infra 24: formido, et fovea, et laqueus super te, et super habitatores terrae, quarto in pavore hostium, quia colent montes, et dimittent plana: et omnes montes. Jer. 49: et omnes civitates ejus erunt in solitudines. Et infra 49: et apprehendere niteris altitudinem collis.

Notandum super illo verbo, vocabitur nomen ejus emmanuel, idest nobiscum Deus, quod Christus est nobiscum multipliciter. Primo tamquam frater, per naturae consortium. Cant. 8: quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, et deosculer te? secundo tamquam sponsus, per amoris vinculum. Joan. 14: si quis diligit me, sermonem meum servabit. Tertio tamquam pastor, per internae consolationis solatium. Apoc. 3: ecce ego sto ad Ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo. Quarto tamquam salvator, per defensionis auxilium. Jer. 30: tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, ait Dominus, neque paveas Israel, quia ecce ego salvabo te de terra longinqua. Quinto tamquam ductor, per operis exemplum. Exod. 32: Dominus solus dux ejus fuit.

Notandum super illo verbo, ecce virgo, quod dicitur, ecce propter eminentiam singularem: primo quia supra mulieres propter virginitatem: unde dicit, ecce virgo. Secundo supra virgines propter fecunditatem: unde dicit, concipiet. Tertio supra Angelos omnes propter fructus dignitatem: unde dicit: pariet filium. Hebr. 2: nunquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.

|+8 Capitulus 8

|#1 Lectio 1

Et dixit Dominus ad me: sume tibi librum.

Hic praedicat destructionem decem tribuum, in quantum pertinet ad eorum poenam, quae facta est per Assyrios. Primo teglathphalasar, regnante Phacee, captivante duas tribus et dimidiam, quae erat trans jordanem, et

plurimos de tribu zabulon et Nephtali: 4 Reg. 15: et postmodum Salmanasar in captivitatem reducens residuas: 4 Reg. 18. Hujus autem tribulationis etiam duae tribus fuerunt participes, quia a teglathphalasar afflicti sunt, ut dicitur 2 Paral. 28, et a Senacherib, sicut dicitur infra 36. Non tamen omnino subjugatae.

Et dividitur in partes duas. In prima praedicatur tribulationem; in secunda modum ipsius et ordinem, cap. 9: primo tempore alleviata est.

Hoc autem capitulum dividitur in partes tres. In prima comminatur decem tribubus Assyriorum destructionem; in secunda praedicatur in hoc duarum tribuum afflictionem, ibi, et ibi per Judam inundans; in tertia confortat eos per futuram liberationem, ibi, congregamini.

Circa primum duo facit. In prima ponitur destructionis signum; in secunda describitur ipsum factum, ibi et adiecit Dominus. Circa primum duo ponit. Primo ponit paenae praefigurationem; in secunda, signi expressionem, ibi, quia antequam sciat.

Hoc autem signum, Judaei ad litteram exponunt de filio Isaiae, per cuius nomen Dominus significare volebat decem tribuum destructionem. Et secundum hoc, signum tripliciter confirmat. Primo scripto: secundo, testimonio, ibi, et adhibui; tertio, ipso facto, ibi, et accessi.

Circa primum tria ponit: scilicet in quo scribendum, librum grandem. Ad litteram enim, grandem, ad significandum magnitudinem tribulationis jer. 36: tolle volumen libri, et scribes in eo omnia quae locutus sum tibi adversus Israel et Judam. Secundo quo scribendum, stilo hominis, idest plane, ut intelligi possit, et ut scriptum maneat. Habac. 2: scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. Tertio quid scribendum, nomen scilicet vastaturi, significans futuram destructionem in brevi. Detrahe spolia, praedare hoc est depraedare.

Haec verba possunt esse Domini ad prophetam; et sic sumuntur materialiter: vel ad hostes; et sic significative.

Infra 10: et contra populum furoris mei mandabo illi ut auferat spolia, et dividat praedam. Et adhibui mihi. Hic confirmatur signum testimonio. Testes fideles. Deut. 19: in ore duorum vel trium stet omne verbum. Et accessi ad prophetissam. Hic confirmatur factum: quia aliquando prophetae pronuntiabant futurum aliquid etiam ipso facto, sicut infra 20: vade, et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis; et fecit sic, vadens nudus, et discalceatus. Unde intelligitur ad litteram quod accessit ad uxorem suam. Unde duo ponuntur: primo pueri generatio, et accessi; secundo generati vocatio, voca nomen accelera, quasi festina ad faciendum, detrahe spolia, ut supra. Vel secundum aliam litteram, Hieronymi: accelera, spolia detrahe. Et hoc melius est, quia secundum hoc, non est plus in nomine quam fuerit in scripto.

Contra hoc quidam multipliciter objiciunt quod non possit ad litteram intelligi. Primo, quia cum pauca sint quae scribi praecipuntur, non oportebat esse librum grandem. Secundo, quia non est probabile quod propheta honestus homo testes adduxerit quando accessit ad uxorem suam. Tertio quia urias fecit altare idolorum ad similitudinem altaris Damasci in templo Domini; unde non fuit fidelis testis. Quarto, quia zacharias non erat tunc vivus, quia zacharias filius joadae fuerat longe ante interfectus a joas rege Juda: 2 Paralip. 24. Alius dicitur zacharias qui fuit unus de duodecim prophetis, et fuit longe post, in reditu populi de captivitate, sicut patet Zach. 1 et per totum: ergo non potuit eum adhibere in testem. Et praeterea remanet similis objectio sicut primo, quia iste puer fuit ante mortem Phacee: ergo, ut supra probatum est, habebat in captione Samariae ad minus 19 annos: ergo falsum est quod dicitur: antequam sciat vocare patrem etc., et ideo volunt quod intelligatur tantum de Christo, sicut et primum signum; ut per librum grandem significetur sacra Scriptura, de qua habetur baruch 4: hic est liber mandatorum Dei, et lex quae est in aeternum. Per stilum hominis, modus prophetiae, ut non omnibus usquequaque pateat, sed tantum rationabilibus, qui ex figuris possunt significata concipere. Oseae 12: ego visionem multiplicavi et in manibus prophetarum assimilatus sum. Velociter: nomen Christi, idest circumlocutio nominis, quod est Jesus salvator, per hoc quod detrahit spolia, idest peccatores, a potestate diaboli, et praedatus est infernum: de quo infra 53: ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia. Per uriam, qui interpretatur lux Domini, significatur lex, Prov. 6: quia mandatum lucerna est, et lex lux. Per zachariam, qui interpretatur memoria Domini, filium barachiae, qui interpretatur benedictio Domini, significatur prophetia: quia prophetae per benedictionem divini muneris, cognitionem divinam acceperunt. Et hi, scilicet lex et prophetae, sunt testes incarnationis Christi. Luc. Ult.: necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et Psalmis de me. Prophetissa autem, beata virgo est, quae prophetavit dicens: magnificat anima mea Dominum: Luc. 1: ad quam accessit per prophetiam intelligentiam, et per fidem. Vel prophetissa dicitur spiritus sanctus, qui est principium omnis prophetiae. 2 Pet. 1: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed spiritu sancto inspirati loquuntur sancti Dei homines. Apud Hebraeos enim est feminini generis, scilicet rua secundum hoc concepit, idest concipere fecit. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est: Matth. 1: voca nomen ejus, o Isaia, idest praenuntia nomen ejus, sicut supra. Haec autem expositio non est tantae auctoritatis, sicut superior, quae fuit supra 7, de alio signo, quia magis extorta est, et ex Scripturis non habet auctoritatem, sicut illa Matth. 1. Unde quidam dicunt non esse inconveniens, si hoc intelligatur ad litteram; ita tamen quod puer iste sit figura Christi: sicut etiam supra dictum est in quadam Glossa, 7 cap. Super illud: ecce virgo.

Unde secundum hoc potest responderi ad objectiones prius factas. Et dicendum ad primum, quod liber fuit grandis, non ad necessitatem Scripturae, sed ad significandam magnitudinem tribulationis. Ad secundum dicendum, quod potest intelligi, quod testes fuerunt adhibiti ad Scripturam, sicut fit in privilegiis, et non ad

accessum ad uxorem. Et etiam si ad hoc fuissent adducti, non esset magis contra honestatem, ut videtur, quam factum de fornicatione.

Oseae 1, quod tamen ad litteram plures exponunt. Ad tertium dicendum, quod dicitur fidelis propter auctoritatem sacerdotii et non propter bonitatem vitae; vel quia fide dignus habebatur a rege. Ad quartum dicendum, quod iste zacharias neuter illorum fuit. Consuetum enim erat apud Hebraeos, sicut etiam modo apud multos, quod pueris imponantur nomina de cognatione illa: sicut dicitur Luc. 1 de joanne: quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Et sic iste potuit esse de progenie illius, qui prius interfectus fuerat: vel etiam consuetudo est apud Hebraeos, ut dicit Hieronymus, quod frequenter utantur propriis pro communibus; sicut bosra, quae est civitas munita, utuntur frequenter pro qualibet civitate munita. Et sic, quia ille zacharias fuit fidelis propheta, et in magna fama populi, vocatur iste, qui forte similiter erat fide dignus populo loci illius. Ad quintum dicendum, quod non est similis objectio: quia quod supra dictum est, oportet intelligi de destructione solum, propter hoc quod dixit (cap. 7) derelinquitur. Sed hoc potest intelligi de persecutione facta per teglathphalasar, qui destruxit Damascum, 4 Reg. 16, et spoliavit regnum Samariae, 4 Reg. 15. Unde signanter dicit: auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae. Et hoc fuit satis de propinquo.

Notandum super illo verbo, librum grandem, quod sacra pagina dicitur liber primo grandis quantum ad grande contentum. Prov. 8: audite me, quoniam de rebus magnis locutura sum, et aperientur labia mea, ut recta praedicent. Secundo signatur quantum ad visum. Infra 29: et erit vobis visio omnium, sicut verba libro signati. Tertio involutus propter multiplicem sensum. Ezech. 2: et vidi, et ecce manus Missa ad me, in qua erat involutus liber. Quarto amarus propter laboris studium. Apocalyp. 10: et accepi librum de manu Angeli, et devoravi eum, et erat in ore meo tamquam mel dulce, et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus. Proverb. 8: qui mane vigilaverit ad me, inveniet me.

Quinto dulcis quantum ad effectum. Ezech. 3: comede volumen istud: et comedi illud, et factum est in ore meo quasi mel dulce. Sexto volans quantum ad intellectum. Zach. 5: vidi, et ecce volumen volans. Job 39: numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? septimo vivificans quantum ad fructum.

Eccli. 24: haec omnia liber vitae, et testamentum altissimi, et agnitio veritatis. Proverb. 8: qui me invenerit, inveniet vitam.

#2 Lectio 2

Quia antequam sciat puer. Hic ponitur signi expositio, et secundum litteralem expositionem jam patet; secundum aliam: antequam sciat, scientia creata, patrem, putativum joseph, vel Deum, fortitudo Damasci, et spolia Samariae. Secundum hoc etiam potest referri ad captivitatem Samariae, et adjecit.

Hic describitur ipsum destructionis factum: et circa hoc tria facit. Primo ponit puniendorum culpam; secundo punientium potentiam, ecce adducet Dominus.

Tertio ponit ipsam poenam, et ascendet.

Dicit ergo primo, et adjecit. Post signum datum, aquas siloe. Siloe est quidam fons qui nascitur ad pedes montis sion, cujus aquae per horas ebulliunt, et plane vadunt: unde significant reges Juda, qui quandoque boni et potentes, quandoque mali et imbecilles fuerunt, et tamen legitime et quiete regnaverunt comparatione regum Israel, qui omnes cogebant populum ad idola.

Sed videtur quod hoc non sit eis imputandum pro culpa, quia hoc Domini voluntate factum est, sicut dicitur 3 regum 12: a me factum est verbum hoc.

Et dicendum, quod Dominus juste voluit quod reges Juda paterentur hoc damnum, propter culpam Salomonis, de quo 3 regum 11. Sed illi male et propter superbiam cordis hoc fecerunt, quia nolebant dare consueta tributa, sicut legitur 3 regum 12. Vel aliter, abjecit populus iste, idest contempserunt, et persecuti sunt sequentes malitiam duorum regum. Et haec videtur esse intentio, per id quod sequitur, et assumpsit magis Rasin, etc.: propter hoc. Hic describitur hostium potentia. Et primo ponitur metaphora quantum ad quatuor: scilicet quantum ad divinum auxilium, ecce Dominus adducet; quantum ad impetum, aquas fluminis; quantum ad robur, fortes; quantum ad numerum, et multas, infra 17: sonabunt populi, etc..

Regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus, idest exercitum ejus. Jerem. 6: ecce populus veniet de terra Aquilonis, et gens magna consurget. Glossa dicit, quod intelligit de Senacherib.

Sed contra: quia ipse non vastavit Samariam, sed Salmanasar, sicut dicitur 4 regum 18.

Ad hoc dicunt quidam, quod idem dicitur Salmanasar et Senacherib. Sed hoc patet esse falsum per id quod dicitur Tob. 1, quod mortuo Salmanasar, regnavit filius ejus pro eo. Et ideo dicendum, quod regnante Salmanasar jam sene, filius ejus erat in exercitu et forte praeerat exercitui; et ideo idem exercitus est utriusque. Unde loquitur de tota illa vastatione quae facta est per illos reges Assyriorum, quasi de uno persecutore, propter unitatem regni, et ascendet.

Hic ponit ipsam poenam, et servat metaphoram, quia aquae abundantes altiores sunt. Unde dicit: ascendet super omnes rivos, idest principes, et super ripas, terras. Ezech. 38: ascendet indignatio mea in furore meo, et in zelo meo. Et ibit per Judam. Hic ponit tribulationem redundantem in duas tribus. Et primo ponit tribulationis redundantiam: et ibit, scilicet aquarum impetus, per Judam, idest per terram Judaeae, inundans: servat metaphoram: quando enim abundant aquae, emittunt undas extra alveum suum in agros vicinos. Et dicit, ibit,

quia non habebunt perfectum Dominum, infra 28: sicut impetus aquarum, etc., jer. 47: ecce aquae descendent ab Aquilone, et erunt quasi torrens inundans, et operient terram et plenitudinem ejus, urbem, et habitatores ejus. Secundo persecutionis abundantiam: et transiens usque.

Loquitur metaphorice, quasi diceret: in tanta abundantia redundabit quod si aliquis vellet aquas transire, venirent sibi usque ad collum, et fere submergeretur in eis; in quo significatur quod fuerunt prope captivitatem, sicut ostenditur infra 36 Ezech. Penultimo: et ecce aquae redundantes a latere dextro. Intumuerunt aquae etc..

Tertio exercitus copiam: et erit extensio alarum ejus, idest principum ejus, implens, prae multitudine, latitudinem terrae tuae, idest Judaeae, o emmanuel, Christe qui de ea nasci venisti.

Misit enim principes suos Senacherib ad capiendam jerusalem; infra 36. De his alis Ezech. 17: aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus; et transportavit eam in terram chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam.

#3 Lectio 3

Congregamini populi.

Quia dixerat, quod persecutio Assyriorum aliquo modo redundaret in duas tribus: hic confortat eos, quia illa persecutione non sint finaliter captivandi, non etiam a decem tribubus et syris subjugandi. Et dividitur in partes duas. In prima ponit divinam confortationem; in secunda removet divinorum communicationem, et cum dixerint ad vos.

Circa primum duo ponit. Primo hostis irrisionem; secundo populi instructionem, haec enim ait Dominus. Circa primum duo facit. Primo ponitur irrisio vel insultatio; secundo irrisionis ratio, quia nobiscum Deus. Irridet autem pugnantium exercitum, sapientum consilium, et dominorum praeceptum.

His enim tribus bella pugnantur. Exercitus autem tribus invalescit: scilicet multitudine; et quantum ad hoc dicit: o populi syriae et Samariae congregamini, ut sitis multi, et vincemini, Deo contra vos pugnante per quoscumque suos ministros. Et non solum vos, sed audite hoc idem universae terrae. Et est sarcasmos, quaedam species tropi, quae dicitur esse quaedam plena odio atque hostilis irrisio. Joel. 3: erumpite et venite omnes gentes de circuitu, et congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.

Secundo invalescit pugnantium fortitudine corporis et animi: et quantum ad hoc dicit, confortamini.

Joel. 3: infirmus dicat, quia fortis ego sum. Tertio invalescit armorum munitione.

Accingite vos; quod pertinet proprie ad gladios, sed inde transumitur ad omnia arma. 1 Mach. 3: accingimini, et estote filii potentes, et estote parati mane ut pugnetis adversus nationes has, quae convenerunt disperdere nos et sancta nostra.

Quantum ad consilium: inite consilium et dissipabitur.

Job 5: qui comprehendit sapientes in astutia eorum, et consilia pravorum dissipat.

Proverb. 21: non est sapientia, et non est prudentia, non est consilium contra Dominum.

Quantum ad praeceptum dominorum de his quae post consilium eliguntur: loquimini verbum, et non fiet. Supra 7: ponamus regem in medio ejus.

Reges enim quae eligebant annuntiabant plebi, ut dicit Hieronymus. Rationem ponit, interpretando nomen emmanuel, quia nobiscum Deus. Rom. 8: si Deus pro nobis, quis contra nos? jer. 15: et bellabunt adversum te, et non praevalerunt: quia ego tecum sum, ut salvem te, et eruam te: dicit Dominus.

Haec enim ait. Hic ponitur populi instructio: et primo docet quid non timendum, secundo quid timendum, Dominum exercituum.

Prima dividitur in duas partes: scilicet in doctrinae probationem, et in ipsius traditionem, ibi, non dicatis. Probat autem non esse timendos hostes, dupliciter. Primo per Domini praeceptum: unde dicit, ita vincemini, o hostes, enim, idest quia, haec, quae dicta sunt, ait Dominus ad me; et ideo ne timeatis. Num. 23: non est Deus quasi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur. Secundo suo exemplo: ait: dico ad me, dicens ad vos quae sequentur ad erudiendum vos, sicut erudivit me, idest ne imitarer eos in malitia sua; et hoc in manu forti, idest in tribulatione. Vel non solum docens quid faciendum, sed etiam dans gratiam virtutis ad complendum.

Thren. 1: de excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me. Ne dicatis.

Hic ponitur ipsa doctrina. Et primo prohibet timoris verbum: non dicatis, conjuratio, duarum gentium, quasi, nobis timenda est: omnia enim quae loquitur populus conjuratio est, contra me. Unde si me sociant vobis in conjuratione, sentient me vobis socium in defensione. Exod. 16: non contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum. Infra 50: stemus simul. Quis est adversarius meus? accedat ad me. Secundo prohibet passionis motum: et timorem ejus ne timueritis.

Timor et pavor differunt secundum magis et minus: timor enim facit motum cordis secundum systolem, sed pavor quasi immobilizat cor.

Psalm. 26: si consistant adversum me castra.

Dominum exercituum.

Hic instruit eos quomodo timendus sit: et primo ponit legem; secundo legis absconsionem, signa legem.

Circa primum tria facit. Primo ponit legis praeceptum; secundo obedientium fructum, et erit vobis; tertio poenam rebellium, in lapidem autem. Praeceptum autem est ut Deus honoretur: sanctificate Dominum exercituum, in

vobis ipsis, et in sanctitate serviatis ei: ipse pavor vester, in quantum Dominus. Ps. 111: beatus vir qui timet Dominum: ipse terror, in quantum ultor. Matth. 10: nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest animam et corpus perdere in Gehennam.

Hoc exponit Petrus de Christo (1 Pet. 3): timorem autem eorum ne timueritis et non conturbemini.

Et videtur intentio prophetarum propter ea quae sequuntur.

Nota super illo verbo, sicut in manu forti eruditur quod est manus divina triplex. Primo est manus divinae potentiae; et haec est triplex.

Primo creantis. Job 10: manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me: secundo continentis: Psal. 94: in manu tua, Domine, omnes fines terrae; tertio protegentis: Is. 49: in umbra manus suae protexit me. Secunda est manus justitiae; et ista est triplex. Prima tangens ad probandum.

Job 19: manus Domini tetigit me: secunda flagellantis, ad purgandum. 2 Mach. 6: nam et si in praesenti tempore a suppliciis hominum eripiar; sed manus omnipotentis neque vivus, neque defunctus effugiam: tertia opprimentis ad condemnandum. Hebr. 10: horrendum est incidere in manus Dei viventis. Tertia manus est manus misericordiae: et ista est triplex. Prima sanantis.

Job 5: ipse vulnerat, et medetur: percutit, et manus ejus sanabunt; secunda pascentis: Psal. 94: populus pascuae ejus et oves manus ejus; tertia coronantis. Sap. 5: accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.

Et erit vobis. Hic ponit obedientium fructum. In sanctificationem: sanctos faciet vos. Lev. 22: ego Dominus, qui sanctifico vos.

In lapidem. Ponit rebellium impredientium poenam, sub metaphora viatorum: et primo ponit poenae occasionem; secundo poenae perceptionem, et offendent. Occasionem autem ponit primo quantum ad populum; secundo quantum ad principes, in laqueum.

Primum ostendit sub metaphora lapidis existentis in via, qui dupliciter impedit viatorem: scilicet per pedis laesionem, et per casum occasionem: et similiter Christus fuit incredulis ex Judaeis occasio laesionis et casus, non ex culpa sua, sed illorum. Dicit ergo: erit duabus domibus Israel, idest infidelibus de decem et duabus tribubus; vel Scribis et Pharisaeis, in lapidem offensionis, quantum ad laesuram.

Roman. 9: offenderunt enim in lapidem offensionis. Et in petram scandalum, in qua pes impingit ad casum. Scandalum Graece, Latine pedis impactio 1 Cor. 1: nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Et quia principes magis Christo restiterunt, ideo quantum ad eos aggravat. Et erit habitantibus Jerusalem, quae erat urbs principum, in laqueum, sicut animalia capiuntur laqueo; et hoc est gravius quam offensio. Infra 24: qui se explicuerit de fovea, incidet in laqueum. Et in ruinam, quod est magis quam casus simplex. Luc. 2: ecce hic positus est in ruinam. Et quia occasiones quandoque aliquis devitat, et non incurrit; ideo hoc removet, et ostendit poenae perceptionem, et dicit, et offendent, contra id quod dixit, offensionis, per infidelitatem; contra scandalum cadent, a dignitate regni. Matth. 8: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Conterentur, quantum ad ruinam poenae, famis et gladii. Matth. 21: qui ceciderit super lapidem istum, confringetur.

Super quem vero ceciderit, conteret eum.

Quantum ad laqueum dicit, irretientur, funibus peccatorum, et perplexitatum, quae quia non rumpentur, capientur, a Romanis. Prov. 5: funibus peccatorum suorum constringitur. Liga testimonium. Hic ponit legis clausionem, et primo ponitur legis absconsio. Ibi liga testimonium, idest involve prophetiam de Christo obscuritate, ne videant Judaei, quia indigni sunt.

Signa legem. Signa duo significat. Quandoque claudere sub sigillo; et sic dicit: signa legem, veterem sub figuris, in discipulis meis, idest quousque discipuli mei aperiant praedicando per mundum.

Dan. 12: claudere sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. Vel in discipulis meis, absconde. Quandoque significat expressionem figurae. Psalm. 4: signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Et sic signa in anima discipulis meis. Secundo absconditi expectationem, expectabo. Michaeae 7: ego autem ad Dominum aspiciam: expectabo Deum salvatorem meum. Tertio expectati praesentationem, ecce ego, Christus scilicet, et pueri mei, apostoli, quos dedit mihi Dominus: Joan. 17: tui erant, et mihi eos dedisti; in signum, idest ut faciant signa, et in portentum, mirum quod sua magnitudine portendit; et hoc fiet a Domino qui habitat, per cultum, vel per fidem, sion, ecclesia, Zach. 3: audi, Jesu sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Quidam exponunt hoc de Isaia. Et pueri, prophetae, secundum hoc. Infra 20: sicut ambulavit servus meus Isaia nudus et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Aegyptum et super Aethiopiam. Quidam de filiis Isaiae, et hoc falsum.

#4 Lectio 4

Et cum dixerint ad vos.

Hic removet divinorum communicationem: et circa hoc tria facit. Primo ponitur hostium communicatio: et cum dixerint, hostes vestri: quaerite a Pythonibus, qui vobis praedicunt mala, et nobis bona. Python Hebraice os abyssi. Et dicit Hieronymus, quod dicuntur ab Apolline pythio, quia hoc genus artis magicae invenit, per quod videntur mortui suscitari, et de futuris aliqua praedicere: sicut legitur 1 Reg. 28. Rabanus dicit, quod est nomen maligni spiritus. Item Hieronymus dicit, quod dicitur Python qui habet diabolum in ventre. Et a divinis, quia sibi

actum Dei vindicant in praedictione futurorum, et praecipue quantum ad cultum falsorum deorum. Qui strident, quasi insani. 3 Reg. 18: clamabant voce magna, et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine. Deut. 18: ne sit maleficus, neque incantator, neque Pythones consulat, neque divinos, et quaerat a mortuis veritatem.

Omnia enim haec abominatur Dominus.

Secundo docetur responsio. Numquid non populus erat fidelis a Deo suo, vero; pro vivis ac mortuis, idest pro salute vivorum ac mortuorum, IV Reg. 1: numquid non erat.

Vel vivis et mortuis, idest loco deorum vestrorum, qui sunt simulatus hominum mortuorum et vivorum. Vel quaerimus visionem pro vivis mortuis, sicut vos, scilicet a diis vestris, qui sunt similes mortuis. Ad legem magis, quae prohibet talia, vel quae docet quidem expectandum testimonium, Scripturae. Tertio ponit inobedientium comminationem: quod si non dixerint.

Et facit tria. Primo comminatur poenam; secundo in poena impatientiam; et cum esurierit; tertio desperationis tristitiam, et suspiciet.

Dicit ergo primo: quod si non dixerint juxta hoc verbum, respondentes scilicet, vel faciemus quod non erit eis matutina lux, idest Christus tenebras pellens. Joan. 1: erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Et pertransibit per eam, congregationem, ad alios, non manens in eis: infra 58: ecce adsum: quia misericors sum Dominus Deus tuus: et corrueat in damnationem, et verbum Dei esuriet, Amos 8: ecce ego mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquae; sed audiendi verbum Dei. Vel lux consolationis: et corrueat, in damnationem: supra 3: ruit jerusalem, et Juda concidit: et esuriet, pane; et cum esurierit.

Hic comminatur in poena impatientiam quantum ad iram cordis irascetur.

Psalm. 58: si non fuerint saturati, murmurabunt.

Quantum ad blasphemiam oris, et maledicet. Apoc. 16: et blasphemaverunt Deum caeli prae doloribus et vulneribus; et non egerunt poenitentiam ex operibus suis. Et suspiciet sursum. Hic ponit desperationis tristitiam: et primo expectationem auxilii: suspiciet sursum, de caelo quaerens auxilium, et ad terram intuebitur, ad auxilium de terra. Supra 5: aspiciet in terra, et ecce tenebrae tribulationis. Secundo imminentiam periculi: et ecce tribulatio, praevisa, et tenebrae, quantum ad consilium resistenti; dissolutio, contra confortationem; et angustia, quantum ad perplexitatem; et caligo persequens, quantum ad persecutionem.

Apoc. 16: factum est regnum eius.

Tertio liberationis impossibilitatem ad similitudinem avis captae. Et non poterit avolare de angustia sua. E contrario est de justis. Psalm. 123: laqueus contritus est, et nos liberati sumus.

|+9 Capitulum 9

|#1 Lectio 1

Primo tempore alleviata est terra.

Hic ponit destructionis modum et ordinem: et primo secundum diversitatem punitorum; secundo secundum diversitatem poenarum; ibi, verbum misit.

Prima in tres, secundum tres persecutiones factas ab Assyriis in terram promissionis.

Primo enim teglathphalasar, regnante Phacee in Samaria, captivavit duas tribus et dimidiam quae erant ultra jordanem, respectu jerusalem, et de tribu zabulon et Nephtali, quae erant citra jordanem, tantum quod posset aequiparari dimidiae tribui. Et quantum ad hoc dicit: primo tempore, idest tempore primae captivitatis, terra zabulon, et terra Nephtali alleviata, idest minorata habitatoribus suis; quod forte remanentibus non fuit multum grave, quia remanserunt eis plures possessiones.

Et de hoc dicitur 4 Reg. 15. Secundo venit Salmanasar nono anno Oseae, et captivavit residuos ex decem tribubus, qui erant citra jordanem respectu Judaeae; et quantum ad hoc dicit: novissimo, idest in ultima captivitate generali decem tribuum, via maris, idest regio per quam itur ad mare Genesareth, Galilaeae, idest, quae est in Galilaea, gentium, quae est trans jordanem, respectu Assyriorum, quamvis citra respectu Judaeae, aggravata, idest gravi pondere tribulationis pressa. Est autem duplex Galilaea. Una in tribu zabulon, alia in tribu Nephtali, vicina tyriis; et dicitur gentium ista, vel propter multas gentes quae habitabant ibi, vel propter dominium, quia dederat eam Salomon regi tyri; 4 Reg. 17. Tertio venit Senacherib, et civitates Juda cepit, et jerusalem obsedit, sicut dicitur 4 regum 18. Et de ista tertia persecutione loquitur hic propheta dicens, populus; et promittit Judaeis salutem. Unde duo facit. Primo promittit salutis gratiam; secundo assignat causam, zelus Domini exercituum. Circa primum tria facit.

Primo promittit salutem; secundo prosequitur salvationis ordinem, ibi, multiplicasti; tertio describit ipsum salvatorem, ibi, parvulus.

Promittit autem eis salutem contra duo; contra perplexitatem: et quantum ad hoc dicit: populus, Judaeae, qui ambulabat, idest procedebat in negotiis suis, in tenebris, dubietatis, vidit lucem magnam, diem consolationis: contra poenae gravitatem: habitantibus in regione umbrae mortis, idest Judaeae, quae propter gravem persecutionem erat similitudo mortis, lux orta est eis, divinae consolationis.

Infra 60: surge, illuminare, jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Multiplicasti gentem, hic ponit salvationis processum et ordinem quantum ad quatuor. Primo quantum ad hostium frustrationem, et quantum ad hoc dicit, multiplicasti gentem, in exercitu Senacherib, et non magnificasti eis laetitiam, ut implerent quod proposuerant. Job 5: consilia pravorum dissipat secundo hostium spoliationem: quod fuit quando illis interfectis ab Angelo, sicut dicitur infra 36, populus egressus est ad colligenda eorum spolia: unde comparatur messoribus et victoribus. Laetabuntur. Infra 35: gaudium et laetitiam obtinebunt, et fugiet ab eis dolor et gemitus. Tertio servitutis liberationem. Tyranni enim onerant praeceptis; et quantum ad hoc dicit, jugum enim oneris ejus, Senacherib quod deposuit: affligunt poenis: et quantum ad hoc dicit, et virgam humeri ejus, idest qua humeros verberabant: spoliant rebus; et ideo dicit, sceptrum exactoris ejus. Infr. 14: quomodo cessavit exactor, quievit tributum? ita fiet; sicut in die Madian, idest sicut Gedeon madianitas dejecit: jud. 7. Quarto quantum ad hostium punitionem. Et haec evenient, quia omnis violenta praedatio; idest, violenti praedatores, quantum ad nocumentum quod inferebant in rebus, et vestimentum mixtum sanguine, eorum quos occidebant, quantum ad nocumentum inflictum in personis, erit in combustione: ad litteram enim combusti fuerunt. Infra 10: et subtus gloriam ejus ardebit succensa quasi combustio ignis. Parvulus enim natus est nobis.

Hic describit salvatorem: et primo quantum ad receptionem; secundo quantum ad nominationem, ibi, et vocabitur; tertio quantum ad potestatem, ibi, multiplicabitur ejus imperium. Recepimus autem in natura nostra, in nativitate: parvulus natus est nobis. Lucae 2: evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Recipimus in notitiam nostram, in patris attestazione. Matth. 17: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite. Bernardus: puer leviter placari potest, facile condonat: pauperes sumus, et parum dare possumus; tamen pro illo parvulo possumus reconciliari erga Christum parvulum, si volumus. Et filius datus est. Recipimus etiam eum in divina reverentia per passionem.

Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum: Phil. 2. Et factus est principatus, idest crux, per quam in principatum exaltatus est. Joan. 19: et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur calvariae locus. Et vocabitur. Hic ponit ejus nominationem: et primo nomen exprimens sapientiam divinam. Admirabilis. Ps. 138: mirabilis facta est scientia tua ex me. Unde omnia opera ejus mirabilia fuerunt, et praecipue in unione naturarum in una persona.

Quantum ad humanam, consiliarius, consilia praeceptis superaddens. Eccl. 6: consiliarius tibi sit unus de mille. Exprimens potentiam divinam, Deus. Infra 45: vere tu es Deus absconditus. Humanam, fortis, in virtute. Job 9: sapiens corde est, et fortis robore. Tertio nomen exprimens bonitatis affluentiam quantum ad divinam. Pater futuri saeculi, idest generans filios in gloriam. Heb. 2: decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. Infra 22: et erit quasi pater habitantibus jerusalem. Quantum ad humanam, princeps pacis, in quantum est mediator.

Ipsa enim pax nostra, qui fecit utraque unum: Eph. 2. Gen. 23: princeps Dei es apud nos etc..

Multiplicabitur. Hic describit ejus potestatem: et primo quantum ad regni magnitudinem; secundo quantum ad regni nobilitatem, super solium, tertio quantum ad aeternitatem, amodo, et usque.

Circa primum duo ponit. Primo regni magnitudinem, multiplicabitur ejus imperium. Dan. 7: et omnes reges servient et obedient ei.

Quantum ad pacis quietem, et pacis non erit finis.

Infra 26: servabis pacem quia in te speravimus.

Super solium David. Hic describit regni nobilitatem. Super solium David, idest super ecclesiam, quae significatur in regno David. Luc. 2.

Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus.

Quantum ad effectum regni, ut confirmet, ad resistendum, et corroboret, etiam ad impugnandum, in judicio, idest per judicium. Jer. 23: regnabit rex, et faciet judicium et justitiam in terra. Quantum ad aeternitatem, amodo, idest a tempore incarnationis, et usque in sempiternum. Dan. 7: potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur. Ultimo ponit motivum ad dandum: zelus, idest amor Dei patris. Joan. 3: sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret. Judaei exponunt hoc de ezechia.

Sed patet quod regnum ejus non fuit corroboratum in aeternum, nec nomina conveniunt sibi, quae significant divinam eminentiam. Propter quod septuaginta subticuerunt, et posuerunt loco illorum, magni consilii Angelus.

Notandum super illo verbo, parvulus natus est, quod Christus dicitur parvulus primo in nativitate propter aetatem. Matth. 2: intrantes domum invenerunt puerum cum maria matre ejus. Secundo possessione, propter paupertatem. 2 Cor. 8: scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives. Tertio corde, propter humilitatem. Matth. 11: discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Quarto morte, propter mortis vilitatem.

Sap. 2: morte turpissima condemnemus eum.

Notandum super illo verbo, datus est nobis, quod Christus datus est nobis primo in fratrem.

Cant. 8: quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae? secundo in doctorem.

Joel. 2: filii sion, exultate, et laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiae.

Tertio in speculatorem. Ezech. 33: fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.

Quarto in propugnatorem. Is. 19: mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos. Quinto in pastorem Ezech. 34: et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascet eas. Sexto in exemplum operationis. Joan. 13: exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Septimo in cibum peregrinationis. Joan. 6: panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Octavo in pretium redemptionis. Matth. 20: filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. Nono in praemium remunerationis.

Apoc. 2: vincenti dabo edere manna absconditum.

Item notandum super illo verbo, super humerum ejus, quod Deus posuit super humerum Christi primo peccata, sicut supra satisfactorem. Is. 53: Deus posuit super eum iniquitatem omnium nostrum. Secundo clavem, sicut supra sacerdotem.

Is. 22: et dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat.

Tertio principatum, sicut supra dominatorem. Is. 9: factus est principatus super humerum ejus. Quarto gloriam, sicut supra triumphatorem. Is. 22: et suspendam super eum omnem gloriam domus patris ejus.

#2 Lectio 2

Verbum misit Dominus in Iacob.

Hic exequitur ordinem punitionis, secundum diversitatem poenarum: et primo commemorat culpam; secundo exequitur poenam, et elevabit.

Arguit autem in eis culpam dupliciter. Primo quantum ad transgressionem divini praecepti: unde dicit: verbum misit Dominus in Iacob, idest in Juda, vel in toto populo, ut de Juda constituerentur duces. Gen.

Penult.: non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus. Iud. 9, 1 Reg. 15. Et cecidit in Israel, idest frustratum est in Israel, idest in decem tribubus, qui dimiserunt domum David: 3 Reg. 12: vel verbum legis universaliter. Oseae 4: si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda.

Secundo quantum ad executionem facti, inquantum dicebant se bene fecisse caecati superbia: quia tumor mentis obstaculum est veritatis: et ideo dicit: et omnis populus ephraim; idest decem tribuum, et habitantes Samariam, quantum ad principes populi: sciet, idest recognoscet se, et culpam suam in poena; quia oculos quos culpa claudit, poena aperit. Dicentes in superbia et magnitudine cordis, inquantum in corde suo super alios se aestimabant: et magnitudine, quantum ad praesumptionem magnorum quae proponebant. Lateres, idest reges de Juda qui erant firmi, ceciderunt, a nobis; sed quadris lapidibus, idest fortibus regibus ex nobis aedificabimus regnum nostrum. Succiderunt, scilicet hostes, ut syri, sycomoros, idest reges Judae infructuosos: cedros, idest sublimes ex nobis immutabimus, idest ponemus loco illorum. Supra 7: ponamus regem in medio ejus filium tabeel.

De superbia eorum infra 28: vae coronae superbiae ebris ephraim. Et elevabit. Hic exequitur diversitatem poenarum quantum ad tria in quibus confidebant. Primo comminatur contra foederationem vicinorum; secundo contra utilitatem personarum quas se aestimabant habere, ibi, et disperdet Dominus; tertio contra multitudinem populorum, succensa est.

Circa primum duo facit. Primo ponitur punitio; secundo ulterioris poenae praeparatio, in omnibus.

Comminatur autem duo. Primo futuram destructionem.

Et elevabit Dominus hostes Rasin, idest Assyrios, in tumultum, belli, de quo 4 Reg. 16. Secundo persecutionis impugnationem: et adducet Dominus syriam ab oriente, secundum situm terrae, qui erant amici, et Philistiim ab occidente, qui Judam impugnabant; et devorabunt Israel, destruent, toto ore, idest toto affectu. Habac. 3: exaltatio eorum sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. In omnibus his non est aversus furor ejus. Hic ponitur poenae praeparatio; et secundo assignatur ratio, et populus.

Praeparatio autem ponitur in voluntate: non est aversus furor. 4 Reg. 23. Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam. Et quantum ad potestatem, manus ejus. Loquitur more humano. Supra 1: et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriis tuam. Ratio addendi poenam poenae est incorrigibilitas populi; et hoc est quod dicit: et populus non est etc., jerem. 2: frustra percussi filios vestros: disciplinam non receperunt. Disperdet Dominus. Hic comminatur contra confidentiam de utilitate personarum: et primo ponitur punitio; secundo ulterioris poenae praeparatio, in omnibus his.

Personae autem utiles videbantur, vel ad defensionem; et contra hos primo: vel ad divinae misericordiae provocationem; et contra hos, ibi, propter hoc super. Circa primum tria facit. Primo ponitur dignitas et culpa, sub metaphora: incurvantem, quantum ad principem, contra rectitudinem iustitiae; depravantem vel refrenantem, scilicet prophetam, Ez. 13: et violabant me ad populum meum. Secundo exponit metaphoram.

Longaevus, docens mendacium. Ezech. 22: prophetae autem ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana et divinantes eis mendacia.

Tertio ponit poenam: et erunt seducentes, qui beatificant; et seducti, et qui beatificantur, supra 3: popule meus: qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt.

Oseae 4: corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum. Propter hoc.

Hic contra personas utiles ad misericordiam provocandam, vel propter carnis integritatem, adolescentulis, scilicet virginibus, vel propter aetatem, et pupillorum, vel propter infirmitatem, viduarum. Et primo ponitur punitio, non

miserebitur; secundo ponitur ratio quantum ad simulationem in opere. Hypocrita, quantum ad malitiam in corde, et nequam, quantum ad falsitatem in ore, et universum os.

Job 8: spes hypocritae peribit.

In omnibus, ut supra exponitur. Succensa.

Hic comminatur contra confidentiam de multitudine populi seditionem, deinde poenae ulterioris praeparationem, in omnibus.

Circa primum duo facit. Primo ponitur metaphora ignis; secundo famis, et declinabit ad dexteram.

Circa primum duo facit. Primo ponit metaphoram; secundo expositionem, in ira Domini.

Comminatur autem poenam seditionis sub metaphora combustionis.

Unde primo ponit causam combustionis efficientem, succensa est; ac si dicat: impietas vestra est sicut ignis accensus ad comburendum vos. Infra 50: ecce omnes vos accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri. Secundo materialem, vepres, idest populum vitiosum, supra 5: ascendent vepres et spinae super eam. Secundo ipsam combustionem: succendetur in densitate saltus, idest in sylva, in qua sunt multae arbores; et significatur multitudo populi: et effectus, convolvetur superbia, idest altitudine fumi: fumus enim ascendens ex igne, involvit cacumina arborum; et tribulatio seditionis obtenebrat visum hominum. Joelis 1: ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis.

In ira, quae est quasi ignis. Nahum. 1: indignatio ejus effusa est ut ignis (materialis) et erit populus, infra 50: ambulate in lumine ignis vestri. Vir fratri suo. Hoc exponitur quantum ad ipsam combustionem. Et declinabit ad dexteram. Hic comminatur eandem poenam sub metaphora famis. Et primo ponit metaphoram, declinabit, quasi facta videantur, ad dexteram, per quam: amici; esuriet, adhuc malum facere. Ad sinistram, inimicos. Carnem brachii, consanguineos. Secundo exponit quantum ad consanguineos. Manasses ephraim et ephraim Manassen, qui ambo fuerunt filii Joseph.

Tertio quantum ad hostes: simul ipsi contra Judam.

Jerem. 9: omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet.

Supra 3: et irruet populus vir ad virum, unusquisque ad proximum suum. In omnibus non est aversus furor meus; sed manus etc.. Expone omnia ut supra.

|+10 Capitulus 10

|#0 Lectio 0

Vae qui condunt leges.

Hic incipit comminari contra hostes corporaliter persequentes alienigenas: et primo contra vastantes; secundo contra vastitati congaudentes. In fine 14 cap. In anno quo mortuus est rex Achaz, prima in duas. In prima contra Assyrios captivantes decem tribus, et affligentes duas; in secunda contra Babylonios captivantes duas. Cap. 13: onus Babylonis. Prima in tres. In prima comminatur hostium destructionem; in secunda promittit populi reintegrationem, cap. 11 (et egredietur; in tertia ponit gratiarum actionem, cap. 12): confitebor.

Hoc autem capitulum dividitur in duas partes. In prima comminatur contra principes duarum tribuum, qui in Assyriorum auxilio confidebant, scilicet Achaz, sub quo haec visio scripta est, ut legitur 4 regum 16; in secunda contra ipsos Assyrios, vae Assur. Tamen aliqui incipiunt ibi 10 caput; et tunc esset facilius, quia sic haec pars esset in dividenda praecedenti. Prima dividitur in duas. In prima ponitur comminatio; in secunda ostenditur ulterioris poenae praeparatio, super omnibus.

Prima in duas. In prima arguit culpam; in secunda comminatur poenam, quid facietis? culpam principum arguit quantum ad duo; quantum ad perversam legislationem, vae qui condunt leges iniquas, secundum quod lex firmatur principis edicto; et scribes, secundum quod confirmatur scripto. Rom. 10: ignorantes enim Dei justitiam, et suam quaerentes statuere, justitiae Dei non sunt subjecti. Matth. 15: quare transgreditur etc.. Secundo quantum ad intentionem opprimendi impotentes, vel propter paupertatem: pauperes; vel propter ignobilitatem: humilium, (Amos 2): conterent sicut pulverem, etc.; (vel) propter sexus infirmitatem: viduae; vel propter aetatem: pupillos, supra 1: pupillo non iudicant etc.. Quid facietis? hic comminatur poenam. Et primo aufert evasionis remedium; et hoc triplex: confidentiae secundum propriam potentiam: quid facietis in die? quantum ad praemunionem hostium, vel quantum ad praedictionem prophetarum. Oseae 9: quid facietis in die solemnium, in die festivitatis Domini? Nahum 1: ante faciem indignationis ejus quis stabit? secundo quantum ad potentiam amicitiam: ad cuius confugietis auxilium? job 6: ecce non est auxilium mihi in me necessari quoque mei recesserunt a me. Tertio quantum ad divitiarum gloriam: et ubi derelinquetis gloriam vestram? quasi dicat: quae vobis non proderit.

Sapient. 5: quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? secundo exprimit poenae modum: et primo captivitatis: ne incurvemini. Supra 2: et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum.

Secundo interfectionis: et cum interfectis cadatis Ezech. 32: omnes hi interfecti ruentes gladio. Super omnibus his.

Hic ponitur ulterioris poenae praeparatio.

Ut supra exponatur. Vae Assur. In parte ista comminatur contra ipsos Assyrios. Et dividitur in duas partes. In prima ponitur hostium opprimentium comminatio; in secunda populi oppressi confortatio, propter hoc dicit. Prima in tres. In prima arguit culpam; in secunda comminatur poenam, propter hoc immittet; in tertia ostendit poenae effectum, et erit.

Culpa autem consistit in transgressione praecepti, vel abusu auctoritatis: unde dividitur prima pars in tres. In prima ponitur auctoritatis commissio; in secunda auctoritatis abusus, ipse autem non sic, in tertia abutentis elatio. Et erit cum impleverit.

Circa primum tria facit. Primo committitur flagellandi officium; secundo designat flagellis dignum, ad gentem fallacem, tertio imponit flagellis modum, ut auferat spolia. Circa primum tria designat. Flagellantem: vae, tibi imminet, Assur, qui es virga furoris mei: flagellandi potestatem, baculus, per quem ego flagello, in manu eorum, idest in potestate, idest in executione: et flagellationem: indignatio mea, complebitur per eos.

Infra 14: contrivit Dominus baculum impiorum; virgam dominantium. Ad gentem fallacem.

Hic describit flagellis dignum, et quantum ad culpam: gentem fallacem, quia non servat promissum: Exod. 19: cuncta quae locutus est Dominus faciemus: et quantum ad sententiam, populum furoris, idest quem jam adiudicavi puniendum, mittam, inspirabo vos esse puniendos. 4 Reg. 18: Dominus dixit mihi: ascende ad terram hanc, et demolire eam. Ad, idest contra, ut auferat. Hic imponit flagellis modum quantum ad detractionem rerum.

Auferat spolia, ad detentionem; diripiat, quantum ad hominum oppressionem; ponat quasi lutum, prae vilitate. Ps. 17: ut lutum platearum delebo eos. Ipse autem.

Hic ponitur abusus potestatis concessae, inquantum excessit fines mandati; et primo ponitur ejus propositum; secundo ponitur propositi motivum, dicit enim: circa primum duo facit.

Primo dimittit praefixam mensuram et quantum ad rationis iudicium, non sic arbitrabitur, et quantum ad cordis propositum, non ita aestimabit, hoc est taxabit poenam. Secundo adauget poenam et quantum ad modum, ad conterendum, hoc est: omnia disperdendum; et quantum ad numerum, gentium immo plurium, non solum ad illos ad quos mittebatur. Habac. 2: cogitasti confusionem domui tuae, concidisti populos multos, et peccavit anima tua.

Dicit enim.

Hic ponitur motivum: et primo assumit; secundo concludit, sic faciam jerusalem, et simulacris. Circa primum primo assumit servitutem regum: numquid non reges simul et principes mei? Habac. 1: ipse de regibus triumphat, et tyranni ridiculi ejus erunt. Secundo subjugationem civitatum: numquid non ut charcamis? infra 37: vere enim, Domine, desertas fecerunt reges Assyriorum terras et regiones earum. Tertio destructionem deorum: quomodo invenit manus mea regna idoli. Admirative; quasi dicat: quomodo fuit hoc quod dii illi non restiterunt mihi. 4 Reg. 18: quinam illi sunt in universis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit Deus eruere jerusalem de manu mea? sic faciam jerusalem, et simulacris eius.

Hic concludit primo a gentibus ad totum populum Israel: sic et simulacra.

Secundo ex decem tribubus ad duas; numquid non sicut. De Samaria verum dixit, quia colebant idola: sed de jerusalem abstulerat ezechias: 4 Reg. 18. Et forte aliqua remanserunt occulte, quae invenit in parte civitatis, quam tradidit ei sobna Scriba. Vel vocat simulacra arcam, et alia quae erant in ornatum templi, Ez. 25: ecce sicut omnes gentes, etc..

Et erit cum impleverit. Hic arguit eius superbiam, et primo ponitur superba gloriatio; secundo gloriandi occasio, dicit enim: tertio gloriantis increpatio, numquid gloriabitur.

Dicit ergo: et erit cum impleverit Dominus cuncta opera sua, poenas scilicet, quibus vult corrigere, magnifici cordis, quantum ad praesumptionem de faciendis. Et super gloriam, quantum ad elationem de factis. Supra 2: oculi sublimes hominis humiliati sunt. Dixit enim: hic ponit gloriae occasionem ex magnis quae fecerat: et primo quantum ad facientis conditionem; secundo quantum ad facti magnitudinem, et abstuli; tertio quantum ad faciendi facilitatem, et invenit. Et dicit facientis conditionem quantum ad potentiam bellorum, in fortitudine, quantum ad sapientiam consiliorum, et in sapientia. Deut. 32: sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: manus nostra excelsa. Facti autem magnitudo pensatur ex tribus. Ex multitudine regnorum: unde dicit, abstuli terminos. Loquitur ad similitudinem ejus qui acquirit multos agros, qui aufert terminos quibus diversorum possessiones dividebantur.

Quantum ad spoliationem principum, et principes; quantum ad subjugationem regum. Et detraxi quasi potentes in sublime, scilicet in solio regni, Dan. 5: quos volebat exaltabat, et quos volebat humiliabat.

Facilitas autem faciendi determinatur quantum ad tria. Quantum ad plenariam subjectionem: et invenit, quasi nidum manus, qui est in potestate invenientis.

Infra 16: et erit sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes. Quantum ad facilem destructionem, et sicut colliguntur ita de facili, Habac. 2: et congregabit ad se omnes gentes, et coacervabit ad se omnes populos.

Quantum ad sublatam omnem contradictionem: et non fuit qui moveret pennam, idest manum: penna avis se defendit, et aperiret os, ad contradicendum, et ganniret: quod est vulpium vel avium ad plangendum. Ezech. 24: fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga; et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymae tuae. Numquid gloriabitur.

Hic ponitur gloriantis increpatio; quia etiam est sicut instrumentum, quod non potest operari, nisi motu artificis. Securis, ad mactandum malos. Exaltabitur serra, ad discernendum bonos a malis. Virga, ad corrigendum. Baculus, ad sustentandum correctos.

Job 15: quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones? propter hoc immittet.

Hic comminatur poenam: et circa hoc tria facit. Primo comminatur poenae iudicium; secundo determinat poenae modum, et subter gloriam; tertio poenae effectum, et erit terrore. In pinguibus, potentibus et divitibus. Infra 25: et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium. Et subter. Hic determinatur poenae modus, qui fuit per combustionem; et ponuntur tria. Primo poenae species, gloriam ejus, idest multitudo exercitus, Prov. 9; subter, idest sub vestibus, quia vestimentis illaesis corpora cremata sunt. Supra 1: et erit fortitudo tua ut favilla stupae, et opus vestrum quasi scintilla.

Secundo poenam inferens, sanctus Israel, Deus, vel Angelus michael, cui commissus fuit ille populus.

Dan. 10: et ecce michael unus ex principibus primis venit in adiutorium meum. In ignem, quia per ignem puniet eos. Soph. 1: in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

Tertio poenam patiens; et quantum ad minores, spina et vepres, quae non multum crescunt; et gloria saltus ejus Libani, quantum ad magnos, quos propter dignitatem comparat altis arboribus: Libani, quia et in anima et in corpore mortui sunt. Supra 9: succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit; et succendetur in densitate saltus, et convolvetur superbia fumi. Et erit terrore. Hic ponitur poenae effectus. Et primo in hostibus quantum ad fugam, et erit terrore profugus; quantum ad paucitatem, et reliquiae ligni, quia ad litteram Senacherib cum paucis fugit, scilicet cum decem, Deut. 28: remanebitis etc.; secundo effectum in populo. Et erit, quantum ad tria in quibus offendebant: scilicet in confidentia gentium.

Super eo qui percutiet eos, quia illi a quibus auxilium petebant, quandoque etiam affligebant eos.

Qui fugerint, vel ad ezechiam, vel ad alias gentes.

Ezech. 29: innitentibus eis. Secundo quantum ad cultum idolorum, et quantum ad modum, quia in veritate reliquiae; contra id quod dicitur 3 Reg. 18: usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem baal, sequimini illum. Et quantum ad conversos, reliquiae Jacob, qui relinquuntur ab Assiriis (Ier. 31): salva Domine populum tuum (reliquias Israel) et confirmat promissionem: si enim fuerit. Gen. 22: multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, et velut arenam quae est in littore maris. Tertio quantum ad justitiam operum.

Et primo ponit promissionem: consummatio abbreviata, idest destructio in brevi facta in exercitu Senacherib, inundabit justitiam, idest faciet inundare justitiam in populo. Infra 26: misereamur impio, et non discet justitiam. In terra sanctorum iniqua gessit. Secundo ponit confirmationem: consummationem enim. Nahum 1: in diluvio praetereunte consummationem faciet loci ejus. In medio terrae, idest in jerusalem, quae est in medietate terrae. Ezech. 5: ista est jerusalem; in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras. Apostolus ad Rom. 9, exponit de reliquiis salvandorum. Et verbum abbreviatum, secundum septuaginta, est verbum evangelii.

Matth. 22: in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae. Vel verbum incarnatum: propter hoc haec dicit Dominus. Hic ponitur populi confortatio: et circa hoc duo facit.

Primo ponit confortationem, noli timere. Infra 41: noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel. Secundo exponit evasionem: et primo, in generali; secundo in speciali, veniet in Ajath.

Circa primum tria facit. Primo ponitur afflictio. In virga, idest in afflictione obsessionis et depraedationis, et baculum, confringentem, in via Aegypti: quia audiens quod rex Ethiopiae esset egressus de terra sua (ut legitur 4 Reg. 19), dimisit terram, et in reditu destruxit civitates quas invenit veniens per Aegypti viam. Jer. 48: quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus? secundo affligentium destructio: adhuc enim paululum, circa quod primo notatur acceleratio: adhuc paululum (respectu) aeternitatis vel respectu illius temporis in quo affligent. Ez. 7: de propinquo effundam; secundo poenae magnitudo: consummabitur indignatio, quo ad culpam; furor, quo ad vindictam, tertio quo ad puniendi facilitatem, meus, iudicium 7, et super mare, rubrum: Exod. 14. Et levabit eam, contra te, primo in via Aegypti: quia in Aegyptiis confidebas. Tertio ponitur consequens liberatio: et primo liberatio: auferetur onus. Jer. 30: in die illa conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus dirumpam.

Secundo liberationis ratio, a facie olei, divinae misericordiae. Supra 1: vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo.

Veniet in Ajath hic describitur in speciali: et primo ponitur oppressio, numerans civitates per quas transivit veniens de Aegypto in jerusalem.

Veniet de Aegypto, in Ajath, transibit cursim in Magron apud Machmas, civitatem quandam, commendabit vasa sua, dimittet partem suppellectilis suae, ut expeditus veniat.

Transierunt cursim, non impediti propter resistentiam illarum civitatum. Gabaa sedes nostra. Vox exercitus, qui ibi quievit. Obstupuit Rama, idest timuit, quia vicinus erat, gabaa Saulis, civitas regalis tempore Saulis. Hinni, more equorum. Attende Laisa, quomodo possis fugere, et similiter tu, paupercula Anathoth, quia parva villa erat. Medemena migravit; fugit, et similiter habitatores gabim.

Vox Senacherib ad exercitum: confortamini.

Adhuc dies est, ut in Nobe stetur: villa prope jerusalem, quasi dicat: adhuc est tantum de die quod possumus illic figere tentoria; quia divinatam erat ei quod si illa die illuc applicaret, quod vinceretur.

Vel, o habitatores gabin confortamini, quia hostes prope sunt. Agitabit, ad modum comminantis. Infra 37: ad sanctum Israel. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino. Secundo hostium destructio, ecce dominator. Et primo facilitas ex parte punientis, confringet: ad similitudinem facti Gedeon, judicum 7. Secundo universalitas ex parte punitorum: excelsi, quantum ad fortes corpore; sublimes, quantum ad principes; condensa saltus, ad multitudinem populi, idest frutices, quae faciunt sylvam spissam, et Libanus, ipse Senacherib, qui interfectus fuit a filiis suis: infra 27. Mystice Glossa: confringet lagunculam, in passione Christi.

Nota super illo verbo, et erit lumen Israel in ignem, quod Deus noster dicitur ignis: primo, quia subtilis; et quantum ad hoc dicitur subtilis quantum ad substantiam, quia dicitur spiritus. Joan. 4: spiritus est Deus. Secundo quantum ad scientiam, quia penetrabilis. Heb. 4: vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Tertio quantum ad apparentiam, quia invisibilis. Job 28: unde ergo sapientia? et infra eodem: abscondita est ab oculis omnium viventium. Vel job 36: omnes homines.

Secundo quia lucidus. Quod autem sit lucidus, patet primo quia manifestat, quantum ad intellectum. Ps. 35: in lumine tuo videbimus lumen. Secundo, quia delectat quantum ad affectum, Tob. 5: quale gaudium est mihi, qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video? tertio, quia dirigit quantum ad actum. Infra 60: ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Tertio, quia calidus; et hoc primo quia vivificat. Job 39: tu forsitan in pulvere calefacies ea? Thren. 1: de excelsis misit ignem in ossibus meis, et erudit me. Secundo quia purgat. Eccl. 38: vapor ignis urit carnes ejus, et in calore fornacis concertatur.

Tertio quia devastat. Deuter. 32: ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. Quarto quia levis; et hoc primo propter motum, quia universa propter semetipsum operatus est Dominus: Prov. 16: secundo propter situm, quia in altis habitat: Ps. 112; tertio propter incommixtionis modum. Sapient. 7: attingit autem ubique propter munditiam suam: vapor est enim virtutis Dei.

|+11 Capitulum 11

Et egredietur virga de radice.

Posita destructione adversarii, promittitur reintegratio populi, qui erat divisus in duas et decem tribus. Et dividitur in partes duas. In prima describitur restaurator; in secunda promittitur restauratio, et erit in die illa.

Hoc autem capitulum tripliciter exponitur. Hieronymus enim et omnes sancti nostri exponunt de restauratione facta per Christum, et de Christo, ut sit figurative dictum. Quidam Magistri exponunt de ezechia vel josia, similiter figurate accipientes litteram. Judaei de suo messia, quem expectant, volentes cuncta ad litteram intelligere.

Sed haec ultima stulta est et fabulosa: secunda extorta; sed prima simpliciter vera. Et ideo illam prosequentes, alias tangemus ex latere. Dividitur ergo prima pars in tres. In prima describitur restaurator Christus, quantum ad nativitatem; in secunda quantum ad sanctitatem, et requiescet; in tertia quantum ad dignitatem, in die illa radix. Circa primum duo tangit; processum matris ex regali serie vel progenie: egredietur virga, virga cui nullus fructex adhaesit, de radice jesse: ad litteram, de progenie jesse, qui fuit pater David. Num. 24: orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel.

Quantum ad processum filii ex matre virgine, et flos, Christus. Can. 2: ego flos campi, et lilium convallium. Ascendet, quia qui de caelo venit, super omnes est. Joan. 3. Unde infra 19: ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et movebuntur simulacra Aegypti. De radice jesse. Jerem. 23: suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. Cum deberet dicere, de virga, dicit, de radice, ad excludendum duas haereses. Una quarum dixit quod Christus non habuit veram carnem; alia dixit, quod Christus habuit veram carnem, sed illa non fuit propagata ab Adam et a parentibus et aliis, sed in beata virgine a Deo creata; aut quod venit a primis parentibus distincta, sicut lux quaedam, nunquam infecta contagione peccati originalis. Quod totum excluditur in hoc quod ex parentibus virginis ascendere dicitur, sicut flos ex radice. Judaei dicunt, quod flos et virga refertur ad Christum; et dicitur virga propter potestatem et flagellationem malorum, et flos propter honestatem et consolationem bonorum. Hieronymus dicit, quod de hoc loco sumitur quod dicitur Matth. 2: Nazaraeus vocabitur, idest floridus. Similiter exponunt, qui exponunt de josia et ezechia. Et dicunt, quod dicuntur descendere ex jesse et non ex proximis parentibus, quia David facta est promissio de confirmatione regni in filiis.

Notandum super illo verbo, egredietur virga, quod beata virgo dicitur virga primo consolans in tribulationibus. Exod. 14: tu autem eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradientur filii Israel in medio mari per siccum. Secundo fructificans.

Numer. 17: invenit Moyses virgam Aaron in domo levi germinasse, et turgentibus gemmis eruperant flores. Tertio satians. Num. 20: cumque levasset Moyses virgam percutiens bis silicem, egressae sunt aquae largissimae, ita ut biberet populus et jumenta. Quarto flagellans.

Num. 24: orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab. Quinto vigilans. Jerem. 1: virgam vigilantem ego video.

Nota super illo verbo, et flos de radice, quod Christus dicitur flos primo propter mariae puritatem.

Cant. 1: ecce tu pulchra es, amica mea.

Ibidem: ecce tu pulcher es, dilecte mi. Et infra can. 2: ego flos campi, et liliū convallium. Secundo propter laesionis a vento facilitatem. Job 15: laedetur quasi vinea in primo flore. Tertio propter odoris suavitatem.

Eccl. 39: florete flores etc.; quarto propter decoris pulchritudinem.

Eccl. 50: quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis.

Quinto propter fructus certitudinem. Eccl. 24: ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis.

Et requiescet. Hic describit ipsum quantum ad sanctitatem, quantum ad tria. Primo quantum ad habitus necessitatis; secundo quantum ad rectitudinem operis, non secundum visionem, tertio quantum ad effectum rectitudinis, habitabit lupus.

Ostenditur autem perfectio ipsius quantum ad habitus gratuitos in tribus. Primo quantum ad quietem, requiescet, quia non fuit gratia in ipso augmentata. Jer. 31: mulier circumdabit virum: nec interrupta per culpam. 1 Petr. 2: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: nec perturbata per pugnam carnis, quia sine originali. Job 3: expectet lucem, et non videat; nec ortum surgentis aurorae.

Joan. 1: super quem videritis spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat. Quantum ad multitudinem in universitate donorum, spiritus sapientiae. Quamvis enim omnia dona gratiae gratum facientis simul infundantur, non tamen aliquis alius habuit perfectum usum omnium: propter quod de omnibus modo dicitur (Eccl. 44): non est inventus similis illi.

Nec circa omnes gratias gratis datas. 1 corinth. 12: alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae, secundum eundem spiritum; alii fides in eodem spiritu etc.. Sed Christus omnia perfecte habuit: non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Joan. 3. Quantum ad plenitudinem, quia perfectus fuit in omni gratia; quod notatur in hoc quod dicit, implevit.

Joan. 1: vidimus eum plenum gratia. De omnibus his Col. 2: in ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter.

Ad evidentiam eorum quae hic dicuntur oportet videre quinque circa haec dona. Primo qualiter differant a virtutibus, beatitudinibus et fructibus; secundo de numero ipsorum; tertio de ordine ipsorum; quarto qualiter sint in Christo; quinto quomodo attribuuntur spiritui sancto. Circa primum sciendum est, quod, sicut dicit Gregorius, dona dantur in adiutorium virtutum, quibus perficiuntur potentiae animae ad actus proportionatos, secundum modum humanarum; sicut fides, quae facit videre in speculo et aenigmate. Est autem duplex imperfectio virtutis. Una per accidens, quae est ex indispositione habentis, ex qua indispositione manet in subjecto: et iste defectus tollitur per augmentum virtutis.

Alius defectus est per se ex parte ipsius habitus; sicut fides secundum dispositionem est continue imperfecta, quia aenigmatica. Et iste defectus tollitur per altiorem habitum, qui vocatur donum, quia quasi excedit modum humanae operationis, a Deo datum; sicut donum intellectus, quod facit aliquo modo limpide et clare intueri quae sunt fidei. Operatio autem procedens a virtute perfecta dono dicitur beatitudo; quae nihil aliud est quam operatio secundum virtutem perfectam, ut dicit Philosophus; sicut dicitur Matth. 5: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Talem autem operationem necessario sequitur delectatio, quia delectatio est operatio proprii habitus non impedita, ut dicit Philosophus: et secundum hoc dicitur fructus. Unde dicit Ambrosius super illud Gal. 5: fructus autem etc. Quod dicuntur fructus, in quantum mentes sincera dilectione reficiunt. Circa secundum sciendum, quod numerus horum potest accipi tripliciter: quia dona perficiunt aut per recessum a malo, et sic timor; aut per accessum ad bonum, et sic vel secundum vitam contemplativam, vel secundum activam. Si secundum contemplativam; aut secundum contemplationem finis, et sic est sapientia, quae est de causis altissimis; aut de his quae sunt ad finem, et sic est intellectus; sicut de substantiis creatis spiritualibus, et de his quae ad eas pertinent. Si secundum activam; aut quantum ad ea ad quae tenentur omnes; et sic exequens est pietas, quae est benevolentia in eos qui fide vel imagine Dei sunt iuncti; (et) dirigens scientia: aut de his ad quae non tenentur omnes; et exequens est fortitudo, ut exponat se difficilibus; (et) dirigens consilium. Ex hoc jam patet responsio ad tertium: quia ordinantur primo secundum quod perfectiones sunt: et hic ordo consideratur, secundum exitum donorum a dante, et non secundum quod recipiuntur. Iterum patet, quod sapientia dirigit intellectum, quia sapientis est ordinare; et per prima aliquis regulatur in secundis, sicut metaphysica alias scientias, consilium fortitudinem, scientia pietatem, timor omnia, quia idem dirigit in accessum ad bonum et in recessu a malo. Circa quartum sciendum, quod Christus habuit ista dona secundum excellentissimos usus ipsorum, secundum quos habentur in patria. Non enim habuit timorem servilem ut timeret poenam, vel filialem ut timeret peccare; sed castum timorem qui est reverentiae. Heb. 5: exauditus est pro sua reverentia. Et similiter patet de aliis. Dicitur autem specialiter, quod replevit eum spiritu timoris, ne ex magnitudine donorum superbus credatur, sicut primus Angelus, de quo dicitur Ezech. 28: in multitudine sapientiae tuae (vel negotiationis tuae) repleta sunt interiora tua iniquitate.

Vel quia per humilitatem salvare venerat.

Vel quia in hoc se imitari voluit. Matth. 11: discite a me, quia mitis sum et humilis corde.

Circa quintum sciendum est, quod si considerentur ista dona secundum proprias rationes, sicut scientia, in quantum est scientia; tunc quaedam appropriantur filio quae pertinent ad perfectionem intellectus; quaedam

spiritui sancto quae pertinent ad perfectionem affectus; quamvis omnia communiter sint dona totius trinitatis. Si autem considerentur in quantum habent rationem doni, sic omnia attribuuntur spiritui sancto, qui est primum donum, in quo omnia dona donantur. Similiter etiam si considerentur quantum ad principium motionis talium donorum, qui est amor bonitas enim Dei (ut dicit Dionysius) est diffusiva omnium quae recipiuntur in creaturis a Deo, quae appropriatur spiritui sancto. Alii autem referunt hoc ad sanctitatem josiae et ezechiae, Judaei ad Antichristum.

Non secundum visionem. Hic ostendit sanctitatem ejus quantum ad rectitudinem operis; et praecipue in judicando, quia hoc est opus regis. Unde tria ostendit. Primo solertiam in discernendo; secundo justitiam in exequendo, sed judicabit; tertio constantiam in perseverando, et erit justitia.

Dicit ergo quantum ad primum: non secundum visionem oculorum, exteriorum, neque secundum auditum aurium, exteriorum, sicut Matth. 22, dicentibus: Magister, scimus quia verax es. Joan. 2: opus ei non erat ut quis ei testimonium redderet de homine: ipse enim sciebat quid erat in homine. Et hoc non potest exponi de homine puro, sicut dicitur 1 Reg. 16: homo videt quae foris parent, Deus autem intuetur cor.

Et ideo dixerunt discrete, joan. 16: nunc scimus quia scis omnia. Alii tamen extorte exponunt de illis regibus: quia non secundum adulationes ea quae primo aspectu videntur judicabunt, sed diligenter veritatem causae inquirent. Sed judicabit.

Hic ostenditur justitia in exequendo. Et primo quantum ad bonos, jus suum distribuendo, judicabit, in die judicii, et etiam nunc. Joan. 5: pater omne judicium dedit filio. Pauperes, de quibus Matth. 5: beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Secundo quantum ad malos: et primo quantum ad membra: percutiet terram, idest terrenos, virga oris sui: ite maledicti, Matth. 25 vae vobis Scribae etc., Matth. 23, quantum ad caput: spiritu labiorum, idest indignatione sua verbis expressa, impium, Antichristum. 2 Thess. 2: revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis; qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Vel diabolum.

Joan. 12: nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. Et totum hoc potest ad litteram exponi de illis regibus qui justii fuerunt, et suis praeceptis impios occiderunt.

Et erit. Hic ponitur constantia in perseverando. Et erit justitia, quam observabit in judiciis, cingulum lumborum ejus, idest ensis, quo pugnabit; et fides confidentia de Deo qua praevalebit; et hoc ad Christum, et ad illos reges. Vel cingulum lumborum quod fortiter homini adhaeret, et totum hominem undique cingit: vel justitia in aequitate facti, fidelitas in modo faciendi.

Eph. Ult.: estote succincti lumbos vestros: vel justitia, justii; fides, fideles; et sic tantum ad Christum, jerem. 13: sicut adhaeret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel. Ex hoc arguit Hieronymus contra Hebraeos quod non possunt omnia intelligi sicut sonant verba. Habitabit lupus. Hic ponitur effectus rectitudinis, quae est in multitudine pacis: quam ostendit quantum ad duo. Primo quantum ad magnorum mansuetudinem; secundo quantum ad parvorum securitatem, et delectabitur.

Mansuetudo ostenditur quantum ad tria.

Quantum ad habitationem: lupus, rapax, cum agno, innocente, et e converso, quia sequetur innocentiam ejus: pardus, astutus, cum haedo, simplice: vitulus, genus animalis fortis, et leo, genus animalis fortis et ferocis: ovis, genus animalis debilis, omnes simul in unitate erunt: ubi non est masculus et femina, gentilis et Judaeus, circumcisio et praepitium, barbarus et Scythia, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus. Col. 3. Quod significatum est in arca Noe, ubi fuerunt omnia animalia utriusque generis: Gen. 7. Secundo quantum ad gubernationem: puer parvulus, Petrus piscator. Supra 8: ecce ego et pueri mei in cubili. 1 corinth. 1: stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes et contemptibilia ut confundat fortia. Minabit, idest ducet ad regnum, sicut dux. Tertio quantum ad comestionem dupliciter; quantum ad cibi conformitatem, vitulus, qui comedit herbas, animal mundum, ursus, qui lacerat carnes, nec est mundum animal, simul pascentur, eodem cibo verbi Dei. Catuli, idest familiae eorum, simul, idest conformiter, requiescent, ad comedendum vel cibum sacramentorum. 1 Cor. 10: eandem escam spiritualem manducaverunt. Secundo quantum ad cibi humilitatem, leo, rex, quasi bos, rusticus, paleas, rudem doctrinam, vel ad litteram, abstinentiae cibos. Job 39: numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad praesepe tuum? sed expressius videtur hoc servari in religione; ubi homines diversae aetatis et conditionis unanimiter idest conformiter vivunt. Ps. 67: qui habitare facit unanimes in domo. Alii volunt quod fuit completum tempore illorum regum, quando majores in pace vivebant cum minoribus. Judaei dicunt omnia haec ad litteram futura temporibus Antichristi. Et delectabitur.

Hic ostendit parvorum securitatem; et ponit tria: eorum confidentiam, cum contra horrorem ponit laetitiam: super foramina aspidis, idest super tribulationes quas diabolus vel tyrannus immittet, et statim quod lacte doctrinae fidei nutririi coeperit. Rom. 5: non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur.

Vel in convertendis malis. Apocal. Ult.: qui audit dicat, veni. Contra fugam, quae est indicativa timoris, ponit invadendi audaciam; qui ablactatus fuerit, jam solido utens cibo, faciet plus, quod mittet manum suam in caverna reguli, idest diaboli, qui, est rex super universos filios superbiae: job 41. Quia se confidenter persecutionibus tyrannorum exponet, sicut multi martyres fecerunt. Job 39: exultat, audacter in occursum pergit armatis. Vel refertur ad praedicatores, qui mittunt manum praedicationis ad conversionem peccatorum. Vel ab uberibus

novitatis et voluptatis, quia novitii de hoc gaudent. Secundo ponit nocendi impotentiam. Non nocebunt; monte sancto, idest ecclesia, nisi volentibus. Luc. 10: ecce dedi vobis potestatem super omnia Daemona.

Marc. Ult.: signa autem eos qui crediderint haec sequentur. Linguis loquentur novis, serpentes tollent. Tertio ponit utriusque causam: quia repleta est terra scientia Domini. Ps. 18: in omnem terram exivit sonus eorum. Eccli. 24: ego sapientia effudi flumina. Judaei exponunt hoc totum factum ad litteram. Alii dicunt per hoc significari quod temporibus illorum regum committebant se quilibet parvuli audacter illis qui prius fuerant praedatores et (crudeles) in die illa, hic ponit dignationem. In signum, crucis, quod assumentes salvantur. Joan. 12: ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

Infra 49: ecce ego levabo ad gentes manum meam, et exaltabo ad populos signum meum.

Ipsam gentes deprecabuntur. Ps. 71: adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei. Erit sepulcrum ejus gloriosum: venerabitur ab omnibus. Unde designatum est per sepulcrum quod fecit in Modin in monumentum sempiternum, ut aspiciatur ab omnibus transeuntibus: 1 machab. 13. Alii exponunt hoc de josia, quia fuit sepultus in sepulcris regum, et erit in die illa. In parte ista promittit populi restaurationem quantum ad tria.

Primo quantum ad ipsorum liberationem; secundo quantum ad liberatorum conditionem, ibi, et auferetur, tertio quantum ad liberationis praeparationem, ibi, et desolabit.

Circa primum duo facit.

Primo promittit liberationem; secundo describit liberationis modum, et levabit Dominus.

Quidam exponunt hoc de liberatione a captivitate Babylonis, quando possedit eos, eripiens a servitute Babylonis, et dicitur secunda respectu primae liberationis, qua eduxit eos de servitute Aegypti. Nabuchodonosor enim eos vastante, diversae gentes eos in captivos et in servos duxerant, et multis interfectis, residui congregati sunt ex praecepto regis tyri, sicut legitur esdrae 1. Sed melius exponitur de liberatione facta per Christum: sic enim consonat praecedentibus. In die illa, scilicet cum steterit in signum populorum, adjiciet secundo, per apostolos, quia primo per se praedicavit. Residuum, quia reliquiae salvae fient: in quo notatur sanctitas Judaeorum conversorum, et multitudinis gentium. De quo michaeae ult.: factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae. Phetros regio est, nomen habens ab uno filiorum Abraham: Elan, civitas persidis: emath, Antiochia: Sennaar locus in chaldaea: jer. 30. Vel secundo, in secundo adventu, quando per eliae praedicationem convertentur corda filiorum ad patres: Malach. Ult.. Rom. 11: ex parte contingit in Israel etc.. Et levabit. Hic ponit liberationis modum quantum ad primam expositionem.

Levabit signum, idest edictum regis tyri.

Profugos Israel, qui ad litteras ezechiae venerunt in jerusalem, et conjunxerunt se duabus tribubus, et cum illis fuerunt captivati, et cum eis liberati.

Vel signum crucis, quantum ad secundam expositionem, et congregabit profugos. Act. 13: vobis oportebat primum praedicari verbum Dei; sed quia repellitis illud... Ecce convertimur ad gentes. Vel signum, alicujus miraculi, per quod convertentur ad praedicationem eliae. Infra 49: ecce levabo ad gentes manum meam, et exaltabo ad populos signum meum. Et auferetur.

Hic ostenditur liberatorum conditio. Et primo quantum ad concordiam, contra odium quod erat inter ephraim et Judam. Et auferetur zelus, idest odium. Hoc completum fuit in reditu de captivitate, secundum primam expositionem.

Vel quantum ad unitatem fidei, secundum secundam. Vel complebitur in futuro, quantum ad tertiam. De ista concordia, jer. 3: ibit domus Juda ad domum Israel, et venient simul de terra Aquilonis, ad terram quam dedi patribus vestris. Secundo quantum ad potentiam in subjugatione hostium, vel quae fuit ad litteram temporibus Machabaeorum quantum ad primam; vel per praedicationem apostolorum quantum ad secundam; vel quantum ad prosperitatem, quam etiam in futuro Dominus ei dabit.

Volabunt, quasi velociter impingent, in humero Philisthiim, flagellandos, per mare, quia sunt circa mare, et hoc quantum ad primam et tertiam. Simul, cum eis jam victis, praedabuntur filios orientis, Assyrios. Hoc non legitur factum tempore Machabaeorum. Vel praedabuntur per mare, quia Philistaei abundant navibus. Idumaea et Moab, qui primo hostes, praeceptum manus eorum, implebunt, non expectabunt alium facientem secundum mandatum: in quo notatur magna exaltatio. Et filii Amon: hi omnes fuerunt magni adversantes. Infra 49: venient etc.. Vel volabunt, prae desiderio praedicandi, per mare: quia apostoli navigio per mare ad multas gentes pervenerunt. Vel per has gentes, quas nominat, omnes intelligit. Infra 60: qui sunt isti qui ut nubes volant? praeceptum manus quia docebant verbo et exemplo. Et desolabit.

Hic ponitur liberationis praeparatio: et circa hoc duo ponuntur.

Primo praeparatio; secundo utilitatis consecutio, et erit via. Promittitur autem praeparatio, secundum similitudinem ad duplex beneficium quod exhibitum fuit patribus venientibus de Aegypto. Primo in divisione maris, de quo legitur Exod. 14: et quantum ad hoc dicit, linguam maris; et dicitur lingua maris, quia, sicut dicit Magister in historiis, in egressu filiorum Israel de Aegypto non fuit divisum mare ex uno litore, sed quasi quaedam lingua, quae circumdabat montem quemdam. Lingua maris, idest medium maris, more Hebraici sermonis, qui omne quod est in medio linguam vocat, propter hoc quod lingua est in medio oris. Quod quidem ad litteram nunquam fuit factum; sed significatur amotio omnis impedimenti detinentis, quantum ad primam expositionem.

Vel lingua maris dicitur Aegyptus, cujus litus lingit mare. Sed quantum ad secundam, linguam maris Aegypti desolabit, idest linguam qua idola laudabant. Secundum beneficium fuit in divisione jordanis, de quo legitur Josue 3: et quantum ad hoc dicit: levabit manum suam, hoc est potentiam suam, super flumen. Quantum ad primam expositionem, et est metaphorica locutio, ut per divisionem maris et fluminis, intelligatur omnis impedimenti amotio. Quantum ad secundam, significatur ad litteram flumen, ipse Nilus, qui ab Alexandro divisus est in septem rivos, qui praeparatio Romanis est, et adeo praedilatati, aut, aqua per rivos et meatus transeunte, transvadari a calceatis posset apostolis, de quibus ephes.

Ult.: calceati pedes in praeparationem evangelii pacis. Vel per flumen significatur regnum Aegypti, quod divisum est a Romanis in plures senatus.

In fortitudine spiritus sui, exercitus Alexandri, vel Romanorum: vel spiritus, idest venti, ad similitudinem ejus quod dicitur Exod. 14: flante vento vehementi et urenti tota nocte. Et erit via. Hic ponitur utilitas: et jam patet per ea quae dicta sunt. Sicut fuit. Eccl. 36: innova signa et immuta mirabilia; glorifica manum et brachium dextrum, excita furorem et effunde iram.

|+12 Capitulus 12

Confitebor hic ponitur gratiarum actio pro suscepto beneficio. Quod quidem jam spiritu prophetali propheta videbat, et populo promittebat. Unde tria facit. Primo decantat canticum; secundo promittit populo beneficium, haurietis, tertio praedicat decantaturum populum, et dicitis. Tribus autem malis premebantur tunc: scilicet pro praeteritis culpis, divino furore; pro futuris poenis, hostium timore; pro praesentibus malis, cordis dolore.

Contra primum commemorat Dei misericordiam; et ideo dicit: confitebor tibi, ego, Domine, ex nunc idest laudabo, quia populi nondum videntis beneficium de quo gratias agant, de hoc quod sequitur, quoniam, primo juste, iratus es mihi, pro peccatis meis, et conversus est furor tuus, in misericordiam, et consolatus es me, quantum ad misericordiae effectum (praeteritum pro futuro): et hoc in reditu populi de Babylone, et maxime de consolatione facta per Christum. Zach. 8: sicut cogitavi ut affligerem vos cum ad iracundiam provocassent patres vestri me, dicit Dominus. Contra secundum confitetur Deo fiduciam: ecce Deus salvator meus, liberans populum de servitute Babylonis, vel verius, qui salvum facit populum suum. Matth. 1: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Jerem. 30: ne timeas, serve meus Jacob, ait Dominus, neque paveas, Israel, quia ecce ego salvabo te de terra longinqua.

Contra tertium, divinae fortitudinis potentiam: fortitudo mea, per quam subsisto, et laus mea, quam laudo relictis idolis. Psal. 17: diligam te, Domine, fortitudo mea. Haurietis.

Hic promittit beneficium. Aquas, consolationis, refrigerantes contra aestum tribulationis. Et dicitis.

Hic praedicat etiam populum decantaturum, post receptum beneficium: et continet mutuam exhortationem populi ad divinam laudem. Ponitur autem exhortatio ad tria. Ad laudis divinae confessionem, ad gratiarum actionem: cantate Domino; ad communem exultationem: exulta.

Circa primum ponuntur quattuor.

Aut enim confitemur per fidem: confitemini Domino. Roman. 10: corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Aut invocamus per orationem, invocate. Infra 55: quaerite Dominum dum inveniri potest invocate eum dum prope est. Aut annuntiat per praedicationem: notas facite adinventiones ejus, quia multa adinvenit ad salvandum. Jer. 31: audite verbum Domini, gentes, et annuntiate in insulis quae procul sunt. Aut memoratur per jugem meditationem, mementote. Psal. 104: mementote mirabilium ejus.

Cantate. Hic exhortatur ad gratiarum actionem. Et primo ut gratias agant Deo. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, nos liberando. Psalm. 97: cantate ei canticum novum, quia mirabilia fecit. Secundo ut annuntietur mundo, annuntiate. Tob. 12: benedicite Deum caeli, et coram omnibus viventibus confitemini ei. Exulta. Hic ponitur exhortatio ad exultationem: et primo ut sit gaudium in corde, exulta; secundo ut sit jubilus in ore, lauda; tertio ponitur utriusque ratio, quia magnus. Infra 35: exultabit laetabunda et laudans.

Notandum super illo verbo, haurietis aquas, quod est aqua primo doctrinae. Infra 55: omnes sitientes venite ad aquas. Secundo gratiae. Joan. 7: qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Tertio baptismalis munditiae. Joan. 3: nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.

Item nota, quod haurietur aqua de fonte, primo divinae sapientiae. Eccl. 1: fons sapientiae verbum Dei in excelsis. Secundo aeternae vitae.

Jer. 2: me dereliquerunt fontem aquae vivae.

Tertio Christi corpore. Zach. 13: in die illa erit fons patens domui David.

Nota super illo verbo, adinventiones ejus, quod Christus adinvenit primo breve salutis verbum.

Baruch 3: hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Secundo novum salvandi modum. Job 33: inveni in quo ei propitius. Tertio salvandum populum. Luc. 15: congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.

Nota super illo verbo, in medio tui sanctus Israel, quod Christus est in medio, primo quasi lux ad illuminandum. Eccl. 50: quasi stella matutina in medio nebulae. Secundo quasi mediator ad reconciliandum. Luc. Ult.: stetit Jesus in medio discipulorum, et ait illis, pax vobis. Tertio quasi minister ad distribuendum. Luc. 22: ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.

|+13 Capitulus 13

Onus Babylonis. Hic comminatur contra Babylonios, qui duas tribus captivaverant. Et dividitur in partes duas.

In prima comminatur hostium destructionem; in secunda promittit ex hoc Judaeorum consolationem, cap. 14: prope est. Prima dividitur in duas. Primo ponitur comminationis titulus, et increpatio, onus, idest miseria opprimens.

Jer. 23: si interrogaverit populus iste, vel propheta, aut sacerdos: quod est onus Domini? secundo ponitur ipsa comminatio, super montem.

Et dividitur in partes tres.

In prima ponit vastantis exercitus convocationem, scilicet medorum et Persarum sub Cyro et Dario, qui ceperunt Babylonem, sicut legitur Dan. 5. In secunda ostendit poenae afflictionem, ululate; in tertia subsequentem ejus desolationem, et erit. Circa primum tria ponit.

Primo convocat exercitum; secundo describit vocatorum adventum, ibi, vox multitudinis; tertio indicitur venientibus praeceptum, Dominus exercituum. Circa primum duo facit. Primo ponit convocationem, et convocat ad aggrediendum et obsidendum: levate signum, idest vexillum, super montem Babylonis caliginosum, propter fumum incendii, quando combusta fuit. Vel super montem, civitati adjacentem, caliginosum, propter altitudinem nubibus opertum, vel caligare facientem visum. Ad exclamandum, exaltate vocem, ut hostes conveniant. Ad congregiendum, levate manum. Ad pugnandum, et ad capiendum, et ingrediantur. Jer. 51: levate signum super muros Babylonis. Secundo ponit vocatorum conditionem quantum ad idoneitatem propter officii injunctionem, sanctificatis meis; quasi: quos ad hoc officium peragendum sanctificavi; et quantum ad potestatem fortes et quantum ad jucunditatem exultantes. Soph. 1: sanctificavit Dominus vocatos suos. Vox multitudinis.

Hic describit vocatorum adventum: et primo quantum ad minores. Vox multitudinis; secundo quantum ad majores, vox sonitus regum.

Jer. 50: vox eorum quasi mare sonabit. Infra 17: tumultus turbarum veniet. Dominus exercituum.

Hic indicit praeceptum: et primo ponit divinum praeceptum, Dominus praecepit; secundo divinum auxilium ad complendum, a summitate caeli, quasi ad adjuvandum. Et vasa, quaelibet arma. Ululate, hic describit poenae afflictionem: et circa hoc tria ponit. Primo punientium timorem; secundo afflictionem, ecce dies.

Tertio punientium ferocitatem, ecce ego suscitabo.

Timor autem exprimitur primo quantum ad gemitum oris, ululate. Ezech. 30: ululate, vae, vae diei: quia juxta est dies, et appropinquabit dies Domini, dies nubis. Tempus gemituum erit. Secundo quantum ad remissionem operis: propter hoc omnes, jer. 50: audivit famam ejus rex Babylonis, et dissolutae sunt manus ejus. Tertio quantum ad turbationem cordis; quod turbatur tripliciter. Secundum interiorem statum: vel quantum ad jucunditatem, tabescet; vel quantum ad magnanimitatem: et conteretur; quasi in parva divisum; vel quantum ad securitatem per timoris angustias, torsiones. Psal. 47: ibi dolores ut parturientis. Secundo turbatur quantum ad auxilii defectum, stupebit ad proximum suum; quasi prae stupore non poterunt auxilium ferre. Quantum ad exterius signum, facies combustae, propter pallorem timoris; vel ad litteram, quia tali morte sunt interfecti. Thren. 4: denigrata est super carbones facies eorum, nah. 2 facies (omnium) etc..

Ecce dies. Hic describit poenam afflictorum; et circa hoc tria ponit. Primo poenae magnitudinem, indignationis, quantum ad misericordiae subtractionem; irae, quantum ad poenae delectationem Philosophus: irati contristantur, punientes vero gaudent: furoris, quantum ad impetuosam ultionem, quia furor est ira accensa, ut dicit Gregorius infra 30: ardens furor ejus, et gravis ad portandum.

Exprimitur etiam in consolationis subtractione: quoniam stellae; vel ad litteram, quantum ad eorum reputationem; quia afflictis omnia videntur tenebrosa. Vel stellae principes, sol in ortu suo, rex, luna regina. Apoc. 6: sol factus est quasi saccus cilicinus. Secundo ponit aequitatem, ordinans poenam contra culpam quam committebant in seipsis. Visitabo, vindicabo, super orbis mala, idest Babylonem: quia erat in ea monarchia. Vel propter multitudinem undique concurrentium.

Et quantum ad culpam quam committebant in subditis, per malorum oppressionem. Et contra impios. Vel pactorum irritationem, infidelium. Per meliorum molestationem, arrogantiam, qua praesumebant omnes subjugare, supra 2: dies Domini super omnem etc.. Tertio ponit punitionis moderationem; et ponit quatuor. Primo defendentium paucitatem, pretiosior, idest rarior. 1 Reg. 3: sermo Dei erat pretiosus: et vir, qui possit defendere per potentiam, et homo, qui possit defendere per consilium, obrizo, idest auro rubro, quod optimum est. Supra 10: reliquiae saltus ligni ejus prae paucitate numerabuntur. Secundo elementorum commotionem, super hoc: quantum ad litteram, potuit esse tempestas in aere, et terraemotus in terra. Vel est hyperbole, prae magnitudine malorum. Jer. 4: aspexi terram, et ecce vacua erat et nihili; et caelos, et non erat lux in eis. Tertio quantum ad fugientium dispersionem, tam civium et bellatorum, quam etiam captivorum, damula, velox animal. Proverb. 6: eruere quasi damula de manu, Ez. 34: super omnem faciem terrae etc.. Quarto quantum ad remanentium oppressionem, quae fuit in tribus. In nece hominum: omnis qui inventus fuerit, quantum ad cives, superveniet, quantum ad extraneos, infantes quantum ad pueros. Jerem. 51: collidam in te senem et puerum. Secundo fuit in rerum direptione, diripientur. Thren. Ult.: hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad

extraneos, tertio quantum ad violationem mulierum. Uxores eorum. Thren. Ult.: mulieres eorum in sion humiliaverunt. Ecce ego.

Hic describit hostium ferocitatem, quae non placatur muneribus. Qui argentum, nec flectitur misericordia sed sagittis parvulos, nec impotentibus viribus, et lactentibus; nec filiis parvulis, et super filios. Jer. 51: ecce ego adducam super eam et dissolvetur. Et erit Babylon. Hic describit subsequentem desolationem. Et primo civitatis destructionem, versa, idest subversa, sicut sodoma, de qua Apoc. 18: vae, vae, civitas illa Babylon, civitas illa fortis, quoniam una hora venit iudicium tuum. Secundo quantum ad ejus perpetuam solitudinem, non habitabitur. Jer. 51: non habitabit qui tendet arcum suum, et non ascendet loricatus. Tertio quantum ad solitudinis horrorem, qui ostenditur ex fuga pastorum, nec ponet ibi tentoria, qui certas mansiones non habet, sed per desertum vagatur. Nec pastores ovium, quantum ad habitationem bestiarum et mortuorum; sed requiescent ibi bestiae, solitudinem amantes. Draconibus, qui secundum quosdam sunt serpentes alati magni; secundum alios sunt pisces magni, habentes humidam squamam: secundum alios, serpentes cubitales, comedentes alios serpentes, et ex hoc flatu oris inficientes. Struthiones, animalia quae habent pennas, sed non volant, immo pedibus gradiuntur. Job 39: penna struthionis similis est pennis herodii. Pilosi, idest animalia pilosa, ut vulpes, lupi et hujusmodi: vel homines sylvestres, pilosi et hispidi, qui a quibusdam dicuntur non veri homines, sed figuram hominis habere, vel Daemonis in tali figura assumptis corpora.

Domos desertas tales frequentantes sunt, qui et ambulant per noctem, et inquietant homines diversis modis. Ululae, aves quantitatis corvinae, maculis conspersae, ex hoc dictae quod vocem habeant ad modum ululantium luporum. Syrenae, secundum quosdam serpentes cristati et alati; vel pisces marini ad similitudinem mulierum; vel aves dulciter cantantes, in delubris voluptatis, idest locis in quibus luxuriabantur. Infra 34: et erit cubile draconum, et pascua struthionum, et occurrent Daemonia, Onocentaurus, et pilosus.

Nota super illo verbo, super montem caliginosum, quod est multiplex caligo. Prima ignorantiae.

Thren. 2: quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam sion. Secunda culpa.

Psal. 17: caligo sub pedibus ejus. Tertia praesentis poenae. Thren. 4: quomodo obscuratum est aurum, immutatus est color optimus. Quarta futurae miseriae. Matth. 22: ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores.

Et Luc. 16: inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint.

|+14 Capitulus 14

Prope est ut veniat.

In parte ista promittit Judaeis liberationem per Babylonis destructionem, quam supra comminatus est: et dividitur in partes tres. In prima promittit liberationem; in secunda praedicat liberatorum contra oppressorem insultationem, et erit in die, in tertia ponit insultationis confirmationem, non vocabitur.

Circa primum tria ponit. Temporis brevitatem.

Prope est dies Domini, cui omnia sunt praesentia, vel post nostram captivationem, dies ejus, captivationis. Deuter. 32: juxta est dies perditionis, et adesce festinant tempora. Secundo ponit liberationis modum et ordinem: et primo quantum ad revelationem miseriae, miserebitur: michaeae 7: revertetur et miserebitur nostri: quantum ad recuperationem divinae gratiae, et eliget, aliquos scilicet Deut. 7: te elegit Dominus: quantum ad restitutionem patriae, et requiescere. Ezech. 34: inducam eos in terram suam, et pascam eos in montibus Israel. Tertio describit liberatorum dignitatem, quantum ad extraneorum adhaesionem, adjungetur. Iac. 4: appropinquate Deo, et ipse appropinquabit vobis. Quantum ad honorificam retentionem, tenebunt eos, scilicet Judaeos, populi, apud quos erant captivi, quasi portandos in ulnis, infra 49: et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Vel aliter: quantum ad eorum qui adhaeserunt deductionem, populi, scilicet Judaei, tenebunt, idest retinebunt, eos, secum ducendos, qui sibi adhaeserunt. Quantum ad hostium subjectionem vel eorum qui adhaeserunt: et possidebit eos, versa vice. Joel 3: convertam retributionem vestram.

Et erit. Hic ponitur insultatio populi liberati contra captivantem jam destructum.

Et primo ponitur titulus sive inscriptio continens tria. Tempus, cum requiem dederit a laboribus, quo laborasti bellando, concussionem, captivitatis, qua tenebantur carcere, servitute, qua oppressa es in terra captivitatis, sumes parabolam, idest sermonem similitudinariam, qui aliud dicit, et aliud significat: per ea enim quae dicuntur significatur conditio Nabuchodonosor quantum ad potentiam, culpam et poenam, propter quae potuerunt haec contingere, etsi non contigerunt: circa regem Babylonis. Michaeae 2: in die illa sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate. Habacuc 2: numquid non omnes isti super eum parabolam sument? secundo ponitur ipsa insultatio, quomodo, et primo vivorum; secundo mortuorum, infernus.

Insultatio vivorum tria continet. Ejus destructionem cum culpa, quam commisit in exactione tributorum. Quomodo cessavit, in punitione hominum per poenas: contrivit, quasi solutio praemissae quaestionis; in impugnatione regnorum, subjicientem. Jer. 50: quomodo confractus est et contritus malleus universae terrae? secundo continet subsecutam pacem, conquievit, ab illo tumultu; siluit, a fletu; gavisus est, in tui destructione, et exultavit, in sua liberatione. Psalm. 57: laetabitur justus cum viderit vindictam.

Tertio continet principum alacritatem: abietes quoque, per quas significantur sublimes in dignitate.

Simile habetur Ezech. 31: cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei. Dormisti, somno mortis, succidat nos, idest occidat.

Infernus. Hic ponitur insultatio mortuorum contra Nabuchodonosor.

Et primo principum et potentum; secundo aliorum, qui te viderint. Circa primum duo facit. Primo ponit infernalium occursum, quantum ad ministros poenarum, sive officiales: infernus, idest diabolus, qui praepositus est inferis, subtus, quia infernus deorsum est, conturbatus est, idest in tumultum versus; quasi hoc potuit fieri, infra 30: sperastis in calumnia in tumultu, et innixi estis super eo. Item quantum ad alios potentes decurrentes, suscitabit tibi gigantes, quasi secum tibi assurgere. Gigantes, quantum ad fortes corpore. Infra 26: morientes non vivant, et gigantes non resurgant. Omnes principes terrae, quantum ad reges, quorum est sedere in solis; principes nationum, quantum ad alios potentes, surrexerunt. Universi, scilicet infernales gigantes, respondebunt, quasi convenisses eos, vel quasi flenti. Secundo ponit eorum improprium: et impropierant tria; scilicet poenam quam invenit. Et quantum ad mortem, vulneratus es, morte, VI divinae potentiae. Psal. 88: tu humiliasti sicut vulneratum superbum. Tum quantum ad mortui humiliationem; et in anima, detracta est; et in corpore, concidit cadaver, mortis. Tum etiam quantum ad mortui afflictionem in inferno, subter te sternetur. In quibus omnes poenae inferni, Judith ult.

Dabit ignem et vermes et carnes eorum ut urantur, et sentiant usque in sempiternum. Secundo impropierant gloriam quam amisit. Tum, quantum ad dignitatem regni, Lucifer, pulcher inter omnes alios reges, mane, ante omnes alios monarchus; et quantum ad potentiam belli, corruisti in terram. Dan. 2: tu es caput aureum, o rex; et post te surget aliud regnum minus te.

Tertio impropierat superbiam cordis quam habuit, quantum ad tria: quantum ad superbam cogitationem; secundo quantum ad perversam intentionem, ero similis; tertio quantum ad propositi frustrationem, verumtamen. Cogitatio autem erat superba, quia cogitabat usurpare quae Dei sunt, secundum errorem gentilium, qui credebant homines in deos mutari, et ex principibus fieri stellas, sicut dicitur 2 Mach. 11: patre nostro inter deos translato. Cogitabat etiam usurpare divinum locum: conscendam in caelum, super astra caeli: quasi: sicut sum super alios principes in terra, ita ero super alias stellas in caelo. Et divinum cultum. Sedebo, sicut recipiens sacrificia, in monte testamenti, idest in templo Dei, quod erat in monte sion, in quo erat testamentum legis, in lateribus Aquilonis, idest in jerusalem, quae erat ad aquilonarem partem montis. Et divinum actum.

Super altitudinem nubium; quasi dicat: ut tonem et fulminem. Vel per nubes prophetas; per caelum regnum Judaeorum; per astra Judaei fulgentes Dei cognitione. Similis. Ecce perversa intentio.

Ezech. 28: numquid dicens loqueris, Deus ego sum? verumtamen. Ecce frustratio intentionis. In profundum laci, idest in durissimis poenis. Job 21: ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Qui te viderint. Hic ponitur insultatio aliarum communium personarum. Et primo describit eorum occursum. Omnes alii qui te viderint, in poenis, ad te inclinabuntur; quasi dicat: tantum eris infra alios quod oportebit eos inclinari, ad hoc quod te videant. Sap. 6: potentes potenter tormenta patientur. Secundo ponit eorum improprium. Et tria impropierant. Primo culpam quam commisit: conturbavit, in bellis, concussit, mutando dominia: posuit orbem desertum, exulando homines: urbes, subvertendo civitates: vinctis non aperuit, ut possent lumen videre. Ezech. 32: dederunt terrorem in terra viventium. Secundo impropierant sepulturam qua corruit, quia extumulata a filio suo, qui discerpit cadaver in ducentas partes, et alligavit totidem avibus de diversis terris congregatis, ne posset resurgere. Pollutus, sanguine eorum quos occidisti. Jer. 22: sepultura asini sepelietur. Tertio impropierant damnum quod regno suo intulit. Perdidisti, quia chaldaei plus tenuissent regnum, nisi fuissent peccata Nabuchodonosor: punitur enim populus pro culpa principis, sicut patet Proverb. Ult.. Cujus ratio est, quia populus solet imitari culpam regis. Proverb. 29: princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Totum istud mystice exponitur de diabolo. Concutit regna, quasi minister poenae, et incentor culpa, cujus potentia per Christum diminuta est, et in die iudicii ex toto in inferno detrahetur, qui voluit in caelum conscendere, et ad aequalitatem majestatis divinae venire, secundum quod exponitur in Glossa.

Nota super illo verbo, super astra Dei, quod sancti comparantur stellis primo propter numerum. Ps. 146: qui numerat multitudinem stellarum. Dan. 7: millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. Secundo propter situm. Eccl. 43: species caeli gloria stellarum.

Phil. 3: nostra autem conversatio in caelis est.

Tertio propter gradum. 1 Cor. 15: stella a stella differt in claritate. Quarto propter splendoris rutilum.

Dan. 12: et qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.

Quinto propter ordinatum motum. Judicum 5: stellae manentes in ordine et cursu suo, adversus sisaram pugnaverunt. 1 Cor. 14: omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.

Sexto propter visum. Eccl. 50: quasi stella matutina in medio nebulae. 1 joan. 3: nondum apparuit quid erimus.

Septimo propter figurae circulum. Apoc. 12: mulier apparuit in caelo... Et in capite ejus corona stellarum duodecim: in quo significatur perfectio gloriae.

Non vocabitur.

Hic confirmat insultationem: et primo per prophetae vaticinium; secundo per divinum propositum, et consurgam; tertio per divini propositi firmamentum, Dominus exercituum.

Circa primum comminatur tria. Et primo regni amissionem: semen pessimorum, idest filii Nabuchodonosor et filiorum suorum, non vocabitur in aeternum, idest non supererit nomen ejus in honore regni. Secundo filiorum occisionem a medis et Persis: praeparate in iniquitate; idest pro iniquitate. Tertio impossibilem recuperationem, non consurgent. Faciem orbis, idest Babylonis, quae supra dicta est orbis. Exod. 20: ego sum Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios. Sap. 4: ex iniquis nascetur iniquitas. Et consurgam. Hic ponitur divinum propositum ad complendum. Et primo ad destruendam Babylonem quantum ad destructionem hominum, super eos, scilicet filios Nabuchodonosor.

Nomen Babylonis, idest famam potentiae suae, reliquias filios, et progeniem, nepotes et deinceps. Job 18: non erit semen ejus, neque progenies in populo suo. Quantum ad bestiarum habitationem: ponam eam, infra 34: ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfodit, et fodit in umbra ejus.

Quantum ad destructionem murorum, scopabo, ut nihil remaneat nisi pavimentum, sicut in domo quando purgatur scopa. Secundo ponit propositum de destructione Assyriorum, ut sit in exemplum. Et primo ponitur juramentum. Juravit, idest immobiliter statuit, si non ut putavi, idest statui. Psal. 109: juravit Dominus, et non poenitebit. Secundo destructionis locum, in terra mea: quia juxta Jerusalem destructus est exercitus Senacherib. Infra 25: faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium. Tertio describit poenae fructum, auferetur. Supra 9: jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus et sceptrum exactoris ejus superasti. Tertio ponit propositum de destructione omnium popularium: hoc consilium quod cogitavi super omnem terram, destruendam, quantum ad deliberationem. Manus ejus, idest potentia, quantum ad executionem. Jer. 25: sume calicem vini furoris hujus de manu mea. Vel omnem terram, protegendam ab Assyriis. Et haec manus extenta, quae destructa est. Et sic erit fructus poenae in omnibus gentibus. Dominus exercituum.

Hic ostendit divini propositi stabilimentum.

Et quantum ad decretum sapientiae, decrevit; et quantum ad expletionem potentiae: et manus ejus, job 23: ipse solus est, et nemo potest avertere cogitationem ejus; et anima ejus quodcumque voluerit hoc fecit. In anno. Hic comminatur contra hostes de afflictione Judaeorum gaudentes: et primo contra Philistaeos, qui gaudebant de minoratione eorum per mortem ezechiae: secundo contra Moabitas, qui gaudebant de eorum destructione per Assyrios vel chaldaeos. Cap. 15: onus Moab prima in duas. In prima ponitur tempus comminationis: in anno, cujus tempore Philistaei occupaverant quosdam timentes de regno Judaeorum, ut dicitur 2 Paral. 28: et tamen Achaz eis resistebat; et ideo in morte ejus laetabantur quasi licentius Judaeos infestaturi. Secundo ponitur comminatio, ne laeteris. Et primo comminatur afflictionem quam passi sunt ab ezechia, secundo destructionem quam passi sunt sub Assyriis, ulula.

Circa primum tria facit. Primo enim excludit stultum gaudium: ne laeteris, de hoc scilicet quoniam virga, idest potestas, percussoris tui, idest Achaz, comminuta est, per mortem. Eccle. 2: risum reputavi errorem. Secundo comminatur poenae augmentum: de radice enim, quasi dicat; sicut regulus, qui et basiliscus, plus nocet quam alius coluber, qui etiam visu et flatu interficit non solum animalia, sed etiam aves volantes, ita ezechias filius Achaz plus ceteris vos affliget. 3 Reg. 12: pater meus imposuit vobis onus grave; ego superaddam. Tertio praedicat poenae effectum, et in cunctis, quantum ad terrae ubertatem. Et pascentur primogeniti, idest Judaei, de quibus exo. 4: primogenitus meus Israel. Et quantum ad pacis securitatem, fiducialiter.

Infra 32: sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae. Et effectum in Philisthaeis per contrarium, scilicet famis, contra primum: interire radicem, idest eos etiam qui aliis nutrimenta ministrare debebant.

Et occisionis, contra secundum: et reliquias, ab ezechia, interficiam, per Assyrios et chaldaeos.

Infra 65: servi mei comedent, et vos esurietis; servi mei bibent, et vos sitiatis. Ulula.

Hic comminatur destructionem per Assyrios: et primo comminatur eorum destructionem; secundo Judaeorum liberationem, et quid respondebitur? circa primum tria ponit. Primo comminatur naturalem destructionem.

Porta, idest iudices sedentes in portis. Jer. 3: vox in viis audita est, ploratus et ululatus filiorum Israel. Et hostium multitudinem. Fumus, excitatus ex multitudine exercitus propter pulverem ab Aquilone, propter situm Assyriorum ad Philistaeos. Jer. 1: ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terrae. Tertio evasionis impossibilitatem, et non erit, Thren. 2: non fuit in die furoris.

Et quid respondebitur.

Hic promittit liberationem. Et primo ponit interrogationem: nuntiis, Angelis praepositis diversis provinciis, vel de eorum statu sollicite inquirentibus; vel nuntiis Missis ad consulendum Isaiam, sicut legitur de jeremia 27. Secundo ponitur responsio: quia Dominus fundavit; idest, sua protectione firmavit, infra 54: ecce sternam.

|+15 Capitulus 15

Onus Moab. In parte ista comminatur contra Moabitas, qui descenderunt a Moab primogenito Loth, Gen. 19, propter hoc quod gavisus sunt de destructione filiorum Israel ab Assyriis et chaldaeis, a quibus tamen ipsi sunt destructi, quamvis post. Et dividitur in partes duas. In prima comminatur destructionem; in secunda destructionis conditionem, emitte, cap. 16. Prima in duas. In prima comminatur destructionem per Assyrios; in secunda per Babylonios, ad torrentem.

Prima in tres. In prima designat ex dolore poenae magnitudinem; in secunda poenae modum et ordinem, vectes; in tertia magnitudinis rationem, secundum magnitudinem.

Magnitudinem autem doloris ostendit quantum ad tria: scilicet per stuporis silentium; per doloris fletum, ascendit; per compassionem hostium, cor meum.

Stupor autem contingit ex privatione eorum in quibus aliquis confidit. Confidebant autem in regia civitate a qua sperabant auxilium, et in munitionibus: et ideo dicit: onus Moab; idest, haec est visio de onere Moab, idest provincia Moabitarum.

Conticuit, prae stupore, quia Ar, civitas regia, vastata est nocte. Ad litteram, propter gravem tribulationem. Et quia nocte vastatus est murus munitionum, Moab conticuit, Abd. 5: si fures intrassent. Ascendit. Hic ostendit magnitudinem poenae ex magnitudine fletus: et tria ponit. Primo praedicat fletum: et quantum ad flentes, domus, scilicet regia, et dibon, nobilis quaedam civitas. Et quantum ad locum: ascendit in planctum, idest ad flendum, ad excelsa in quibus idolis immolabant, ut plangendo auxilium quaerent.

Et quantum ad materiam: Moab, tota provincia, ululabit super Nabo et super Medaba, quaedam civitates quae destructae fuerant. Ioel 2: (ululate in monte sancto meo) p secundo describit plangendi modum, secundum morem antiquorum, qui nutriendos tempore laetitiae barbam et comam, tempore tristitiae deponebant, sicut habetur job 1: tonso capite corrui in terram. In cunctis capitibus. Supra 3: et erit pro crispanti crine calvitium. Tertio excludit fletus terminum. Et quantum ad diversitatem locorum: quia omnis, idest omnibus modis, ululatus, erit, super tecta ejus, quae plana habebant ad sedendum, et in plateis ejus descendet in fletu, ab excelsis in quae flens ascenderat; ut in montibus et vallibus fletus sit. Esebon clamavit, flens, et eleale, quae sunt civitates, quinimo terrae regni Moab.

Vox eorum audita est usque jasa, quae est alia civitas ejus. Et quantum ad diversitatem flentium: super hoc, malum, expediti, scilicet ad pugnandum; non tantum senes, et etiam simul cum aliis, sed etiam sibi, quando stat solitarius, anima, quia planctus procedit ex intimis cordis. Jer. 48: super omne tectum Moab et in plateis ejus omnis planctus.

Nota super illo verbo, nocte vastatus est murus, quod nox habet obscuritatem: et primo originalis maculae. Job 3: pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, conceptus est homo. Secundo actualis culpae. 1 Thess. 5: qui dormiunt, nocte dormiunt. Tertio infidelis ignorantiae. Rom. 13: nox praecessit, dies autem appropinquavit. Secundo nox habet horrorem.

Primo opprimentis desperationis. Job 27: nocte opprimit eum tempestas. Secundo praesentis afflictionis. Prov. Ult.: non extinguetur in nocte lucerna ejus. Tertio aeternae damnationis. Sap. 17: vinculis tenebrarum, et longae noctis compediti, perpetuae providentiae placuerunt. Tertio nox habet quietem contemplationis; in qua primo est ferventis amoris desiderium: infra 26: anima mea desideravit te in nocte: secundo debitae confessionis sacrificium. Ps. 118: media nocte surgebam ad confitendum tibi; tertio divinae consolationis silentium: Sap. 18: cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet; omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de caelo, a regalibus sedibus venit.

Cor meum. Hic ostendit magnitudinem poenae ex compassione hostium, quia ipse propheta condolebat ad Moab, idest pro afflictione Moab. Jer. 48: super te evigilabo. Vectes. Hic describit poenae modum et ordinem; et ponit tria. Primo terrae vastationem, vectes, idest fortitudo vel termini, ejus, Moab deserti sunt, usque ad Segor, una de quinque urbibus destructis: Gen. 19, quae erat in terris Moab. Vitulam, propter luxuriam, conternantem, idest trium annorum, quando sunt animalia in suo robore et fortitudine. Vel conternantem, quia tertia concussione terraemotus corrui, recedente Loth. Jer. 46: vitula elegans atque famosa Aegyptus. Secundo hominum captivitatem: per ascensum enim Luith, quidam clivus, vel quidam vicus, unde ducebantur captivi, ascendet, Moab captivus ductus. Et in via Oronaim, cujusdam civitatis de Moab, per quam transibant, levabunt clamorem contritionis. Nahum 2: miles captivus ductus est. Tertio agrorum sterilitatem, aquae enim; idest, terra Moab ita erit sterilis sicut locus juxta oppidum Nemrim, quod est juxta mare, propter aquas salsas et amaras. Non quidem propter aquas, sed Dei judicio, herba, jam nata, aruit; germen, quantum ad ea quae erant in pullulatione; viror, arborum jam natarum. Ps. 106: posuit flumina in desertum. Secundum magnitudinem.

Hic ponitur ratio magnitudinis poenae. Operis peccati; visitatio, ultio. Deut. 25: pro mensura peccati erit et plagarum modus.

Ad torrentem. Hic comminatur destructionem per Babylonios; in qua quidam fuerunt captivati. Et quantum ad hoc dicit: chaldaei ducent eos ad torrentem, euphratem, juxta Babyloniam, salicum, qui juxta fluvium crescunt.

Ps. 136: super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus. Quidam fuerunt interfecti; et quantum ad hoc dicit: quoniam circuit clamor, flentium, vel pugnantium chaldaeorum: quia aquae dibon, nomen civitatis; in quibus propter amoenitatem locorum suas luxurias exercebant. 4 Reg. 3: incurrerunt Moabitae aquas dibon. Quidam residui fuerunt diversis persecutionibus afflicti: ponam dibon, ad quam Judaei confugerant, haec additamenta, poenarum, his qui fugerint de Moab, ab Assyrriis, et reliquiis terrae, quos dimiserunt Assyrrii. Leonem: ad litteram, bestias eos interficientes; vel hostem saevientem, scilicet chaldaeam. Supra 9: in omnibus his non est aversus furor meus.

Emitte agnum.

Hic describit poenae conditionem; et ponit duas conditiones. Primo aequitatem ex parte iudicantis: secundo deceptionem ex parte patientis, et erit cum apparuerit. Aequitas autem poenae disponitur ex culpa praecedente; et ideo ordinat culpam. Ponit autem duplicem culpam. Primo contra contemptum promissi beneficii; secundo contra contemptum salubris dati consilii, ini consilium.

Circa primum duo facit. In prima promittit beneficium Christi nascituri de eorum gente, ut ex hoc aliquam consolationem accipiant. Ruth enim Moabites nupsit booz, ex quo concepit Obed patrem jesse patris David, de quo natus est Christus; ut dicitur Ruth ultim.. Et ideo dicit, o Domine, pater, agnum, Christum: joan. 1: de petra deserti, de Ruth gentili, cujus populus lapideus est, deos lapideos adorans: et ob hoc a Deo desertus. Ad montem, jerusalem, in quo occisus est et surrexit, vel ecclesiam. Dominatorem. Apoc. 5: sedenti super thronum. Secundo ponit poenam contemnentium: erit sicut avis fugiens, unde fugerant, vel captivi ducebantur.

Supra 10: invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum. Alii hic volunt, licet extorte, ad litteram exponere de tributo agnorum, quod rex Moab subtraxerat a rege Israel; sicut dicitur 4 Reg. 3, quod per prophetam praedicatur restituendum regi jerusalem. Dominatorem, in signum domini, de petra deserti, locus in quo nutriebantur oves. Ini consilium. Hic ordinat poenam contra contemptum dati consilii.

Et dividitur in tres. In prima ponit consilium; in secunda consilii contemptum, audivimus, in tertia poenam contemnentium, idcirco. Circa primum tria ponit. Primo hortatur ad deliberationem, ini consilium quasi: delibera qualiter salvari possis. Consilium est ipsa quaestio quae vertitur inter consiliantes: Concilium congregatio consiliatorum.

Coge, quasi strictum consilium habens. Prov. 11: salus ubi multa consilia. Eccl. 32: omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis.

Secundo ponit consilii tenorem: pone quasi noctem: in quo hortatur ad duo. Ad receptionem Judaeorum fugientium, ut locum absconsionis praeparet. Pone quasi noctem, idest praepara te ad occultandos eos ita in die ac si in nocte; vel in meridie, aperta persecutione, ut fugientes celet. Absconde, ut abscondens non reveles vagos. Hortatur etiam ut receptos amicabilem sustentet, habitabunt. Infra 32: et erit vir.

Tertio assignat rationem, finitus. Et primo quantum ad hostium destructionem, ne eorum timorem dimittant: finitus est pulvis, multitudo exercitus Senacherib, consummatus est, idest occisus a filiis, miser, Senacherib: infra 37: defecit, quantum ad potentiam. Secundo quantum ad Judaeorum restorationem, ut libentius faciant: quantum ad regni praeparationem, praeparabitur, in misericordia Dei, vel regis misericordis: solium, regum Juda; quantum ad regis potestatem: sedebit, quasi quiete regnabit, quantum ad iudicii aequitatem: in veritate iudicans, quantum ad sententiae prolationem: quaerens, quantum ad causarum discussionem: reddens, quantum ad sententiae executionem.

Et hoc potest exponi de ezechia, vel de Christo.

Supra 9: super solium David et super regnum ejus sedebit.

Nota super illo verbo, emitte agnum, quod Christus dicitur agnus primo propter vitae puritatem.

Exod. 12: erit agnus sine macula, agnus, anniculus. Secundo propter mortis mansuetudinem.

Infra 53: quasi agnus coram tonde se non aperuit os suum. Tertio propter peccati expiationem.

Joan. 1: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Nota super illo verbo, de petra deserti, quod beata virgo dicitur petra primo propter gratiae firmitatem, Eccl. 26: fundamenta aeterna.

Secundo propter continentiae frigiditatem. Infra 32: sicut umbra petrae prominentis in terra deserta.

Tertio propter fructus ubertatem. Job 29: petra fundebat rivos olei.

Et nota, quod ista petra fuit singularis deserti: quia praecipua quantum ad primum. Can. 4: tota pulchra es, amica mea. Secundo, quia prima quantum ad secundum. Can. 1: curremus in odorem unguentorum tuorum. Virgo quantum ad tertium. Supra 7: ecce virgo concipiet et pariet filium.

Nota super illo verbo, emitte, scilicet tu pater filium, quod pater misit filium primo sicut sol radium. Eccl. 43: tripliciter sol exurens montes.

Secundo sicut fons fluvium. Eccl. 24: ego quasi fluvius dorix. Tertio sicut pater filium. Joan. 3: sic Deus dilexit mundum ut unigenitum daret.

Audivimus. Hic ponit contemptum consilii ex superbia procedentem: unde describit eorum superbiam quantum ad tria.

Quantum ad divulgationem, audivimus, quasi publicum; quantum ad quantitatem, superbus est valde; quantum ad hoc quod excedit ejus dignitatem, superbia ejus, qua de bonis habitis se extollit, arrogantia, qua non habita praetendit; indignatio, qua vindictas praesumptuose proponit, plusquam etc.. Idcirco.

Hic ponit poenam contemnentium. Et primo puniendorum fletum, Moab ad Moab, idest ad invicem; de quo supra 15, satis dicitur. Secundo describit poenae modum: his qui laetantur, et ponuntur tria. Primo indicitur poenae denuntiatio prophetis vel nuntiis: qui laetantur, gloriuntur, et confidunt de munitionibus ex muris lateritiis: Ezech. 33: si speculator viderit etc..

Secundo ponitur poenae descriptio quantum ad destructionem terrarum. Esebon, civitas, in cujus terris abundabat triticum. Sabama, civitas vicina, in qua abundabat vinum. Quantum ad hostium fortitudinem, Domini gentium,

idest Assyrii, vel chaldaei, multis gentibus dominantes, flagella, idest palmites qui sunt in summitate vitis, per quos metaphorice significantur principes et sublimes. Usque ad Jazer, destruendo, quae est in ultimis finibus.

Quantum ad afflictionem hominum, errorem gentium, erraverunt. Ps. 106: erraverunt in solitudine, in iniquo. Vilitatem remanentium, propagines, quae remanent in vinea excisis flagellis, sine fructu et decore. Dan. 4: germen radicum ejus, in terra sinite. Elongationem captivorum: transierunt mare, moabiticum, ducti captivi in Babylonem. Vel mare, idest euphratem, secundum consuetudinem Hebraeorum. Joel. 3: venundabunt eos sabaeis genti longinqua. Vel exponitur de Assyrii mare transeuntibus, et venientibus ad destruendum. Tertio ponitur prophetae compassio; et primo ponitur compassio super hoc, scilicet malum Moab, plorabo in fletu Jazer, idest deflens illa civitatem Moab. Et similiter etiam vineam Sabama, et Eleale. Secundo ponitur compassionis ratio quantum ad hostium impetum, calcantium, idest Assyriorum devastantium, et quantum ad sublatum ab eis gaudium, quod habebant de abundantia frumenti, de Carmelo, idest de fertilitate: Carmelus enim non est in Moab; sed utuntur Judaei nominibus propriis pro appellativis. Et gaudium quod habebant in abundantia vini, in vineis Jer. 48. Tertio infertur quasi ex ratione conclusio: super hoc, infortunio, venter, idest sensus, meus quasi cithara, faciens sonum ad planctum. Vel quia cithara auget gaudium laetis, et tristitiam tristibus. Vel propter concordiam virtutum prophetarum. Et erit.

Hic ostendit frustrationem eorum, et de idolis, quibus sacrificabant in excelsis, et quibus sacrificabant in templis, quando erant in timoribus. Deut. 32: ubi sunt dii eorum in quibus habebant fiduciam? hoc verbum.

Hic est epilogus. Ex tunc, a morte regis Achaz. Et nunc. Hic ostendit breviter tempus. In tribus annis, qui erunt usque ad destructionem vestram, et a morte Achaz: suo tempore fuit visio hujus secundi verbi: vel in quibus durabit vestra persecutio vel impugnatio.

Anni mercenarii: quia post hos Dominus reddet vobis mercedem pro peccatis vestris. Vel qui videntur magni, mercenarii sunt, et Domino parvi.

Job 7: militia est vita hominis super terram; et quasi mercenarii dies ejus.

|+17 Capitulum 17

Onus Damasci.

Hic incipit comminari contra illos qui praeparabant populo Dei occasionem peccandi, dum per confidentiam auxilii ipsorum de Deo confidere non curabant. Et dividitur in duas. In prima contra syros, qui populo decem tribuum auxilium conferebant; in secunda contra Aegyptios, qui duabus tribubus. Cap. 18: vae terrae.

Prima in tres. In prima comminatur destructionem syrorum auxilium promittentium; in secunda decem tribuum in praemisso auxilio confidentium, et erit in die illa, in tertia Assyriorum utrosque destruendum, vae multitudini. Circa primum duo. Primo comminatur destructionem; in secunda describit destructionis effectum, et cessabit.

Destructionem autem comminatur primo quantum ad regiam civitatem: desinet esse civitas, per depopulationem hominum; erit sicut, per destructionem murorum.

Mich. 3: sion erit quasi ager. Secundo quantum ad adjacentem regionem, Aroer, idest illius regionis syriae, in qua multae civitates sunt, vel Aroer, myrica; quasi: sicut loca in quibus abundant myricae sterilia sunt, et derelicta in pastum gregum; ita civitates syriae. Non erit qui exterreat: quia propter solitudinem etiam latrones non erunt ibi: vel quia non erunt ad alium fructum utiles; sicut exterrentur greges a vineis et locis cultis. Infra 34: orientur in domibus eorum urticae. Et cessabit.

Hic ponitur effectus destructionis: et primo in decem tribubus ab Ephraim; secundo quantum ad regiam civitatem, et regnum a Damasco, cessabit, et non erit ulterius caput regni; tertio quantum ad totam regionem, et reliquias syriae, ironice; idest, erunt ignominiosi sicut filii Israel. Infra 31: Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator.

Et erit in die illa. Hic comminatur destructionem decem tribuum, in eorum auxilio confidentium: et primo quantum ad oppressionem hominum; secundo quantum ad desolationem civitatum, in die illa civitates, tertio quantum ad sterilitatem agrorum, propterea plantabis.

Circa primum duo facit. Primo comminatur poenam; secundo ostendit poenae fructum, in die illa inclinabitur. Comminatur autem poenam in hominibus primo contra elationis gloriam, attenuabitur, idest ad modicum, et quasi ad nihilum redigetur, gloria, destructis his in quibus gloriabantur. Secundo contra divitiarum opulentiam, et pinguedo, idest divitiae quibus carnem deliciose nutriebant. Supra 10: mittet dominator Dominus. Tertio contra populi abundantiam comminatur hominum paucitatem, quam describit sub triplici metaphora, secundum quod in tribus in abundantia Jacob benedictio fuit. Gen. 27: abundantiam frumenti, vini et olei. Quantum ad primum ponit paucitatem spicarum post missionem, quae vel congregantur ab ipso messore, et sic, et erit, paucitas reliquiarum decem tribuum, sicut quando aliquis est congregans in messe quod restiterit prima missione, et brachium ejus, de congregatis, spicas leget, idest colliget. Et iste congregans fuit ezechias, qui convocavit reliquias decem tribuum, sicut legitur 2 Paral. 30, vel etiam quae congregantur ab aliquo paupere, sicut dixit Ruth 2: vadam in agrum colligere spicas. Et quantum ad hoc dicit: sicut quaerens spicas in valle Raphaim, quaedam vallis fertilissima.

Contra abundantiam vini ponit paucitatem uvarum post vindemiationem. Et relinquetur, Michaeae 7: vae mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumnis racemos vindemiae.

Contra abundantiam olei ponit paucitatem olivarum post excussionem: oleae. Olea, ut dicit Papias, est fructus olivarum; sed hic, secundum expositionem Glossae, videtur poni pro ipsa arbore in cuius cacumine remanent aliqui pauci fructus ad quos colligans non potuit attingere, de ista paucitate, Deut. 28: remanebitis pauci numero. Nota super illo verbo, et pinguedo carnis quod divitiae dicuntur pinguedo: primo propter sterilitatem.

Matth. 13: fallacia divitiarum. Secundo propter ventositatem. 1 Tim. Ult.: divitibus hujus saeculi praecipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum. Tertio propter inutilitatem. Ez. 16: haec fuit iniquitas sodomiae etc., Eccl. 5: divitiae conservatae in malum Domini sui.

In die illa.

Hic ponit poenae fructum. Inclinator, exhibendo debitum servitutis cultum, homo, de decem tribubus quicumque fuerit ad ezechiam. Respicient, expectando aliquod auxilium: delubra, templa in quibus erant fontes, quasi ad abluendum infra 31: in die illa percutiam.

In die illa. Hic comminatur desolationem civitatum. Et primo comminatur ipsam desolationem, sicut aratra. Tangitur hic quod habetur ios. 6 et 7, quod ad adventum filiorum Israel, Amorrhaei fugerunt, relinquentes omnia in agris. Supra 1: terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni.

Secundo ponit desolationis rationem. Et eris deserta, deuter. 32: Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. Propterea plantabis.

Hic comminatur sterilitatem fructuum: et circa hoc tria facit. Primo ostendit cultus inutilem laborem, quantum ad vineas: plantationem infidelem, quia non reddet fructum secundum laborem: vel fidelem ironice; quasi dicat: aut propter mala quae fecisti erit plantatio tua fidelis? quantum ad agros. Germen alienum, quod alii colligent. Supra 5: decem jugera vinearum facient lagunculam unam. Secundo quantum ad fructus perditionem: in die plantationis tuae, idest quando de plantatione fructum sumere debebas; et hoc quantum ad vineas; quantum ad agros, mane semen tuum florebit; idest primo pulchrum erit, ut magis doleas; vel quia ante tempus florebit, et inutile erit. Proverb. 20: hereditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. Ablata est, ab hostibus, in die hereditatis, quando in horreo debuit recondi, quasi fructus hereditatis. Jer. 12: seminaverunt triticum, et messuerunt spinas.

Tertio comminatur pro amissione dolorem, dolebit, qui seminavit; vel dolebis tu. Vae multitudini.

Hic comminatur Assyriorum exercitui destructionem: et circa hoc tria ponit. Et primo describit exercitus multitudinem quantum ad strepitum incedentium, vae multitudini populorum, venientium cum Senacherib; quantum ad tumultum colloquentium, tumultus, qui est locutio confusa praecipue multorum; quantum ad clamorem pugnantium, sonabunt populi, in pugna. Supra 8: ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes et multas. Jerem. 6: vox ejus quasi mare sonabit. Apoc. 17: aquae multae, populi multi. Secundo comminatur destructionem: circa quam primo ponitur ipsa destructio, et increpabit, occidendo exercitum per Angelum, et fugiet procul, in terram suam cum paucis: ut supra 10, habetur, psalm. 9: increpasti gentes; secundo ponitur similitudo respondens conditioni, quia superbus erat, rapietur sicut pulvis. Psal. 1: tamquam pulvis quae projicitur a facie venti; et respondens tempori, sicut turbo, quia de nocte fuit percussus exercitus ejus, quem vocat tempestatem, cujus praeambulum in pulvere est turbo ex ventis, qui sunt causa pluviae. 4 Reg. 19: in nocte illa venit Angelus, et percussit exercitum.

Tertio ponitur destructionis consummatio: et non subsistet, quia ipsemet interfectus fuit. Ezech. 29: nihil factus es.

Quarto ponitur destructionis ratio. Haec est pars eorum qui vastaverunt nos, possessiones, et diripientium, res mobiles. Psal. 10: ignis, sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Nota super illo verbo, et oculi ejus ad sanctum Israel, quod oculi debent inclinari ad Deum primo per fidei adhaesionem. Infra 30: oculi tui videbunt praeceptorem tuum. Secundo propter spei expectationem. Psalm. 144: oculi omnium in te sperant Domine. Tertio propter amoris contemplationem.

Job 39: inde contemplabitur escam, et de longe oculi ejus respiciunt. Quarto propter gloriae fruitionem. Matth. 13: beati oculi.

Nota super illo verbo, plantatio infidelis, quod est primo avari. Eccl. 5: qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. Secundo luxuriosi.

Rom. 6: quem fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis? tertio superbi. Sap. 5: quid nobis profuit superbia nostra?

|+18 Capitulus 18

Vae terrae cymbalo.

Hic comminatur contra Aegyptios: et primo comminatur eorum poenam per comparisonem ad poenae meritum; in secunda exequitur poenae modum; cap. 19: onus Aegypti; in tertia designat poenae tempus, cap. 20: in anno. Circa primum tria ponit. Primo designat culpam, quae est meritum poenae; in secunda comminatur poenam: omnes habitatores; tertio ostendit poenae fructum, in tempore illo.

Circa primum duo facit. Primo describit situm terrae, in quo superbe confidebant, dicens: vae, scilicet imminet, terrae, Aegypto, cymbalo alarum; propter sonitum Nili, cujus velocitas comparatur motui alarum propter velocitatem, vel propter multitudinem populorum, vel propter protectionis auxilium, quod populo duarum

tribuum insonabant; quae est trans flumen Aethiopiae, idest ultra Nilum, qui venit de Aethiopia. Ezech. 29: ecce ego ad te, Pharaon rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum. Hoc tamen Judaei exponunt de Gog, qui habitant ultra Aethiopiam, contra quos testatur propheta ezechiel 38. Secundo describit auxilium quod duabus tribubus promittebant. Et primo describit nuntiandi modum, dicens, qui, scilicet populus Aegyptius, mittet legatos, idest nuntios, duabus tribubus, in mari, idest per mare, et super aquas, fluminis, vel maris, in vasis papyri, genus junci, de quo fiebant capsellae ad portandas litteras, vel arundines tam magnae quod de eis fiebant naves, ut legitur in historia Alexandri: a pyr, quod est ignis. Secundo ponit legationis praeceptum, in quo determinat duo. Primo nuntiandi modum, dicens hoc: o Angeli, idest o nuntii mei, ite veloces, idest velociter. Secundo motivum, ad gentem scilicet duarum tribuum, quam ostendit miserabilem ex quatuor. Primo ex afflictionis magnitudine, convulsam, a propria firmitate per subjugationem, et dilaceratam, per poenarum afflictionem.

Secundo ex pristina dignitate, terribilem, quondam, post quem non est alius, potentiae comparandus; nunc autem expectantem, alienum auxilium, conculcatam, quasi in vilitate redactam. Tertio ex hostium potestate vel iniquitate: cujus diripuerunt injuste flumina, reges Assyriorum.

Quarto ex loci sanctitate, ad montem. Sunt autem puniti, quia eos a cultu Dei retrahebant. Ezech. 29: non erunt ultra domui Israel.

Omnes habitatores orbis.

Hic comminatur poenam: et circa hoc duo facit. Primo ponit poenae evidentiam.

Videbitis idest notum erit vobis, signum, vexillum Nabuchodonosor. Jerem. 46: audierunt gentes ignominiam tuam, et ululatus tuus replevit terram. Vel hostium copiam, videbitis, existentes in exercitu ejus. Ezech. 30.

Fortissimi gentium adducentur.

Secundo aufert defensionis divinae confidentiam: quia haec dicit Dominus. Et primo quia subtrahet eis auxilium suae defensionis: quiescam, quasi nihil vos adiuvens: considerabo, videbo quid vos possitis facere. Deuteron. 32: considerabo novissima eorum. Secundo quia hostibus praebebit auxilium impugnationis, quantum ad consilium in dubiis: sicut meridiana lux, ita evidenter ostenditur eis quid sit eis agendum. Quantum ad relevamentum in laboribus, sicut nubes. Psal. 88: exaltasti dexteram deprimentium.

Tertio ibi, ante messem, describit poenae metaphoram, scilicet per destructionem fructus in agro: et ponit tria. Primo quantum ad fructus perditionem, qui perditur in flore, quando nimis cito incipit florere: ante messem enim totus. Similiter Aegyptus antequam potentiam haberet, florem suae gloriae ostentabat; de qua infra 40: omnis gloria ejus quasi flos agri. Perditur etiam in germine, quando nondum maturus est humor de quo fieri debet fructus. Et immatura. Similiter Aegyptus ultra potentiam quam habebat praesumebat. Perditur etiam in fructu, quando rami in quibus sunt fructus absciduntur.

Praeceduntur, ante fructus maturationem.

Job 15: laedetur quasi vinea in primo flore.

Proverb. 13: substantia festinata minuetur, eodem 20 hereditas ad quam festinat.

Secundo ponit fructus remanentium ablationem: quae derelicta fuerint perfecta ab Aegyptiis, ab Assyriis abscidentur a propria firmitate, et excutiantur de loco suo per chaldaeos. Infra 24: quomodo si paucae oleae (vel olivae), quae remanserunt, excutiantur ex olea. Tertio ponit ipsius agri desertionem. Et relinquatur sicut ager incultus: in quo significatur caedes hominum, postquam multae bestiae fuerunt in terra Aegypti. Ezech. 39: haec dicit Dominus Deus: dic omni voluceri.

In tempore illo. Hic ponitur poenae fructus.

Scilicet, quod populus duarum tribuum confidentes de Deo, et ipsius auxilium invocabunt cum munerum oblatione. Supra 10: in die illa non adjiciet residuum Israel, et hi qui fugerint de domo Jacob, inniti super eo qui percutit eos; sed innitetur super Dominum sanctum Israel.

Nota super illo verbo, immatura perfectio germinavit, quod est perfectio multiplex. Prima naturae.

Gen. 2: igitur perfecti sunt caeli. Secunda scientiae. Job 22: numquid Deo comparari potest homo, etiam cum perfectae fuerit scientiae? tertia gratiae. 1 joan. 4: perfecta caritas foras mittit timorem. Quarta gloriae. 1 Cor. 3: cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

Nota super illo verbo, germen ejus, quod est germen primo pravae praelationis. Eccle. 10: vae tibi terra cujus rex est puer, et principes mane comedunt. Secundo doctrinae erroris. Judae: hi autem qui ignorant, blasphemant; tertio praesumptuosae opinionis. Rom. 12: unicuique sicut Deus.

Quarto praesentis consolationis. Luc. 16: recordare quia recepisti bona in vita tua.

Nota super illo verbo, deferetur munus, quod est munus multiplex. Primo ferventis dilectionis.

Proverb. 21: munus absconditum. Secundo devotae orationis. Psalm. 140: ascendat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Tertio perfectae operationis. Mal. 1: munus non suscipiam de manu vestra. Quarto debitae oblationis.

Ps. 75: vovete, et reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu ejus offertis munera.

|+19 Capitulus 19

Onus Aegypti.

In parte ista comminatur destructionem Aegyptiorum, prosequens modum et ordinem; et dividitur in partes tres: et primo describitur poenae praeparatio; in secunda, ipsa destructio, et tradam Aegyptum; in tertia, utilitatis consecutio, ibi, in die illa erunt quinque civitates. Praeparatio autem poenae describitur quantum ad quatuor. Primo quantum ad dispositionem hostium, ascendet, inspirando, super nubem, ex qua tempestas, levem, propter agilitatem et promptitudinem: Ps. 96: nubes et caligo in circuitu ejus. Secundo quantum ad stuporem gubernantium deorum. Et movebuntur: quia confracti sunt ab Assysiis: vel quia dare responsum non potuerunt: vel quia nec eodem die apparuerunt homini. Ez. 6: confringentur etc..

Cor Aegypti, idest rex et principes, ex quibus totus vigor Aegypti. Supra 1: omne caput languidum, et omne cor moerens. Tertio quantum ad dissensionem resistentium: quantum ad exteriorem contrectationem, et concurrere; quantum ad extraneos, Aegyptios; quantum ad consanguineos, pugnabit vir; quantum ad notos et amicos, et vir contra amicum suum; quantum ad diversos populos, civitas. Ponit voluntatum diversitatem: dirumpetur, idest dividetur, spiritus, idest voluntas in visceribus ejus, idest incolis terrae.

Matth. 12: omne regnum in seipsum divisum desolabitur.

Quarto quantum ad errorem consiliantium hominum, et consilium. Job 5: apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat, et Daemonum. Et interrogabunt, frustra. Supra 8: et cum dixerint ad vos: quaerite a Pythonibus, et a divinis, qui stridunt in incantationibus suis etc.. Nota super illo verbo, super nubem, quod est multiplex nubes. Prima assumptae carnis. Job 38: ubi eras cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem? secunda est virginalis ventris. 3 Reg. 18: ecce nubecula parva ascendebat de mari. Tertia est devotae mentis. Ps. 67: magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus.

Quarta judiciariae sedis. Ps. 96 nubes et caligo in circuitu ejus, justitia et judicium praeparatio sedis ejus.

Item nota, quod de prima nube procedit pluvia sacramentalis vel sanctificationis. Joan. 19: de latere (Domini) continuo exivit sanguis et aqua. De secunda procedit cibus consolationis.

Sap. 19: nubes castra obumbrabat, et ex aqua quae ante erat, terra apparuit arida. Et infra: videntes tua mirabilia, et monstra: tamquam enim equi depaverunt escam. Supra 18: sicut nubes roris.

De tertia procedit coruscatio praedicationis. Job 37: frumentum desiderant nubes, nubes spargunt lumen suum.

De quarta procedit tempestas damnationis. (Ier. 4): ecce quasi nubes, Ps. 67: virtus ejus in nubibus.

Item nota super illo verbo, nubem levem, quod prima dicitur levis propter eminentiae dignitatem.

Daniel. 7: ecce in nubibus similis filio hominis veniebat. Secunda dicitur levis propter virginitatis puritatem apocal. 14: et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem filio hominis. Tertia dicitur levis propter obedientiae velocitatem. Infra 60: qui sunt isti qui ut nubes volant? quarta dicitur levis propter executionis facilitatem. Eccli. 43: in magnitudine sua posuit nubes, et confracti sunt lapides grandinis.

Et tradam Aegyptum.

Hic prosequitur ipsam destructionem: et primo quantum ad populi servitutem; secundo quantum ad terrae desolationem, et arescet, tertio quantum ad sapientum stuporem, stulti principes.

Dominorum: Assyriorum, chaldaeorum, Romanorum. Deut. 28: servies inimico tuo. Destructionem autem terrae designat per siccitatem aquarum, in quibus Aegyptus ornata et dives est: vel quia ira Dei praevenit ut aquae siccarentur, et animalia morerentur: vel loquitur hyperbolice, quasi dicat: tanta erit tribulatio quod videbitur etiam aquas siccare. Ponit ergo tria. Primo siccitatis modum, arescet, idest minuetur, fluvius, Nilus, flumina alia. Ezechiel. 30: faciam alveos fluminum aridos. Secundo ponit siccitatis signum, calamus et juncus, quae nutriuntur in aquis. Infra 35: orietur viror calami et junci. Tertio ponit siccitatis damnum, nudabitur, primo agriculturae, a fonte, idest a principio: vel hoc ad finem. Psalm. 106: posuit flumina in desertum, et exitum aquarum in sitim. Secundo piscatorum, moerebunt piscatores. Ezech. 29: projiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui.

Tertio diversorum artificum, confundentur qui operantur linum, quod nascitur in locis humidis.

Flaccientia, idest arentia: lacunas, vivaria. Stulti principes. Hic ponit hominum stuporem: et primo quantum ad errorem in consiliis; secundo quantum ad timorem in bellis, ibi, in die illa.

Circa primum tria. Primo irridet sapientum stultitiam quantum ad deliberationem: stulti principes, idest Philosophi, thaneos, ubi vigeat studium: jerem. 51: stultus factus est omnis homo: quantum ad consilii promulgationem: sapientes, quantum ad sui commendationem, quomodo dicetis Pharaoni? idest, quomodo poteritis dicere, quando putabit vos male consuluisse, hoc quod unusquisque vestrum solebat dicere ad sui commendationem, ut ejus consilio credatur, filius sapientium; quasi dicat, hereditate sapientiam possideo; vel discipulus regum, qui antiquitus Philosophi erant. Job 15: et senes et antiqui sunt in nobis, multo vetustiores quam patres tui. Secundo irridet regis confidentiam. Ubi nunc. Et primo quaestionem: infra 47: stent et salvent te; secundo respensionem, stulti emarcuerunt, idest defecerunt, ut supra; tertio irridet populi decepti ignaviam, deceperunt.

Hic tria facit. Primo ponit sapientum deceptionem, deceperunt angulum, idest regnum, in quo multi conjunguntur sicut parietes in angulo.

Infra 47: sapientia tua et scientia tua decepit te.

Secundo Dei permissionem, Dominus miscuit: saepe dicitur metaphorice. Spiritum vertiginis, idest erroris, ad modum ejus qui patitur vertiginem. 3 reg.

Ult.: dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum. Tertio ipsius populi errorem, et errare. Caput, videlicet neque quo ad principium; caudam, neque quo ad finem; incurvantem, quo ad senem; refrenantem, quo ad juvenem, qui refrenatione indiget, vel lascivientem. 2 Tim. 3: mali autem homines et seductores proficient in pejus. In illa die.

Hic comminatur timorem robustorum.

Et primo ponit timorem, quasi mulieres, infirmi et imbecilles. Jer. 51: devoratum est robur eorum, et facti sunt quasi mulieres. Secundo rationem, erit terra Juda, scilicet memoria malorum quae fecerunt eis avertentes eos a cultu Dei pro quo scient iram Dei se incurrisse. 1 Mach. 6: nunc reminiscor malorum quae feci in jerusalem. In die illa.

Hic ponitur consecutio, vel consolatio, scilicet eorum conversio. Et primo conversionis signum triplex: quorum primum est juramentum, jurantes. Infra 65: qui iurat etc. Jurabit in Deo amen: quia oblivioni traditae sunt angustiae priores.

Civitas solis, Heliopolis. Linguam chananaeam, quae confinis est linguae Judaeorum, ut in lingua etiam conveniant cum populo Dei. In his enim translati sunt a Nabuchodonosor quidam syri, qui linguam propriam tenuerunt. Secundum signum est sacrum aedificium, altare Domini et titulus: quia multos deos colebant, sicut dicitur Act. 17.

Hoc (dicunt quidam) impletum tempore Machabaeorum, quando multis Judaeis fugientibus in Aegyptum, Onias volens implere hanc prophetiam, contra praeceptum legis aedificavit altare, quod est contra illud Exod. 20: non aedificabis mihi altare etc.: de quo arguitur Dan. 11: filii quoque praevaricatorum populi tui extollentur ut impleant visionem, et corruent. Unde patet quod non est iste intellectus, sed de altari aedificando ad cultum christianum. Tertium signum est quia invocant Dei auxilium, clamabunt; salvatorem Jesum. Psalm. 90: clamavit ad me.

Secundo ponit conversionis modum: et primo quantum ad fidei susceptionem, et cognoscetur: jer. 31: omnes cognoscent me a minimo usque ad maximum, ait Dominus; secundo quantum ad sacrificiorum et votorum oblationem, et colent: Malach. 1: in omni loco offertur nomini meo oblatio munda; tertio quantum ad peccatorum remissionem: et percutiet, primo per multas poenas; et sanabit, a peccato. Job 5: ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt.

Tertio ponit conversionis triplicem effectum: scilicet pacem: in die illa erit via, quod ante non poterat esse propter diversa regna, quae nato Domino juncta sunt sub Romanis. Servient, in mercimoniis sibi invicem; vel quia milites syri erant in legionibus Romanorum ad custodiam Aegypti.

Supra 2: non levabit gens contra gentem gladium.

Secundo promittit secundum effectum, fidei veritatem: in die illa tertius; simul, et aequaliter Romanis serviens, et in unitate fidei. Joan. 10: fiet unum ovile et unus pastor. Rom. 10: non est distinctio Judaei et Graeci. Tertio ponit tertium effectum, scilicet benedictionem divinam; erit, scilicet Israel, benedictio, quia per apostolos totus mundus benedictionem Dei percepit. Hereditas, quia ibi natus, et mysteria salutis nostrae explevit.

Psal. 113: benedixit domui Israel.

|+20 Capitulus 20

In anno quo.

Hic ponitur destructionis tempus; et dividitur in partes tres: et primo ponitur designans quoddam, scilicet propheticum factum; secundo facti significatum, et dixit; tertio ostendit significati effectum. Et timebunt.

Circa primum tria. Primo ponitur prophetiae tempus, in anno. Azotum, civitas palaestinarum. Amos 1: ubi et Gaza, Geth, Accaron, Ascalon, Azotus. Sargon, qui et Senacherib, secundum Jeronymum, quia sex nomina habuit, quae sunt Sargon, Senach, Phua, Salmanasar, teglathphalasar, Asarad. In manu, idest in opere verbis concordante. Oseae 12: in manibus prophetarum assimilatus sum. Secundo ponit divinum praeceptum, vade, et solve. Ezech. 24: erit ezechiel in portentum. Tertio praecepti complementum.

Et fecit sic, infra 50: ego autem etc..

Et dixit Dominus. Hic ponitur significatum praedicti facti. Et primo quantum ad tempus quo duravit persecutio, trium annorum, per tres dies quibus nudus ivit, significatum Ezech. 4: diem pro anno dedi tibi. Secundo quantum ad destructionis auctorem, sic minabitur rex. Ezech. 30: in die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus ad conterendam Aethiopiae confidentiam. Tertio quantum ad destructionis conditionem, in universalitatem, juvenem et senem; in vilitatem, nudam; scilicet captivitatem.

Jer. 46: sanitas non est tibi. Et timebunt. Hic ponit effectum in Judaeis: primo timorem, et timebunt; secundo confusionem, et confundentur; tertio utriusque expressionem, et dicit habitator insulae, idest jerusalem, quae persecutionis fluctibus incessanter tundeatur, sicut insula fluctibus maris; haecce, in quo confusio, et quomodo, in quo timor. Infra 30: erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem.

|+21 Capitulus 21

Onus deserti maris.

Hic comminatur contra hostes, qui gravabant eos per rerum subtractionem, qui tamen erant eis aliquo foedere juncti: et dividitur in tres partes.

Primo contra illos qui erant eis juncti amicitiae foedere; in secunda contra illos qui erant juncti praelationis jure: cap. 22, onus vallis; in tertia contra illos qui erant eis juncti negotiationis societate: 23 cap., onus tyri. Prima in duas.

In prima contra amicos extraneos, scilicet Babylonios, qui erant amici, et rebus tandem spoliaverunt, sicut patet infra 39. In secunda contra amicos cognatos, onus duma. Circa primum duo facit. Primo ponitur titulus, onus maris, idest Babylonis, propter sonitum multitudinis populorum ut supra 17; deserti, quia in solitudine redigetur.

Jer. 51: desertum faciet Dominus mare ejus, immittit contra eos comminationem ut modum addat.

Secundo ponitur ipsa prophetia: et primo ponitur visio comminationis; secundo modus accipiendae visionis, haec enim dixit.

Circa primum quatuor designat. Primo tribulationis gravitatem, ponens similitudinem. Sicut turbines, vox Babylonis, ab Africo de deserto, quod erat ad meridiem, ita venit, contra me vastitas, de terra, scilicet perside, horribili mihi. Nahum 1: Dominus in tempestate et turbine viae ejus.

Visio dura: in persona Babylonis. Joan. 6: durus est hic sermo. Secundo designat vastatorem.

Et primo quantum ad ducis conditionem in infidelitate. Cyrus, qui incredulus, idest infidelis Domino suo Balthassar, rebellans, et Babylonem obsidens, confidens de ipsius effeminatione, infideliter agit, idest aget, videns non posse civitatem capi VI, fraude pacem faciens, et jurans omagium regi Babylonis; a quo invitatus ad convivium (de quo Daniel. 5), interfecit eum, et cepit civitatem in ducentis militibus per foramen muri, unde fluvius intrabat, aqua ipsius in multas partes divisa. In crudelitate, qui depopulator. Unde in poenam crudelitatis suffocatus est in sanguine, et dictum est sibi: sanguinem sitisti, sanguinem bibe. Habac. 2: ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Secundo quantum ad exitus regionem: ascende Aelam, civitas persidis, et provincia, Medaba civitas in media, obside, Babylonem: vox Domini. Jer. 51: ascendite contra eam omnes gentes. Tertio hostis potestatem. Omnem gemitum ejus, idest Babylonis, ut nec etiam plangere audeat. Supra 10: non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret. Vel quia suos gemere faciat. Tertio designat ipsius prophetae compassionem, quam designat quantum ad corpus, ad quod redundant affectiones mentis: et hoc quantum ad doloris sensum: propterea repleti sunt lumbi mei dolore, idest, ita doleo sicut qui patitur dolorem in renibus. Psal. 47: ibi dolores ut parturientis.

Et quantum ad casum, corruui; et quantum ad turbatum vultum, turbatus. Psalm. 76: turbatus sum, et non sum locutus. Psal. 54: turbatus sum in exercitatione mea. Secundo quantum ad affectum, emarcuit cor meum, idest affectus tristitia. Jerem. 4: ventrem meum doleo. Tertio quantum ad intellectum stupentem, tenebrae, idest turbationes praevisae, ac si essem in tenebris. Jerem. 50: omnis qui transibit per Babylonem stupebit, et silebit super universis plagis ejus. Babylon dilecta, tunc temporis, quamvis postea inimica, in miraculum, idest in admirationem. Apocaly. 17: admiratus sum cum vidissem illam admiratione magna. Quarto designat destructionis modum et conditionem, dicens: o Babylon, pone mensam, invitando Cyrum et Darium ad convivium, contemplare, idest vide, in specula, idest in Scriptura manus scribentis: mane, clara luce Domini; scilicet o Cyre, o dari, principes comedentes et bibentes, cum eo, surgite, confortati visione, arripite clypeum; et interficite eum. Jerem. 46: praeparate scutum et clypeum. Vel aliter, verba Domini.

O propheta, pone mensam, idest ponendam praedica, in specula, idest in spiritu prophetiae etc. Ut supra. Vel verba Cyri: pone mensam, vos: Persae accurrite, date equis annonam, ut sitis parati; tu speculator, contemplare, quid fiat in tractatu: vos, principes, mei, comedentes. Et hoc stat etiam si non sustineatur quod Cyrus et Darius fuerint in convivio, ut quidam dicunt, sustinentes festum fieri in civitate, et deliciis vacare. Vel propter festum discumbebant; vel propter treugas; vel propter victoriam semel habitam; vel propter adjutorium quod receperat de nocte aggressi sunt civitatem.

Nota super illo verbo, contemplare in specula, quod debet homo in specula mentis contemplari primo peccata quae commisit, ut doleat. Jer. 31: statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam. Secundo supplicia quae meruit, ut timeat. Michaeae 7: dies speculationis, visitatio tua venit. Tertio beneficia quae Deus contulit, ut gratias agat. Infra 52: vox speculatorum tuorum; levaverunt vocem, simul laudabunt; quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus sion. Quarto mandata quae praecepit, ut impleat. Oseae 9: speculator ephraim.

Quinto praemia quae promisit ut comprehendat. 2 Pet. 1: speculatores facti illius magnitudinis.

Accipiens enim a Deo patre gloriam et honorem.

Haec enim dixit. Hic ponit modum acceptionis hujus visionis: et circa hoc quatuor facit. Primo ponitur divina iussio, pone speculatorem, teipsum, vel discipulum tuum, quem Hebraei, Habacuc dicunt fuisse. Viderit spiritu prophetali, vel corporaliter. Ezech. 3: fili hominis, speculatorem posui te domui Israel. Secundo ponitur visio: et primo ponit rem visam: et vidit currum duorum equitum: qui a duobus equis consuevit trahi, exercitum duorum regnorum significantem: ascensorem, scilicet curruum, asini, regni Persarum, quod primum ignobile, cameli, medorum; quod semper altum; quasi haec duo animalia, loco duorum equorum, curruum adjungentem. Secundo videntis diligentiam, et contemplatus est. Ezech. 40: pone cor tuum in omnibus quae ego ostendo tibi. Tertio

ponitur denuntiatio, et clamavit leo, secundum virtutem animi, qui prius speculator per eminentiam contemplationis.

Et primo denuntiat suam diligentiam, super speculam Domini. Habacuc 2: super custodiam meam stabo. Secundo denuntiat rem visam, ecce venit, ut supra 3 tertio Babylonis poenam.

Cecidit.

Jerem. 50: capta es et nesciebas. Quarto ponitur prophetae ad populum denuntiatio: tritura mea, verba prophetae, vel Christi, quia jerusalem triturata multis tribulationibus, filia areae, idest templum quod situm est in area ornam, 2 regum ultimo, Ier. 42: omne verbum quodcumque etc..

Onus duma. Hic comminatur contra amicos et cognatos. Et primo contra idumaeos, qui de progenie esau fratris Jacob, genes. 25, qui quandoque amici, sicut 4 Reg. 3, Ezech. 35: audivi universa opprobria quae locutus es de montibus Israel. Secundo contra Arabes; qui de genere Ismaelis, qui fuit filius Abraham, genes. 16, ibi, onus in Arabia. Circa primum duo facit. Primo ponitur inscriptio, onus duma, idest idumaeae; secundo comminatio; circa quam tria. Primo ponitur eorum oratio: et sunt verba Dei haec idumaeis: ex Seir clamat ad me.

Liberatis Judaeis, post septuaginta annos captivitatis custos, qui custodis populum Israel, quasi eis dormientibus, quid de nocte? idest, quare nos non liberas de nocte captivitatis, sicut et eos? et ostendunt magnum desiderium liberationis, et in intentione verborum et decantatione. Psal. 120: ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.

Secundo ponitur petitionis refutatio.

Et dixit custos, scilicet Deus: venit mane, liberationis tempus Judaeis, et nox captivitatis adhuc idumaeis manet. Sapient. 17: solis autem illis superposita erat gravis nox. Tertio adhibet remedium: si quaeritis, me, quaerite, toto corde relinquendo idola.

Vel sicut in tribulatione, et in prosperitate.

Infra 55: quaerite Dominum dum inveniri potest. Joel. 2: convertimini ad me in toto corde vestro.

Nota supra illo verbo, custos qui quod homo debet se custodire per diem prosperitatis a divitiis.

Primo ne eas eligat, considerando earum vilitatem.

Philip. 3: quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum detrimenta. Secundo ne in eis confidat, considerando earum vanitatem. Eccle. 2: vidi in omnibus vanitatem. Tertio ne de eis superbiat, considerando earum imminentem adversitatem. Eccli. 11: in die bonorum ne immemor sis malorum. Item debet se custodire in nocte adversitatis. Primo considerando percutientis affectum. Proverb. 3: disciplinam, fili mi, ne abjicias; ne deficias, cum ab eo corripis. Secundo considerando percussi Christi exemplum. Hebr. 12: recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem. Tertio considerando percussionis fructum. 2 corinth. 4: id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis. Onus in Arabia. Hic contra Arabes. Et primo innuit destructionis causam: quia filiis Israel fugientibus, panem porrigentes, aquam subtrahebant. Unde ponit Judaeorum fugam.

O vos, Judaei, in saltu, Arabiae, dodanim, nomen loci. Psalm. 106: erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis etc..

Hortatur ad misericordiam, occurrentes, vos Arabes. Terram Austri, idest meridie.

Infra 58: frange esurienti panem tuum. Et ponit misericordiae causam, a facie enim, ut moveantur ad misericordiam. Jer. 4: a voce equitis et mittentis sagittam fugit omnis civitas. Secundo, quia hoc facere noluerunt, comminatur poenam, quoniam haec dicit Dominus. Et primo per Assyrios a quibus praelatio vastationis Judaeorum, et ipsa vastitas, quasi in anno mercenarii, qui sibi videtur brevis, spe mercedis. Secundo per chaldaeos: reliquiae, ab Assyriis derelictae, imminuentur, a chaldaeis, cedar, filii Ismaelis. Sagittariorum, sequentes artem patris sui. Gen. 21, dicitur de Ismaele, quod factus est vir sagittarius.

|*IN_ISAIAM

|+22 Capitulus 22

Onus vallis. Hic comminatur contra illos qui populo Dei jungebantur praelationis jure, et ipsum tamen rebus spoliabant: et primo quantum ad illos ad quos pertinebat praelatio in temporalibus; secundo contra illos ad quos pertinebat in spiritualibus: haec dicit Dominus. Praelatio autem in temporalibus pertinebat ad reges: et ideo comminatur in prima parte contra jerusalem, quae erat sedes regni: et circa hoc duo facit. Primo ponitur inscriptio, vallis, idest jerusalem, non propter situm loci, cum sit in monte; sed propter vilitatem, quia ad ipsam sicut ad vallem confluebant sordes undique, dum vicinarum gentium actum sequeretur. Ezech. 5: haec est jerusalem; in medio gentium posui eam. Vel dicitur vallis propter infimam partem civitatis, quae a sobna tradita fuit Senacherib. Visionis, propter sanctitatem templi: nam in ipso visiones prophetis fiebant a Domino; vel propter eminentiam loci, quia a remotis videri poterat; vel propter nomen quod loco illi imposuit Abraham, sicut dicitur Gen. 22: appellavitque nomen loci illius, in monte Dominus videbit. Secundo ponitur ipsa comminatio; et circa hoc tria facit. Primo arguit culpam; secundo comminatur poenam: interfectique tui, tertio ostendit in ipsa poena, obstinationis pertinaciam, et congregastis.

Circa primum duo facit. Primo arguit peccatum duplex. Idolatriae; quidnam tibi, ascendisti in tecta, ad sacrificandum idolis, et tu, quae speciali actu sancti privilegii gaudebas? Oseae 4: si fornicaris, Israel, non delinquat saltem Juda. Et peccatum rixae, clamoris plena. Supra 5: expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas. Secundo ad aggravandum peccatum ponitur Dei beneficium duplex: scilicet multitudinis hominum, urbs frequens: Thren. 1: quomodo sedet sola civitas plena populo? et plenitudinis gaudiorum, civitas exultans, quondam tempore Salomonis prae nimia prosperitate. Psalm. 47: fundatur exultatione universae.

Interfecti. Hic ponit poenam: et primo comminatur hominum destructionem quantum ad obsessos qui mortui sunt fame: non interfecti gladio, sed fame et siti. Thren. 4: melius fuit interfectis gladio quam fame. Quantum ad fugitivos principes, scilicet qui comprehensi sunt et ligati, sicut legitur jer. Ult.: cuncti principes. Thren. 1: facti sunt principes velut arietes non inveniunt pascua.

Quantum ad comprehensos in civitate, qui similiter captivati sunt: omnes qui inventi sunt, procul, in longinquam terram, in captivitatem ducti. Deut. 28: deducet Dominus in gentem longinquam. Secundo ponit prophetae inconsolabilem compassionem: recedite, vos prophetae consolantes, nolite incumbere, more consolantium.

Jer. 9: quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut possim flere interfectos populi mei? tertio ponit poenae modum et ordinem: dies interfectionis, et circa hoc tria ponit.

Primo Dei indignationem, dies interfectionis, imminet.

Scrutans, faciens scrutari ab hostibus, magnificus, faciens hostes magnificos: in montibus enim et muris confidebant. Soph. 1: in tempore illo scrutabitur jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in faecibus suis. Secundo ponit hostium superationem, et Aelam, civitas persidis, ex qua venerunt pugnatores cum Nabuchodonosor, qui monarchiam orientis tenebat.

Clypeus, portatus contra jerusalem, nudavit parietem, ad quam suspensus erat ad ornatum domus.

Jer. 46: praeparate scutum et clypeum.

Vel aliter. Clypeus, potentia chaldaei, nudavit parietem templi auro quo vestiebatur. Tertio ponit damni illationem quantum ad quatuor. Primo quantum ad possessionum vastationem. Erunt electae; quadrigarum. Babylonis, jer. 49: quid gloriaris in vallibus? defluxit vallis tua, filia delicata. Secundo quantum ad civitatum captionem, equites in porta, ne quis effugiat. Jer. 39: ingressi sunt omnes principes Babylonis, et sederunt in porta media. Tertio quantum ad sanctorum profanationem: et revelabitur, nudabitur, operimentum, idest sancta prius operata, quae nulli nisi sacerdoti licebat videre. Thren. 1: viderunt gentes ignominiam tuam. Quarto quantum ad armamentarii destructionem, videbis armamentarium, idest domus saltus, in quo arma recondebantur, eversum; de cujus aedificio 3 regum 7. Civitatis David, fortissimae; vel ipsa jerusalem cum forti muro in pluribus locis. Cant. 4: turris David aedificata est cum propugnaculis.

Et congregastis aquas. Hic ponit obstinationis pertinaciam: et primo arguit obstinationis culpam; secundo proponit contra eos divinam sententiam, et revelata est. Arguitur autem eorum pertinacia quantum ad duo. Primo quantum ad divinum auxilium quod non invocabant, de suis viribus et ingeniis confidentes: congregastis; in unum locum intra civitatem per occultos meatus, aquas piscinae inferioris, quae habebat aquas de terra fluentes, quae tamen ab hostibus prohiberi poterant. Numerastis, ut numero et mensura dispensaretur aqua; destruxistis domos, quae erant juxta murum, ut non impedirent defensores; lacum, piscinae inferioris, fecistis, fluere, inter duos muros, quibus cingebatur civitas, et aquam scilicet restaurastis, eum, scilicet Deum, eam, aquam. Ps. 13: Deum non invocaverunt. Secundo quantum ad divinum consilium, quod contemnebant, et vocabit. Et circa hoc tria ponit. Primo ipsum consilium: ad fletum oculorum, ad planctum, manuum, ad calvitium, secundum morem antiquum, qui in tristitia opera haec faciebant. Joel. 2: convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, fletu, et planctu. Secundo ponit consilii contemptum, et ecce gaudium, supra 6: cythara et lyra in conviviis vestris. Tertio contemnendi animum, comedamus. 1 corinth. 15. Sapient. 2: umbrae enim transitus est tempus nostrum.

Et revelata. Hic ponitur sententia; et possunt legi ex persona Domini; haec blasphemia vestra revelata, idest ego audivi. Si dimittetur: quasi dicat, non credatis supra 2: ne ergo dimittas. Vel ex persona prophetae: haec vox Domini est revelata. Et haec omnia quae dicta sunt pertinent ad captivitatem per Nabuchodonosor imperantem facta. Haec dicit Dominus. Hic ponitur comminatio contra illos ad quos pertinebat praelatio in spiritualibus: et primo contra sacerdotem qui tunc erat; secundo contra totum sacerdotalem ordinem, in die illa dicit Dominus.

Circa primum duo facit. Primo praedicat illius depositionem, qui civitatem terrore concussus tradidit Senacherib, idest inferiorem partem; secundo alterius substitutionem, et erit in die illa. Circa primum tria facit. Primo describit personam ex officio, qui habitat in tabernaculo.

Sacerdotis erat excubare in tabernaculo, ut habetur Num. 1. Praepositum, summum super decem. Secundo arguit culpam triplicem: indignae habitationis: quid tu hic facis in domo mea, indignus tali habitatione? jerem. 11: quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? de se superbae praesumptionis: aut quasi quis hic? aestimas te ac si esses alicujus valoris, cum nihil sis? Zach. 11: o pastor, et idolum. Curiosi sepulcri aedificationis: excidisti, hic in jerusalem juxta templum, memoriale, idest epitaphium, in excelso, idest in supremo situ sepulcri; vel ad litteram, in alto sepulcrum suum collocaverat ad memoriam suam, sicut habetur 1 Mach. 13. Tertio comminatur poenam: ecce Dominus, triplicem: primo captivationis, sicut asportatur, ligatus, et sine labore, gallinaceus, qui pullos ad modum gallinae nutrit, castratus existens, qui capones dicuntur; et quasi amictum, leviter super humerum levatus. Jerem. 20: tu Phassur, et omnes habitatores domus tuae, ibitis in

captivitatem et in Babylonem venies, et ibi morieris, ibique sepelieris tu et omnes amici tui. Secundo confusionis: coronans, idest, loco coronae qua utebaris cultu pontificali, habebis tribulationem, quasi pilam, quae non invenit altam stationem.

Currus gloriae tuae, qua ferebaris gloriosus, in confusionem tuam versus. Et ignominia domus Domini; idest, gloriam quam habuisti in domo Domini, vertetur tibi in ignominiam. Oseae 4: gloriam eorum in ignominiam commutabo.

Tertio poenam depositionis, et expellam. 3 regum 2: ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini. Et erit. Hic ponit alterius substitutionem; et circa hoc tria ponit.

Electionem, invocabo, unum de vigintiquatuor, ut legitur 1 par. 25, 1 Reg. 2: suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum sit.

Secundo ipsius consecrationem, et induam eum; quia cum vestibus pontificalibus consecratur, sicut patet Levit. 18 de vestibus istis, et Exod. 28.

Tertio confert jurisdictionem. Et potestatem. Et primo quantum ad potestatem quam habebat in populo, ponens potestatem, et potestatem, scilicet dabo.

Psalm. 108: fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter. Et erit quasi pater.

Jerem. 3: dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. Secundo quantum ad potestatem quam habebat ad templum: et clavem, quae aurea erat, domus David, idest templi, ad quod aedificandum David impensas praeparavit, sicut patet 1 Paralip. In fine, super humerum, idest suam gubernationem; vel quia ea utebatur quasi quodam ornamento. Aperiet, quia sibi licitum erat intrare semel per annum in sancta sanctorum, ut dicitur Heb. 9. Tertio quantum ad potestatem quam habebat supra totum ordinem ministrantium: et figam illum paxillum, diminutivum de palo: sicut enim super palum aliquem suspenduntur diversa vasa; ita ad curam ipsius pertinebant diversa officia, quae habent usum diversorum vasorum in ministeriis domus Domini: in loco fidelium, scilicet templo. De hac potestate dicitur numer. 3 et 4. In die illa.

Hic contra sacerdotium totum, quod destructum est tempore Sedeciae captivante Nabuchodonosor.

Quae enim dicta sunt de sobna pertinent ad tempus Senacherib.

Et vocatur hic paxillum ipsum sacerdotium, quod cessavit tempore captivitatis. Oseae 3: dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe, et sine sacrificio et sine altari et sine ephod, et sine therapim.

Nota super illo verbo, qui habitat in tabernaculo, quod est multiplex tabernaculum. Primum carnalis concupiscentiae, quod est porcorum. Heb.

Ult.: habemus altare de quo edere non habent qui tabernaculo deservunt. Secundum est temporalis et naturalis vitae, quod est hominum. 2 Pet. 1: certus sum enim quod velox est depositio tabernaculi mei. Tertium est militantis ecclesiae, quod est pugnantium. Supra 4: tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu.

Quartum est contemplativae sapientiae, quod est quiescentium. Ps. 131: introibimus in tabernaculum ejus.

Quintum est visionis aeternae, vel caelestis patriae: quod est omnium beatorum. Infra 33: oculi tui videbunt jerusalem civitatem opulentam, tabernaculum quod nunquam transferri poterit.

|+23 Capitulus 23

Onus tyri.

In parte ista comminatur contra tyros, qui, populo Dei jungentur mercationum societate: et dividitur in duas. Primo comminatur destructionem quae facta est a Nabuchodonosor; in secunda promittit liberationem, et erit post septuaginta.

Circa primum tria ponit. Primo compatiendum tristitiam; secundo timentium fugam, transite; tertio destructionis poenam, Dominus mandavit. Circa primum tria ponit. Primo dolorem mercatorum, ponens eorum planctum, ululate naves, scilicet chartaginenses. Apoc. 17: mercatores terrae, de virtute divitiarum ejus divites facti sunt. Et planctus motivum, vastata est domus; idest tyrus, venire: negotiatio. Et etiam cognoscendi modum, de terra cethim, idest Graecia. 1 Mach. 1: egressus de terra cethim Darium. Secundo ponit stuporem, tacete, adjungens tria in quibus gloriabantur: scilicet in munitione loci, qui habitatis. In multitudine mercimonii, negotiatio, idest in qua negotiantur.

Repleverunt, divitiis in abundantia frumenti. Semen Nili fluminis, est messis, et fruges ejus, scilicet tyri, quia de Aegypto veniebat eis multum de tritico.

Et ideo facta est, Ezech. 27: dices tyro.

Tertio ponit confusionem vicinorum: et primo sidoniorum, quorum colonia tyrus erat: mare, idest marini negotiatores, ait: o sidon erubescere, quia non defendisti tyrum: quia fortitudo mea, idest tyrus, est dicens: non parturivi, ad defensionem tyri. Vel aliter. Sidon ait: o mare, fortitudo maris, idest terrae, erubescere; idest, non valuit mihi parturivisse, quia capta sum. Vel aliter. Mare, idest fortitudo maris, idest negotiatores qui fortes sunt in mari, ait: erubescere sidon, dicens, non parturivi, ad defensionem tyri. Vel aliter. Sidon, ait: o mare, fortitudo maris, idest tyre, erubescere, tu tyre, dicens quae sequuntur. Vel sidon dicens: cum vos ex me geniti sitis, o tyrii ita capti estis ac si non parturivissem, infra 29: ego etc.. Secundo Aegyptiorum: cum auditum, 1 regum 3: ecce ego faciam verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient aures ejus. Transite. Hic praedicat fugam timentium, quantum ad illos qui Nabuchodonosor impugnantem civitatem, fugerunt in Aegyptum cum navibus: et primo

hortatur ad fugam; secundo ad fugae constantiam vel festinantiam, transi terram. Circa primum tria (ponit) primo timentium fugam: transite, vos fugientes, ululate, remanentes. Supra 16: derelictae sunt propagines ejus, transierunt mare. Secundo remanentium ignominiam, numquid. Et circa hoc duo facit.

Primo praedicat ignominiam, commemorans primo pristinam gloriam. Numquid non haec vestra, scilicet civitas? ducent, quantum ad captivos.

Baruch 4: delicati mei ambulabunt vias asperas.

Tertio admirationem, ponens primo admirantis quaestionem, quis cogitavit coronatam? quasi reginam aliarum civitatum. Principes, prae nimiis deliciis.

Ezech. 26: quomodo periisti quae habitas in mari, urbs incluta, quae fuisti fortis in mari, cum habitatoribus tuis? et subjungit responsionem: Dominus exercituum, job 40: disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Transi terram.

Hic hortatur ad velociter fugiendum: et primo ponit exhortationem, transi quasi flumen, quod cito navigio transitur. Jerem. 46: vasa transmigrationis fac tibi, habitatrix filia Aegypti. Secundo assignat rationem ex parte ipsorum. Non est cingulum ultra tibi, idest fortitudo, Abd. 2: ecce. Aliter ex parte Dei: manum suam, supra 11: desolabit Dominus linguam maris Aegypti Dominus mandavit.

Hic comminatur destructionem: et primo persecutionis flagellum; secundo praedicat compassionis planctum, ululate; tertio determinat destructionis tempus, et erit, in die illa.

Circa primum tria facit. Primo denuntiat divinam indignationem, ponens praeceptum; mandavit, Nabuchodonosor, chanaan, in qua est tyrus. 4 Reg. 18: Dominus dixit mihi: ascende ad terram hanc, et demolire eam. Et finem intentum: et dixit: non adjicies ultra; calumniam sustinens, accusata de superbia. Jer. 9: non gloriatur sapiens in sapientia sua, neque dives in divitiis suis.

Excludit etiam remedium: in cethim, Deut. 28: in gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Secundo ponit hostium fortitudinem: ecce terra chaldaeorum non fuit, ante eos. Assur, vel Nabuchodonosor, Dan. 4: nonne haec est Babylon quam aedificavi? tertio ponit destructionem quantum ad captivationem hominum; transdixerunt, supra 5: descendent fortes ejus. Quantum ad destructionem domorum, suffoderunt, domos. Supra 17: erit sicut acervus. Ululate.

Hic ponit planctum Ez. 27. Et erit.

Hic determinat tempus. Regis unius, qui raro etiam tantum vivit. Infra 49: dereliquit me Dominus. Post septuaginta autem.

Hic promittit liberationem: et primo ponit liberatorum cantum, ponens canendi tempus: post septuaginta quasi canticum meretricis, quae abjecta a viro, per cantilenas in quibus commemorat pristinam dignitatem, se jactitat, et cor movet aliorum ad misericordiam. Ponit etiam canticum quantum ad instrumentum, sume cytharam; quantum ad locum circui; quantum ad modum, bene cane; quantum ad numerum, frequenta. Ponit etiam fructum ut memoria. Jer. 3: vulgo dicitur: si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum; numquid revertetur ad eam ultra. Secundo promittit liberantis beneficium: et erit post septuaginta; fornicabitur, negotiabitur.

Jer. 30: glorificaberis.

Contra. Ezech. 27: ad nihilum deducta es, et non eris in perpetuum. Glossa ibi: idest in memoria, quae est vita unius hominis, quod est per septuaginta annos. Psal. 89: dies annorum in ipsis septuaginta.

Tertio ponit liberationis fructum, et erunt. Infra 60: aurum pro aere afferam, et pro ferro afferam argentum.

Nota super illo verbo, sume cytharam, quod per cytharam significatur recta vita. Primo quantum ad carnis mortificationem, propter chordarum materiam. Psalm. 70: psallam tibi in cythara, sanctus Israel. Secundo quantum ad virtutum connexionem, propter cantus concordantiam. Supra 16: venter meus ad Moab quasi cythara sonabit.

Tertio quantum ad dulcedinem boni operis, propter audientis laetitiam. Job 21: tenent tympanum et cytharam, et gaudebunt ad sonitum organi.

Item nota super illo verbo, circui civitatem, quod debet homo circuire civitatem: primo propriae conscientiae, recogitando peccata. Eccl. 12: circuibunt in plateis plangentes, antequam rumpatur funiculus argenteus. Secundo militantis ecclesiae, imitando justorum exempla psalm. 47: circumdate sion, et complectimini eam. Tertio caelestis patriae, cogitando sanctorum praemia.

Cant. 3: surgam, et circuibo civitatem.

Item nota super illo verbo, bene cane, quod debet homo bene canere: primo hilariter. Psal. 146: Deo nostra jucunda sit laudatio. Secundo attente. 1 corinth. 14: psallam spiritu, psallam et mente. Tertio devote. 2 Paral. 29: obtulit populus hostias et laudes mente devota.

Item nota super illo verbo, frequenta canticum, quod debet frequentari primo propter ipsius magnitudinem.

Eccl. 43: glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Secundo propter bonorum interiorum multitudinem. Psalm. 97: cantate, exultate et psallite. Tertio propter peccatorum abundantiam. Psalm. 118: septies in die laudem dixi tibi...p Domine Deus ne perdas me.

Ecce Dominus.

In parte ista comminatur destructionem totius terrae, vel quae facta est in singulis regnis et diversis partibus, vel quae futura est in die iudicii, secundum quod supra 14, dictum est: hoc est consilium quod cogitavi, quamvis quidam hic exponant de terra Iudeorum, vel de terra Babylonis, vel de terra idumaeorum. Dividitur autem in duas. Primo comminatur contra terrae habitatores; in secunda contra populorum gubernatores, et erit in die.

Circa primum tria ponit. Primo destructionem hominum; secundo subtractionem gaudiorum, ibi, luxit vindemia, tertio multitudinem periculorum, praevaricantes.

Circa primum tria. Primo comminatur destructionem: nudabit, evacuando habitatoribus; dissipabit, privando cultoribus; affliget, diversis poenis, faciem, idest habitantes in superficie; disperget, in diversa dividendo per captivitatem.

Joel. 1: nudans spoliavi te.

Secundo destructionis universalitatem quantum ad punitos, adaequans differentes dignitate: sicut populus; conditione, sicut servus; rerum possessione, sicut emens. Job 3: parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a Domino suo. Quantum ad diversitatem poenarum, dissipatione, ponens rerum amissionem; quantum ad immobilia, dissipabitur; quantum ad mobilia, praedabitur. Jerem. 12: desolatione desolata est omnis terra. Quantum ad potentiae deiectionem, luxit et defluxit, praeteritum pro futuro, idest defluet lugens pro infirmitate; et hoc est, infirmata est; ut hoc dictum sit quantum ad populares. Sed quantum ad potentes, defluxit orbis, idest rectores orbis.

Supra 13: visitabo super orbis mala. Ponit etiam hominum interfectionem, et terra, Psal. 105: interfecta est terra. Tertio ostendit poenae aequitatem, quia transgressi sunt; et hoc per comparisonem ad culpam: unde duo facit. Primo ponit culpam: leges, scriptas vel naturales, jus, consuetudinis, foedus, amicitiae, sempiternum, quia ex similitudine speciei causatum. Osee 8: transgressi sunt foedus meum, et legem meam praevaricati sunt. Soph. 3: polluerunt sanctuarium meum, injuste egerunt contra legem. Secundo comminatur poenam propter hoc quadruplicem. Primo divinae maledictionis, maledictio. Jerem. 23: a facie maledictionis luxit terra. Secundo divinae desertionis, peccabunt; quasi Domino eos derelinquente.

Rom. 1: propterea tradidit eos Deus in passiones ignominiae. Apoc. Ult.: qui in sordibus est, sordescat adhuc. Tertio infatuationis, ideoque insanient. Ps. 77: conversi sunt in vanitates.

Quarto diminutionis, et derelinquentur.

Deut. 28: remanebitis pauci numero. Luxit vindemia, hic comminatur subtractionem gaudiorum quantum ad malos; et secundo (ponit) gaudia bonorum, quomodo si paucae.

Circa primum tria. Primo ponit cessationem laetitiae quae ex tribus erat: vel in fertilitate rerum, luxit vindemia, deficiens, idest causa luctus fuit: supra 16: in vineis non exultabit, neque jubilabit; vel in exercitio ludorum, cessabit gaudium: Apoc. 14: vox cytharatorum cytharizantium in cytharis suis: vel in deliciis conviviorum: cum cantico non, supra 5: cythara et lyra in conviviis vestris. Secundo ponit recompensationem tristitiae: amara, quia in conviviis tristitiam habebunt, contra delicias conviviorum.

Amos 8: convertam festivitates vestras in luctum. Attrita, contra vanitatem ludorum.

Ps. 38: universa vanitas. Eccl. 1: vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Civitas, Babylonis, quaelibet anima. Clamor, conquerentium de defectu vini, contra fertilitatem. Amos 5: in omnibus vineis erit planctus. Tertio concludit commutationem, deserta, commutatur in tristitiam. Luc. 6: vae vobis qui ridetis, quia flebitis. Ps. 14: risus dolore miscebitur. Quomodo. Hic ponit gaudia bonorum. Et primo praedicat laudem futurorum, quorum praedicat salutem: quomodo si paucae: pauci salvabuntur respectu aliorum. Supra 17: relinquetur in ea sicut excussio oleae, duarum aut trium olivarum. Et ponit ipsorum laudem, hi levabunt, hincient, sicut equi ad significandam magnam laetitiam. Infra 52: vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt. Secundo inducit laudem praesentibus, propter hoc.

Et primo ponit praeceptum, in doctrinis, idest docendo alios. Alia translatio, laudationibus. Eccl. 43: glorificantes Deum quantumcumque poteritis.

Secundo designat praecepti explementum, a finibus terrae. Iusti, idest Christi. Infra 62: ecce Dominus auditum faciet in extremis terrae.

Tertio implentium praemium, et dixi; secretum, de praemiis eorum. 1 Cor. 2: oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. Mihi, soli. Vae mihi, quia non possum aliis enarrare. 2 Cor. 12: audivi arcana verba, quae non licet homini loqui. De poenis damnatorum. Vae mihi, quantas poenas video. Et sic tenet se cum parte sequenti. Praevaricantes.

Hic comminatur multitudinem periculorum; et circa hoc duo facit. Primo arguit diversitatem peccatorum. Praevaricantes, omittendo, transgressi, committendo. Ps. 118: praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae. Secundo comminatur multitudinem periculorum. Et primo ponit hanc multitudinem, formido. Loquitur ad similitudinem eius qui prae timore insequentes fugit. Supra 8: cadent et irretientur, Ier.: vae terrenis.

Secundo evadendi impossibilitatem et erit qui fugerit: quasi dicat: decidet in Scyllam, cupiens vitare charibdim. Joel 1: residuum eruciae comedit bruchus. Et assignat causam, quia et de caelo et de terra veniet eis tribulatio.

Et hoc est cataractae, idest occulti meatus per quos aqua transit. Genes. 7: cataractae caeli apertae sunt. Tertio reparationis impossibilitatem sub triplici similitudine; scilicet rei divisae, quae non integratur, confractione,

quantum ad partes magnas, contritione, quantum ad parvas. Amos 9: ecce oculi Domini. Et per similitudinem rei commotae, et quae non stabilitur: commovebitur, de loco ad locum, agitabitur, quasi tremens in proprio loco, sicut ebrius.

Supra 19: errare fecerunt; et per similitudinem tentorii viatoris, quod in eodem loco non firmiter figitur, et quasi tabernaculum.

Infra 38: generatio mea ablata est, et convoluta est a me quasi tabernacula pastorum.

Et assignat causam: et gravabit, quasi pondus grave, ut non resurgat, Eccli. 22: super plumbum etc., Zach. 5: iniquitas sedet super talentum etc.. Psalm. 37: iniquitates meae sicut onus grave gravatae sunt super me. Et erit. Hic contra populorum gubernatores: et circa hoc tria ponit. Primo ponit eorum poenam, in die illa, iudicii, militiam, Daemones, et super eosdem reges. Joan. 12: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Vel etiam malos reges. Et congregabuntur, simul in infernum.

Matth. 25: qui paratus est diabolo et Angelis suis. Fascis. Matth. 13: alligate ea fasciculos ad comburendum; ut sint similes in poena qui fuerunt similes in culpa.

Apoc. 19: vidi bestiam etc.. Vel in die illa, scilicet destructionis singulorum regnorum, militiam, idola scilicet solis et lunae, et aliarum stellarum. 4 Reg. 21: adoravit omnem militiam caeli. Et congregabuntur, per destructionem. Infra 34: tabescet omnis. Secundo determinat poenae mensuram quantum ad tempus: et post multos dies visitabuntur, quia post quantumlibet tempus tormentis punientur in aeternum. Matth. 25: ite maledicti in ignem aeternum. Vel in die iudicii; ut statim ad infernum peracto iudicio redeant. Vel, secundum aliam expositionem, consolabuntur, quia post tempestatem, omnibus aliquam tranquillitatem facit. Tob. 3. Tertio punientis gloriam: et primo iudicis: et erubescet, idest, splendor ejus nihil reputabitur comparatione splendoris corporis Christi. Joel. 2: sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et terribilis. Vel cultores solis et lunae. Secundo assessorum, cum regnaverit...

Senum: supra 3: Dominus ad iudicandum veniet cum senatoribus terrae.

Nota super illo verbo, amara potio, quod potio peccati est amara primo propter conscientiae remorsum.

Proverb. 5: novissima illius amara sunt. Secundo propter mortis metum. Eccl. 41: o mors, quam amara est memoria tua. Tertio propter divinae dulcedinis defectum. Jer. 2: scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Quarto propter poenitentiae planctum. Infra 38: recogitabo tibi in amaritudine animae meae. Item nota super illo verbo, secretum, quod Dei magnalia sunt secreta primo propter eorum magnitudinem.

Matth. 19: non omnes capiunt verbum hoc. Joan. 3: si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo si dixero vobis caelestia, credetis? secundo propter eorum dignitatem.

Matth. 13: vobis datum est nosse mysterium regni Dei; tertio propter aliorum idoneitatem. Matth. 7: nolite sanctum dare canibus.

Item nota super illo verbo, et erit in die illa, visitabit, quod est visitatio Domini multiplex. Prima condemnationis. Jerem. 8: in tempore visitationis; secunda correptionis. Ps. 88: visitabo in virga iniquitates eorum. Tertia consolationis. Luc. 1: visitavit nos oriens ex alto.

|+25 Capitulus 25

Domine Deus.

Hic ponitur gratiarum actio: et primo de populi exaltatione; secundo de ipsius justificatione: cap. 26: in die illa, tertio de paterna correptione: cap. 27: in die illa. Prima in duas.

In prima ponitur gratiarum actio: exaltabo te, in aliis alte te praedicando, confitebor, in me ipso gratias agendo. Psalm. 9: confitebor tibi. Domine, in toto corde meo. Secundo ponitur materia gratiarum actionis, quoniam fecisti. Et primo in generali quantum ad magnitudinem factorum.

Mirabilia. Job 9: qui facit magna etc..

Quantum ad impletionem promissorum, fideles.

Eccl. 36: da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetae tui fideles inveniantur.

Amen, id est vere. Secundo in speciali, quia posuisti, et primo opera quae pertinent ad depressionem malorum; secundo quae pertinent ad exaltationem bonorum, et faciet Dominus.

Circa primum tria.

Primo comminatur poenae flagellum; secundo poenae fructum: super hoc, tertio punitionis modum, sicut.

Dicit ergo primo, civitatem. Jerusalem; alienorum, a Deo, scilicet Judaeorum; in sempiternum non aedificetur: quia nec in eodem postea, supra 17: ecce Damascus desinat civitas esse. Mich. 3: sion quasi ager, Ez. 27: ad nihilum deducta es.

Vel de Babylone, sive de qualibet alia civitate gentilium eis adversantium. Super hoc.

Hic ponit fructum in subjectione hominum ad Deum. Et primo ponit duo signa subjectionis. Laudem, laudabit fortis, quantumcumque tibi subjectus; vel populus gentilis fortis in passionibus. Timorem. Timebit te, quaecumque civitas. Infra 60: fortitudo gentium venerit tibi. Secundo assignat rationem, quam primo ponit quia factus es; pauperi, qui parum habet, etsi sufficiens sibi, egeno, qui eget. Psal. 93: factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adiutorium spei meae. Secundo ponit similitudinem, spes, defensionis, a turbine,

propter violentiam persequentis, umbraculum, consolationis, ab aestu, propter afflictionem persecutionis. Infra 32: erit vir sicut.

Tertio ponit expositionem. Spiritus, idest indignatio et superbia. Supra 21: sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. Sicut aestus. Hic ponit punitionis modum quantum ad afflictionem, sicut aestus in siti, affligit. Tumultum, superbum clamorem, quantum ad sterilitatem. Et quasi calore sub nube, adunata ex vento Australi, quae etiam quandoque propter nimium calorem, fructus vitis destruuntur. Jac. 1: exortus est sol cum ardore, et arefecit fenum, et flos ejus decidit. Et faciet Dominus. Hic ponit ea quae pertinent ad exaltationem bonorum: et hoc tripliciter.

Primo quantum ad abundantiam honoris, quam describit sub metaphora. Convivii, quod paratur de animalibus pinguis, et vino depurato, in monte hoc, quia ibi Christus passus est, unde nobis omnia bona provenerunt; vel quia ibi judicabit, ut dicitur Matth. 22: ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia sunt occisa. Secundo quantum ad subtractionem malorum, et praecipitabit, quantum ad mortis poenam, quam nominat vinculum in quantum ad ipsam ex peccato obligamur, et (telam) in quantum iusta Dei sententia ordinata est. 1 corinth. 15: absorpta est mors in victoria.

Oseae 13: ero mors tua, o mors; morsus tuus, o inferne. Doloris tristitiam, et auferet. Apocal. 21: absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum. Confusionis ignominiam: et opprobrium. Supra 4: aufer etc..

Quidam referunt hoc ad iudicium praestitum in morte holofernis, qui contra omnes gentes veniebat; et similiter de convivio. Et ponit gratiarum actionem. Et dicent, sustinuimus, patienter expectando. Eccl. 2: metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus.

Et ponit rationem, quia requiescet, cum quo nihil malum potest esse. Psal. 131: haec requies mea in saeculum saeculi. Tertio quantum ad hostium oppressionem, scilicet Moabitarum, qui propter somnum maxime eis infesti erant. Et primo ponit eorum afflictionem, triturabitur. Amos 1: trituraverunt in plaustris ferreis Galaad. Secundo plenariam subjectionem. Extendet manus, quasi prostratus, et petens misericordiam vel auxilium.

Infra 49: veniet; et munitionum destructionem, et munimenta, de quibus habetur supra 16.

Nota super illo verbo, confitebor nomini, quod est multiplex confessio. Prima humilitatis. Jac. Ult.: confitemini alterutrum peccata vestra. Secunda veritatis. Rom. 10: corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Tertia laudis. Psalm. 32: confitemini Domino in cithara. Quarta gratiarum actionis. Supra 12: confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me.

Item nota super illo verbo, amen, quod amen est Hebraeum: et quandoque est verbum, idest fiat.

Deut. 27: et dicet omnis populus, amen.

Quandoque adverbium, idest vere. Joan. 6: amen amen dico vobis. Quandoque nomen, idest veritas. Apoc. 3: haec dicit amen. Quandoque est Graecum, sine defectu, ab a, quod est sine, et mene, quod est defectus. Rom. 9: qui est Deus benedictus in saecula, amen.

Nota super illo verbo, convivium pinguium, quod est triplex convivium. Primum familiare militantis ecclesiae: in quo proponit tria. Primo amaritudinem passionis. Exod. 12: comedetis illud cum lactucis agrestibus. 1 Cor. 11: quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

Secundo dulcedinem dilectionis. Sap. 16: panem de caelo praestitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Tertio pinguedinem, quantum ad effectum. Psalm. 22: impinguasti in oleo caput meum. Secundum est convivium privatum animae: in quo proponit tria. Primo vinum amoris.

Can. 1: meliora sunt ubera tua vino. Secundo mel contemplationis. Psal. 118: quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Super mel ori meo.

Tertio lac depurationis (et hoc) ad crescendo in perfectum. 1 Pet. 2: rationabiles sine dolo, lac concupiscite.

Tertium est convivium solemne caelestis curiae; in quo proponit tria. Primo vinum ad ebrietatem.

Can. 5: comedite amici, et bibite et inebriamini; secundo mel ad satietatem.

Psal. 16: satiabor cum apparuerit gloria tua. Tertio lac ad perfectionem corporis et animae.

Cant. 5: oculi tui sicut columbae.

|+26 Capitulus 26

In die illa.

In parte ista gratias agit de populi justificatione; et dividitur in duas. In prima praedicit justorum statum; in secunda ostendit justitiae fructum, vetus error. Circa primum duo. Primo enim praedicit justorum fiduciam, in die illa, post reditum de captivitate, et afflictionem Moabitarum a Machabaeis; vel post Christi adventum. O sion, salvator, Christus, vel Judas Machabaeus, urbs fortitudinis Machabaea protectione; ponetur murus et antemurale, ipsi tantum, ad litteram, tempore Machabaeorum, vel murus Christus, antemurale, prophetae.

Vel aliter sion est urbs, salvator Deus, vel Christus, vel Judas Machabaeus. Murus, idest defendens sicut murus. Proverb. 18: turris fortissima nomen Domini. Zach. 2: ero eis, ait Dominus, murus ignis in circuitu. Secundo Dominus praedicat eorum justitiam, dicens ad Angelos, aperite portas, caeli vel virtutis, clausas peccatis: vel, ad litteram, non oportet vos claudere portas propter infideles, quia omnes erunt justii.

Psal. 117: haec porta Domini; justi intrabunt in eam: vetus error. Hic ponit justitiae fructum, scilicet pacem; de qua primo ponitur populi petitio, quae tria continet. Proponitur enim idoneitas petentium, vetus error, scilicet idolatriae: 2 Cor. 5: vetera transierunt. Postulatur pacis beneficium, servabis pacem, corporis et animae.

Infra 32: sedebit populus meus in pulchritudine pacis. Allegatur pacis meritum: quia in te speravimus. Eccli. 2: quis speravit in Domino, et confusus est? secundo ponitur prophetae responsio, qui est mediator inter populum et Deum, sperastis. Et dividitur in tres. In prima ponitur pacis promissio; in secunda pacis impetratio semita justi recta est; in tertia impetratae pacis denuntiatio, justitiam.

Circa primum tria. Primo concedit meritum: sperastis in Domino in saeculis, idest semper.

Psal. 27: in ipso speravit cor meum, et adjutus sum. Secundo adhibet consilium, in Domino Deo, supple, sperate. Matth. 10: qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Tertio promittit pacis beneficium, pro destructione hostium: quia incurvabit habitantes. Judaei referunt ad Romanos. Potest autem referri ad quoslibet ipsorum hostium. Vel mystice ad ipsos Judaeos. Supra 25: munimenta sublimium murorum tuorum corrueunt.

Et adjungit destruentium conditionem: conculcabit eam pes pauperis. Judaei, qui parum habet; egenorum, qui eget plura habere. Vel si mystice, ponit meritum destructionis Judaeorum propter pauperem Christum, de quo in Psal. 69: ego autem egenus sum et pauper. Et alibi 68: ego sum pauper et dolens. Egenorum, discipulorum, semita justi. Hic ponitur quasi disceptatio prophetae cum Domino, ad impetrandam petitionem populi: et primo inducit ad puniendum hostes per argumenta: secundo per experimenta, indulgisti. Circa primum duo facit. Primo inducit ut puniat; secundo ut in poena detineat, morientes. Circa primum tria facit. Primo inducit ad justitiam; secundo excludit misericordiam, misereamur, tertio determinat poenam, et non videbit.

Provocat autem ad justitiam, tria proponens.

Primo justitiae rectitudinem, semita justi, idest justitiae. Sap. 10: justum deducit Dominus per vias rectas. Secundo afflictorum expectationem, proponens tria: ipsam expectationem, in semita, idest per poenam judiciorum tuorum, quibus nos vindicas et liberas. Psal. 118: in aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me. Expectantium desiderium, nomen tuum. Jer. 23: hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Desiderii assiduitatem: quia die et nocte, idest omni tempore, vel in prosperis et adversis, anima mea.

Cant. 3: in lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea. Psal. 62: Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Tertio proponit justitiae utilitatem, cum feceris judicia. Psal. 9: cognoscetur Dominus judicia faciens. Misereamur.

Hic excludit misericordiam; et circa hoc duo facit. Primo Dominus interrogative proponit misericordiam, misereamur. Psalm. 32: misericordia Domini plena est terra. Secundo propheta excludit ipsam, propter ejus inutilitatem, et non discet.

Eccle. 8: quia non profert Dominus cito sententiam, filii hominum perpetrant mala. Eccli. 30: equus indomitus evadet durus, et filius remissus evadet praeceps. Et propter peccati gravitatem, propter sacri loci profanationem, in terra sanctorum. Psalm. 78: Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. Jerem. 11: quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? et non videbit. Hic ponitur disceptatio de poena determinando: et primo Dominus interrogat, et non videbit; quasi: numquid debeo hanc poenam sibi dare quod non videat? vel remissive, et sufficit hoc ad poenam. Secundo propheta respondet: Domine exaltetur. Tertio Dominus poenam determinat spiritualement: videant et confundantur: apocal. 1: videbit eum omnis oculus, in gloria humanitatis, non divinitatis: et corporalem. Apocal. 19: missi sunt in stagnum ignis. Quarto propheta congaudens consentit, proponens duo bona consequentia ex dicta poena: pacem populi. Ergo, Domine, hoc facto, dabis pacem; et hoc de te speramus; omnia enim. Phil. 2: Deus est qui operatur in nobis velle et perficere: operatus es, opera, idest poenas, quibus sufficienter nos purgasti. Infra 40: suscepit de manu Domini duplicia. Secundo laudem Dei: Domine Deus possederunt; et ideo laudi tuae vacare non potuimus. Tantum in te, non habentes alium Deum cui soli vacemus. Thren.

Ult.: servi dominati sunt nostri.

Nota super illo verbo, urbs fortitudinis, quod Christus est urbs fortitudinis nostrae, quia nos confirmat primo in fide. 1 Cor. 3: fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Secundo in spe. Heb. 6: fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem.

Tertio in caritate. Eph. 3: in caritate radicati et fundati. Luc. 12: ignem veni mittere in terram; quarto in opere. Phil. 2: Deus qui operatur nobis velle et perficere pro bona voluntate.

Quinto in tentatione. 1 Cor. 10: fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis. Sexto in accusatione. 1 Joan. 2: advocatum habemus ad Deum Jesum Christum.

Septimo in remuneratione. Apocal. 3: faciam illum columnam in templo Dei mei.

Item nota super illo verbo, aperite, quod aperire debemus portas per meditationem primo infernalis miseriae, infra 38: vadam ad portas inferi. Secundo justae vitae. Prov. Ult.: laudent in portis opera ejus. Tertio caelestis gloriae. Psalm. 147: confortavit seras portarum tuarum.

Item nota super illo verbo pacem, quod tria sunt quae faciunt pacem in praesenti. Primo contemptus temporalis opulentiae. Infra 57: impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Secundo subjugatio carnalis concupiscentiae.

Eccl. 44: pacificantes in domibus suis.

Tertio contemplatio divinae sapientiae. Psalm. 75: in pace factus est locus ejus, et habitatio ejus in sion. Item nota super illo verbo, semita justi, quod est via justitiae recta primo propter itineris breviteratem. Sap. 5: ambulavimus vias difficiles.

Secundo propter situs aequalitatem: cujus medium non discrepat, Joan. 13: sciens quia ad Deum vadit. Tertio propter pulchritudinem. Jer. 31: benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiae, mons sanctus.

Nota super illo verbo, pacem, quod tria sunt quae faciunt pacem in futuro. Primo bonorum ubertas. Psal. 147: posuit fines tuos pacem.

Secundo malorum securitas. Infra 32: sedebit populus meus in tabernaculis fiducia. Tertio immobilitas. Psal. 4: in pace in idipsum dormiam et requiescam.

Morientes. Hic petit ne punitos ulterius a poena liberet. Et primo ponit petitionem: morientes peccatores non vivant, vita gloriae nisi poeniteant. Gigantes, de sua potentia gloriantes, non resurgant, ad gloriam. Psal. 1: non resurgent impii, Eccli. 16: non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes. Vel petit ut hostes eorum deieci, ulterius non resurgant ad potentiam. Secundo ponit exauditionem: propterea. Psal. 9: pereat memoria eorum cum sonitu.

Jerem. 8: in tempore visitationis suae corrueat. Indulxisti. Hic inducit Deum ad iustitiae opus per experimentum. Et primo per experimentum in gentibus, secundo in Iudaeis: sicut quae concepit.

Circa primum duo facit. Primo probat per experimentum inutilitatem misericordiae: tum quantum ad remissionem poenarum, indulxisti; tum quantum ad multiplicationem bonorum, elongasti. Jer. 5: magnificati sunt et ditati, et incrassati sunt et impinguati, et praeterierunt sermones meos pessime.

Prov. 1: prosperitas stultorum.

Secundo utilitatem vindicantis justitiae, Domine in angustia. Oseae 6: in tribulatione sua mane consurgent ad me. Jer. 2: in tempore afflictionis. Sicut quae concepit.

Hic probat idem per experimentum in Iudaeis. Et primo ponit tribulationis flagellum, sicut quae concepit.

Joan. 16: mulier cum parit, tristitiam habet.

Psal. 47: ibi dolores ut parturientis.

Secundo emendationis fructum, a facie tua. Hebr. 12: omnis quidem disciplina, in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit justitiae. Justitiam non fecimus.

Hic denuntiat impetratam pacem: et circa hoc tria facit. Primo ostenditur ratio dilationis, justitiam non fecimus, ut alludat ei quod dicitur Deut. 28: dabit Dominus inimicos tuos qui consurgunt adversus te, corruentes in conspectu tuo.

Secundo ponitur promissio restitutionis populi per resurrectionem, sive corporalem in die novissimo, sive a miseria captivitatis. Unde promittitur resurrectio.

Vivent mortui: vox prophetae ad Dominum; Ezech. 37; indicitur resurgentibus gratiarum actio: expurgabimini, Dan. 12: multi ex his qui dormiunt in pulvere terrae, evigilabunt. Et assignatur resurrectionis causa, vel ratio: quia ros, scilicet divina benignitas, Os. 6: et veniet etc.. Tertio ostenditur hostium destructio: (et circa hoc tria ponit. Primo ipsam destructionem): terra gigantum, idest superborum et potentium. Supra 17: erit quasi acervus lapidum in ruina. Secundo populi Dei immunitatem, vade populus meus. Cubicula, sepulcra; vel ad litteram, munitionem in quibus interdum se caute custodiunt. Infra 54: in momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te; et misericordia sempiterna misertus sum tui. Apocal. 7: dictum est illis, ut quiescerent adhuc modicum, donec compleretur numerus fratrum suorum. Tertio ponit destructionis ordinem, quia per iudicium: unde ponit iudicis adventum, ecce enim Dominus. Michaeae 1: ecce Dominus egredietur, et manifestationem criminum: et revelabit, Job 16: terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.

|+27 Capitulus 27

In die illa.

In parte ista commemorat divinam et paternam correctionem: et primo flagellis alienis; secundo flagellis propriis, in die illa; unde dicitur sapien. 11: hos quidem tamquam pater monens probasti. Circa primum ponit flagellum Babylonis. Gladio, scilicet vindicta, Leviathan, scilicet Nabuchodonosor, propter additionem regnorum quae sibi subjugaverat, serpentem, propter virulentam tyrannidem, vectem, propter populorum correctionem a Deo. Supra 10: vae Assur, virga furoris mei; tortuosum, propter infidelitatem, Job 40: ecce absorbebit flumen et non mirabitur; cetum, Ez. 28: sedi in corde maris. In die illa. Hic ponitur correctio per propria flagella.

Unde primo prosequitur castigationem; secundo consolationem, et erit in die.

Circa primum duo facit. Primo praedicitur castigatio; secundo modus inquiritur, indignatio. Circa primum tria.

Primo praedicit doloris canticum, vinea, quondam in prophetis et patriarchis, vini meri. Supra 5: vinea Domini Sabaoth, domus Israel est. Secundo ponit punientis propositum: ego Dominus, qui servo, infra 51: bibisti de manu Domini calicem irae ejus. Tertio ponit beneficium, cui ingrati fuerunt: ne forte visitetur. Sapien. 16: sermo tuus, Domine, qui sanat omnia. Indignatio.

Hic inquiritur punitionis modus: et primo ponitur iudicis deliberatio; secundo deliberati executio, civitas.

Circa primum tria. Primo proponit severum iudicium, proponens saevientis iram, indignatio non est mihi; quasi dicat: immo juste indignor, quia beneficiis ingrati sunt. Infra 51: pleni indignatione Domini. Et ex ira determinat austeram poenam: quis dabit mihi spinam et veprem? quantum ad praecedentes angustias communiter in ipsis ad invicem exortas. Supra 5: ascendent super eam vepres et spinae. In praelio, quantum ad impugnationem hostium. Jerem. 21: ego debellabo; succendam, quantum ad destructionem domorum et civitatum. Jerem. 51: egredimini etc.. Secundo ponit sententiae temperamentum: an potius tenebo? quasi dicat: retinebo iram meam per oppositum. Jerem. 30: non avertet Dominus. Et ponit temperamenti fructum quantum ad bonos, quem quilibet faciet in comparatione ad Deum, faciet pacem; quasi dicat: pacificabit me bonis operibus. Infra 32: erit opus justitiae pax. In comparatione ad seipsum, florebit, fide, vel bono proposito: germinabit, operis consummatione. Infra 35: florebit ierusalem quasi lilium. Et in comparatione ad proximum, implebunt faciem; qui egredientur, scilicet apostoli. Supra 2: de sion exibit lex, et verbum Domini de ierusalem. Psalm. 18: in omnem terram exivit sonus eorum. Ponit etiam poenae supplementum quantum ad ingratos. Numquid iuxta? in quo improperat temperatae poenae beneficium. Psal. 102: non secundum peccata nostra facies nobis. In mensura in quo comminatur adaequatum iudicium, cum abjecta, a cultu Dei per infidelitatem non credentes Christo. Deut. 25: secundum mensuram peccati erit et plagarum modus.

Meditatus: in quo ostendit sententiae firmamentum.

Duro, quia non placabitur. Supra 2: quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est. Tertio explicat motivum ad temperandum ne tunc omnino destrueret, quia scilicet ex illa gente Christus et apostoli descendere adhuc debebant, per quorum praedicationem, idolorum cultus derelinquendus erat. Et hoc est quod dicit, cum posuerit. Supra 17: inclinabitur homo ad factorem suum; et oculi ejus ad sanctum Israel respicient.

Civitas. (hic ponitur deliberati executio, et circa hoc tria facit. Primo ponit poenam destructionis: civitas), scilicet ierusalem. Thren. 1: quomodo sedet sola civitas plena populo? quantum ad hostium potestatem, ibi pascetur, quasi sine timore requiescet, vitulus, hostium exercitus: summitates, metaphorice, idest spicas, per quas significantur principes. Supra 13: requiescent ibi bestiae. Vel ad litteram, ut sit desolationis signum. 1 Mach. 4: viderunt pastophoria dirupta.

Et hominum destructionem, in siccitate: metaphora est, idest sicut spicae teruntur in siccitate aestatis. Mulieres docentes, a quibus maxime in peccata populus praecipitabatur. Supra 3: populum meum exactores sui despoliaverunt. Vel quia ipsae mulieres docebant eos, sicut Debora iudic. 4. Et Holda 4 Reg. 22. Secundo ponit poenae aequitatem per comparationem ad culpam: non est enim populus. Supra 5: propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.

Tertio destructionis magnitudinem. Et quantum ad universalitatem locorum, et erit in die, idest ab uno capite usque ad aliud. Supra 1: a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Et quantum ad paucitatem hominum remanentium, et vos congregabimini.

Deut. 28: remanebitis pauci numero.

Et erit. Hic ponit consolationem per reductionem ad ipsam.

Tuba, praeceptum regis. Supra 11: levabit signum in nationibus, et congregabit profugos Israel.

Nota super illo verbo, visitabit Dominus in gladio, quod vindicta Dei dicitur gladius primo propter poenae acerbitatem. Secundo magnus propter punitorum universalitatem. Apoc. 6: datus est illi gladius magnus. Tertio fortis propter punientis potestatem. Job 19: fugite a facie gladii.

Quarto acutus propter ipsius penetrabilitatem, quia usque ad animam. Hebr. 4: vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Quinto lucens propter evidentem aequitatem.

Nahum 3: peribis gladio; devorabit te ut bruchus.

Item super illo verbo, Leviathan, nota, quod diabolus dicitur Leviathan, quia addit primo humanae nequitiae. Psalm. 68: appone iniquitatem super iniquitatem. Secundo propriae potentiae.

Matth. 4: haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tertio divinae justitiae. Genes. 4: major est iniquitas mea quam veniam merear.

Quarto divinae misericordiae. Gen. 34: tristem blanditiis.

Item nota super illo verbo, serpentem, quod diabolus dicitur serpens primo propter renovationis ingenium: 2 corinth. 11. Ipse Satan transfiguratur se in Angelum lucis. Secundo propter incedendi modum. Job 1: circuivi terram, et perambulavi eam. Tertio propter venenosum morsum. Prov. 23: in novissimo mordebit eum coluber.

Quarto propter involutionis modum.

Job 40: stringit caudam suam quasi cedrum.

|+28 Capitulus 28

Vae coronae.

In parte ista comminatur contra illos qui contemnebant prophetarum vaticinia; et primo contra contemnentes in praesenti; secundo contra futuros temporibus ieremiae: 30 cap. Vae filii desertores.

Prima in duas. In prima contra illos de decem tribubus; in secunda contra illos de duabus, verum hi quoque. Circa primum tria facit. Primo arguit culpam superbiae.

Vae coronae, quia de multitudine superbiebant, quae est corona vel gloria regis, Prov. 14 in multitudine populi dignitas regis. Secundo culpam gulae: ebrisi ephraim, Nahum gloria inebriasti me. Flori decidenti... Qui erant, temporibus David et Salomonis, venientes de aestu figebant in (valle) Gethsemani tentoria idolatriae; errantes a vino, scilicet idolatria.

Ezech. 7: floruit virga, germinavit amygdalus.

Secundo comminatur poenam, ecce validus, et circa hoc duo facit. Primo ponit hostium fortitudinem, ecce validus, quantum ad fortitudinem hostium, quos immittet; sicut impetus, quantum ad multitudinem. Supra 17: sonabunt populi sicut sonitus aquarum. Secundo ponit poenae afflictionem, scilicet dejectionem superbiae, pedibus conculcabitur; Hab. 3: in fremitu conculcabis; et exinanitionem gloriae, et erit flos quasi temporaneum, idest tempestivus vel primitivus fructus. Supra 18: ante messem enim totus effloruit. Nahum 3: omnes munitiones tuae sicut ficus cum grossis suis. Tertio ponit justorum gloriam, scilicet illorum de duabus tribubus, in die illa, scilicet temporibus ezechiae, destructis decem tribubus: quantum ad tria; quantum ad populi laetitiam, corona, quae ex auro vel argento, contra hoc quod dicit, coronae superbiae. Sertum, de floribus, contra hoc quod dixit, flori decidenti: infra 61: et darem eis coronam pro cinere.

Quantum ad regis justitiam, et erit, ipse Dominus, spiritus: jerem. 23: regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et justitiam in terra. Quantum ad militum potentiam, et fortitudo, quia Dominus pro eis pugnabit.

Supra 25: quia factus est fortitudo mea.

Verum hi. Hic comminatur contra illos de duabus tribubus: et primo contra principes: secundo contra civitatem vel contra populum. Cap. 29: vae Ariel. Prima in duas. Primo ponit comminationem; secundo consolationem, auribus percipite. Circa primum duo.

Primo arguit peccatum, et comminatur simul interitum: secundo excludit remedium: propter hoc audite.

Circa primum duo.

Primo arguit in eis defectum scientiae; secundo contemptum doctrinae, quia manda.

Circa primum duo. Primo arguit culpam, ponens primo errorem omnium communiter, verum hi quoque fornicando, Oseae 4: vinum et ebrietas apostatare faciunt a Deo. Secundo doctorum, sacerdos; nescierunt, quantum ad ignorantiam credendorum, erraverunt quantum ad ignorantiam agendorum, videntem, idest Deum qui omnia videt. Unde est expositio Ezech. 22: sacerdotes contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea.

Tertio ponit ignorantiae modum: omnes enim mensae, quia in templis idolis se ingurgitabant usque ad vomitum, quasi omnino idolis dediti: sordiumque, scilicet omnium vitiorum turpium. Prov. 26: sicut canis qui revertitur ad vomitum, et sus lota in volutabro luti. Secundo comminatur poenam excaecationis: quem docebit? unde primo ponitur quaestio, quem docebit? quasi dicat, ex quo vos scientiam repulistis? auditum, scilicet quod audivi a Domino. Secundo ponitur responsio, ablactatos idest humiles et parvulos simplices. Matth. 11: abscondisti haec et revelasti ea parvulis. Vel quoscumque bonos separatos a lacte concupiscentiae.

Nota super illo verbo, ebrisis, quod mali inebriantur vino, primo materialis liquoris. Eph. 5: nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Secundo carnalis delectationis. Prov. 7: venite, inebriemur; tertio spiritualis erroris. Supra 19: et errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo sicut errat ebrius et vomens.

Quarto divinae punitionis. Thren. 3: inebriavit me absynthio. Item inebriantur sancti primo lacrymis compunctionis. Supra 16: inebriabo te lacryma mea. Secundo calice passionis.

Ps. 22: calix tuus inebrians quam praeclarus est.

Tertio incentivo amoris. Cant. 4: comedite amici, et inebriamini. Quarto torrente felicitis delectationis.

Psal. 35: inebriabuntur ab ubertate domus tuae.

Item nota super illo verbo, coronae superbiae, quod coronantur mali et boni. Mali coronantur primo corona vanae laetitiae. Sap. 2: coronemus nos rosis. Secundo rerum opulentiae. Supra 23: quis cogitavit hoc super tyrum quondam coronatam? tertio mundanae potentiae. Job 19: spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. Quarto superstitiosae observantiae. 2 Mach. 6: cum liberi sacra celebrarentur, cogeantur hedera coronati libero circuire.

Item coronantur sancti primo corona nuptiali. Infra 61: quasi sponsum coronavit me corona. Secundo triumphali. 2 timoth. 2: non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Tertio regali. Infra 62: eris corona gloriae in manu Dei tui. Psalm. 20: posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso. Quarto sacerdotali. Eccl. 45: corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis.

Item nota super illo verbo, ablactatos lacte, quod est quoddam lac quod debet deseri; et istud multiplex. Primo carnalis concupiscentiae. Supra 11: qui ablactatus fuerit; secundo imperfectae justitiae.

Gen. 21: crevit puer, et ablactatus est.

Tertio rudis doctrinae. 1 Cor. 3: tamquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis. Et est lac quod debet amplecti, primo purae conscientiae.

Thren. 4: candidiores nive, nitidiores lacte, propter nitorem. Secundo sanae doctrinae propter dulcorem. Can. 4: mel et lac sub lingua ejus. Tertio aeternae gloriae propter facilem absorptionem. Levit. 20: possidete terram fluentem lac et mel.

Quia manda. Hic ponit contemptum doctrinae: et primo per blasphemiam, qua prophetas deridebant, dicentes, manda, quia his verbis comminando utebantur. Supra 13: mandabo militiae caeli, Ier. 13: mandabo nubibus. Expecta.

Hic promittendo. Habacuc 2: si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet. Et addit poenam, in loquela; idest, ita carebitis intellectu prophetarum ac si aliquis loqueretur vobis motu labii tantum, et lingua extranea. Vel statim inferet vobis plagas. Et de ista locutione, Sap. 2: contumelia et tormento interrogemus illum. Secundo quantum ad obedientiam, cui dixit: unde primo ponit praeceptum, haec requies. Matth. 25: quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Secundo contemptum, et noluerunt. Ezech. 3: domus autem Israel noluit audire te, quia nolunt audire me. Tertio comminatur interitum. Et erit eis; idest, pro verbis suis hanc poenam patientur.

Matth. 12: ex verbis tuis.

Ut vadant, in interitum. Propter hoc.

Hic excludit remedium: et primo ponit duo remedia: secundo excludit ab eis utrumque. Et ponam.

Circa primum ponit duo remedia. Unum in quo confidebant, scilicet pactum cum idolis: unde ponit pactum, percussimus foedus cum morte, idest cum diabolo. Job 40: numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum? et pacti fructum: flagellum inundans, idest persecutio: mendacium, idest idolum, quod vos prophetae dicitis mendacium. Psalm. 72: in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.

Secundum est remedium quod Deus sanctis parat, scilicet Christum, ecce ego. Psalm. 117: lapidem quem reprobaverunt aedificantes.

Qui crediderit non festinet, sed expectet Habac. 2: si moram fecerit, expecta eum. Et hoc contra malorum blasphemiam. Et ponam.

Hic excludit utrumque dictionum remediorum: et primo primum; secundo secundum, coangustatum.

Circa primum tria.

Primo ponit exclusionis justum iudicium, ponam, Sap. 11: omnia in numero et pondere fecisti. Secundo excludit pactum, et subvertet grando, tribulationis. Et ponit quatuor contra omnia quae supra dixerat. Job 8: spes hypocritae peribit. Tertio exclusionis fructum, et tantummodo. Supra 26: Domine, in angustia requisierunt te. Coangustatum.

Hic excludit secundum remedium: et primo ponit in eis impedimentum quare non valeat eis. Coangustatum: loquitur secundum similitudinem adulterae, quae non potest eodem lecto habere virum et adulterum; ita nec ipse idolis cultum et divinum auxilium, 1 Cor. 10: non potestis mensae Domini participes esse, et mensae Daemoniorum. Secundo ponit liberantis adventum, sicut in monte divisionum. Tangit historiam quae habetur 2 Reg. 5.

Sicut in valle. Ios. 10.

Tertio excludit misericordiae auxilium. Ut faciat opus suum, idest ut misereatur nobis? sicut tunc interrogative. Et respondit, alienum. Psalm. 144: miserationes ejus super omnia opera ejus. Et nunc nolite. Hic concludit sanum et salubre consilium: et primo prohibet illusionem, nolite illudere. Vincula, captivitatis, Prov. 3: illusores ipsi deludentur: et assignat rationem. Consummationem enim, supra 10. Auribus percipite.

Hic ponit consolationem. Et primo excitat attentionem, audite. Deuter. 32: audite caeli quae loquor.

Secundo ponit consolationem sub similitudine agricultoris: numquid tota die, per quam ostendit tria: scilicet punientis Dei intentionem, quia ut fructificemus, sicut arator, ut serat. Gith, genus leguminis simile cymino.

Secundo iudicii discretionem: quia alio modo punit hos et illos, sicut rusticus alio modo excutit triticum et cyminum, et hoc ibi: et erudiet. Panis, idest frumentum. Tertio poenarum cessationem quantum ad hos qui corriguntur. Verumtamen, 1 Cor. 9: debet qui arat in spe. Tertio ponit expositionem: et hoc a Domino. Ps. 138. Mirabilia opera tua.

|+29 Capitulus 29

Vae Ariel.

In parte ista ponit comminationem contra populum, sive contra civitatem; et dividitur in partes duas. In prima comminatur poenam temporalis destructionis; in secunda poenam spiritualis excaecationis, obstupescite. Circa primum duo. In prima comminatur destructionem; in secunda ponit qualemcumque consolationem, et erit sicut somnium.

Prima in duas. In prima destructionem jerusalem per Babylonios. In secunda per Romanos, et circumdabo.

Circa primum tria. Primo commemorat pristinam dignitatem. Ariel, idest leo Dei, quia Dei virtute temporibus David et Salomonis nullum timebat, sicut nec leo. Proverb. 30: leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum. Vel propter altare holocaustorum, quod ibi erat, quod consumebat animalia sicut leo.

Et sic ut sumitur Ezech. 43: vel forte propter figuram, quia erat sita in modum leonis. Expugnabit. 1 Reg. 17: nam leonem et ursum expugnavi.

Secundo ponit destructionem, ponens tria: festorum cessationem, additus, quasi dicat, multis annis.

Evolutae, idest perierunt. Oseae 3: sedebunt dies multos absque sacrificio et ephod. Obsidionem, et circumvallabo, scilicet chaldaeis. Ezech. 4: erit in obsidionem; et innuit expugnationem ex tristitia, et erit tristis.

Thren. 1: multi gemitus etc..

Tertio ponit reparationem factam sub Jesu sacerdote magno et aliis, de quo habetur in esdra per totum.

Et erit mihi; quasi dicat: umbram tantum pristinae dignitatis retinens.

Sed contra. Aggaei 2: magna est gloria domus istius novissimae, plusquam primae.

Et dicendum, quod hoc dicitur propter hoc quod fuit visitata ab ipso filio Dei et corporaliter.

Et circumdabo. Hic comminatur destructionem per Romanos; et circa hoc quatuor ponit: primo obsidionem, et circumdabo quasi sphaeram, idest in circuitu. Luc. 19: circumdabunt te inimici tui vallo. Habac. 1: super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem. Secundo obsessorum humiliationem, humiliaberis; et humiliationis signum: de terra loqueris, idest, ita ac si sub terra esses, etiam audieris humiliter, verba ferens Pythonis, qui silenter incantabant. Soph. 3: auferam de medio tui maliloquos superbiae tuae. Vel humiliationis meritum, arguens in eis peccatum avaritiae, de terra loqueris; et idolatriae, et erit quasi Pythonis. Tertio ponit hostium multitudinem, et erit sicut pulvis: joel. 1: gens ascendit: vel hostium destructionem, sicut supra 17: rapietur sicut pulvis montium a facie venti. Quarto ponit ipsam destructionem, eritque repente: metaphorice, propter hostium ferocitatem.

Jerem. 4: quasi nubes ascendet, et quasi tempestas: currus ejus velociores aquilis. Et erit sicut somnium.

Hic adhibet quamdam consolationem ex hostium poena, quia sicut res vana, in nihilum ibunt non reportantes aliquod commodum ex destructione Judaeae, sicut nec esuriens vel sitiens ex cibo vel potu somniato. Eccl. 34: vana spes et mendacium insensato viro, et somnia extollunt imprudentes. Zach. 12: ponam jerusalem lapidem oneris cunctis populis.

Nota super illo verbo, et erit sicut somnium, quod aliquid dicitur somnium primo propter vanitatem.

Eccli. 34: visio somniorum secundum hoc; secundo propter brevitatem. Job 20: velut somnium advolans non invenietur. Tertio propter cognitionis obscuritatem. Job 33: per somnium in visione nocturna.

Quarto propter animae perversitatem.

Infra 56: dormientes et amantes somnia.

Obstupescite, hic comminatur poenam excaecationis: et primo praedicat excaecationem Judaeorum; secundo conversionem gentium, nonne adhuc.

Circa primum duo. Primo ponit excaecationem; secundo ipsius rationem assignat, et dixit Dominus.

Circa primum tria. Primo praedicat excaecationem, ponens ea quae perturbant iudicium rationis, obstupescite, ex consideratione malorum culpae vel poenae. Jerem. 2: obstupescite caeli super hoc, et portae caeli desolamini vehementer.

Et admiramini, ex consideratione magnorum. Psal. 138: mirabilia opera tua. Fluctuate, ex incertitudine eligendorum. Jac. 1: qui enim haesitat, similis est vento; vacillate, ex inconstantia propositorum.

Job 4: vacillantes confirmaverunt manus tuae. Inebriamini, ex anxietate dolorum.

Habac. 2: bibe tu quoque, et consopire; circumdabit te calix dexterarum Domini. Secundo ponit excaecationis modum, quoniam miscuit; idest, sicut vinum mixtum propinavit, oculos vestros, scilicet prophetas. Supra 19: Dominus miscuit in medio spiritum vertiginis. Tertio ponit excaecationis effectum, quia librum sacrae Scripturae et visiones omnium prophetarum non intelligunt.

Et erit vobis. Apoc. 5: vidi in dextera sedentis librum. Et dixit Dominus.

Hic ponit causam excaecationis, scilicet peccatum ipsorum: et primo in affectu; secundo in intellectu, vae qui profundi. Circa primum duo ponit. Primo culpam divini contemptus, cor autem ejus, quia palliant verbis, labiis, humanis observantiis. Et timuerunt. Jer. 12: prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.

Matth. 15: irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. Secundo poenam, ideo ecce ego, grandi, secundum eorum reputationem, vel quondam. Abdias: perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo: 1 Cor. 1. Vae qui profundi. Hic ponit peccatum ex parte intellectus, quia non credebant Dei providentiam, quod sciret ea quae circa nos aguntur: et circa hoc duo facit. Primo ponitur erroris excogitatio.

Dicebant autem Deum latere, propter cordis profunditatem, ubi sua prava consilia pertractabant: unde dicit: qui profundi, jerem. 17: profundum est cor hominis et inscrutabile; quis cognoscet illud? et propter obscuritatem locorum in quibus prava opera exercebant: unde dicit: quorum sunt, joan. 3: omnis qui male agit, odit lucem. Eccl. 16: non dicas, a Deo abscondar. Secundo ponitur justa increpatio, perversa est. Non fecisti, quia Deus cognoscit in quantum est causa rei. Infra 45: vae qui contradicit factori suo. Infra 64: et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster, et opera manuum tuarum omnes nos. Nonne. Hic praedicat gentium conversionem: et circa hoc tria facit. Primo praedicat conversionem ad gratiam.

Libanus, gentes, quia mons erat in terra gentium, in carmel in gratiam, quam Judaei per circumcisionem habebant, quia interpretatur scientia circumcisionis. In saltum, idest in sterilitatem, in qua prius erant gentes. Infra 32: habetur idem.

Ad sacram scientiam, surdi, scilicet gentiles, qui prius non audierant verba legis. Matth. 2: caeci vident.

Joan. 9: in iudicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.

Ad spiritualem laetitiam, et addent. Psal. 9: laetabor et exultabo in te, psallam nomini tuo, altissime. Secundo assignat conversionis occasionem, vel rationem, ex casu diaboli: quoniam defecit qui praevalebat, per potentiam, illusor, deceptor per astutiam. Supra 16: consummatus est miser, ex caecitate Judaici populi: quia caecitas ex

parte contingit in Israel: Rom. 11. Succisi sunt qui vigilabant: studiositas ad malum. Prov. 4: non enim dormiunt, nisi male fecerint. Qui peccare, pravis exemplis et doctrinis. Arguentem, quantum ad disciplinae contemptum. Amos 5: odio habuerunt corripientem in porta. Declinaverunt, quantum ad peccati vanitatem, quia frustra est quod non consequitur finem. Sap. 5: quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? tertio ponit Judaeorum reversionem in fine mundi, propter hoc haec dicit; qui redemit, Gen. 11. Non modo, idest in hoc tempore, confundetur, bona confusione.

Ecccl. 4: est confusio adducens gloriam; filios apostolos, mussitatores, idest qui primo murmurabant. Supra 27: qui egredientur impetu a Jacob, et florebit et germinabit Israel. Vel potest aliter exponi de prosperitate, quae eis promittitur destructo Senacherib vel Nabuchodonosor. Carmel in saltum; idest, tanta erit fertilitas terrae promissionis, quod fertilitas carmeli reputabitur sterilitas in comparatione ejus. Illusor, Senacherib vel Nabuchodonosor. Filios suos, tres pueros in camino ignis: vel quia pueri ipsorum facient laudem nominis mei, quod ipsi in juventute sua non fecerint.

|+30 Capitulus 30

Vae filii.

In parte ista comminatur propheta contra illos qui contempserunt prophetiam jeremiae, euntes in Aegyptum, contra ejus consilium, sicut habetur jerem. 43. Et dividitur in duas. In prima comminatur contra Judaeos tantum; in secunda contra Judaeos et Aegyptios simul, de quibus confidebant: 31 cap.: vae qui descendunt.

Vel, secundum Glossam, in prima parte prohibet descensum, in secunda comminatur poenam contra descendentes. Prima in duas. In prima ponit comminationem; in secunda consolationem, propterea expectat. Prima in duas. In prima arguit descensum; secundo divini praecepti contemptum, ideo clamavi. Circa primum tria arguit in eis. Primo itineris dispositionem, ponens propositum, ut faceretis consilium... Telam, pravam machinationem; et consequentem effectum, ut adderetis: 2 Paralip. 28: quare vultis addere peccata super peccata? secundo ponit consilii executionem quantum ad viae incessum, qui ambulatis; qui deformatur per contemptum divini consilii, os meum, prophetam.

Jerem. 15: si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris: quia quae dixit facere nolulistis. Et per fiduciam humani auxilii, habentes fiduciam. Jerem. 17: maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum. Et ponit effectum: et erit vobis, Oseae 4: gloriam eorum in ignominiam commutabo. Unde quantum ad viae terminum, ierant enim in taphnis, quae est tantum in alia parte Aegypti, quasi timentes in primis terminis remanere. Jerem. 2.

Quid tibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam? et ostendit spei defectum: omnes confusi sunt. Psalm. 145: nolite confidere in principibus.

Tertio describit rerum asportationem, onus jumentorum, comminans primo destructionem Aegypti: onus filiorum Juda. Jumentorum, propter stoliditatem; vel quia sicut jumenta res suas deferebant. Austri, quia ad Austrum fugerunt, vel quia in Australi parte erat eorum habitatio. In terra tribulationis, in Aegypto, quae Hebraice dicitur mesraim, quod interpretatur tribulatio, vel angustia.

Jerem. 42: gladius quem vos formidatis.

Secundo ponit asportantium conditionem: leaena, propter ferocitatem, leo, propter audaciae praesumptionem, vipera, propter crudelitatem, regulus volans, non quod habeat pennas, sed quia insilit in faciem hominis, propter velocitatem ad male faciendum. Soph. 3: principes ejus quasi leones. Tertio rerum asportationem, portantes. Quarto laboris frustrationem, ad populum, psalm. 59: vana salus hominis. Ideo clamavi. Hic arguit in eis Dei contemptum: et primo ostendit quomodo contempserint divinum praeceptum; in secunda quomodo contempserint salubre consilium, quia haec dicit, circa primum tria ponit, primo Dei praeceptum; secundo populi contemptum, populus enim, tertio comminatur contemnentibus mortem, vel mortis interitum, propterea haec dicit. Circa primum tria ponit. Primo praeceptum: ideo, quia scilicet inutile est, quiesce, in terra tua. Jer. 14: haec dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedem suum, et non quievit et Domino non placuit. Secundo ponit praecepti confirmamentum.

Nunc ergo, tu Isaias, ingressus, in prophetica visionem, vel tu jeremias, ingressus, in Aegyptum cum populo, sicut legitur jer. 43. Tertio assignat confirmationis fructum, et erit in die illa. Exod. 17: scribe hoc ob monumentum. Populus.

Hic ponit populi contemptum: et primo secundum quod contemnebant Deum.

Ad iracundiam, quantum ad peccatum transgressionis.

Ezech. 2: noli esse exasperans sicut domus Israel exasperatrix est. Mendaces, quantum ad peccatum locutionis, quia promiserunt jeremiae obedientiam, quam servare noluerunt, ut habetur jer. 42.

Psal. 17: filii alieni mentiti sunt mihi. Nolentes, quantum ad peccatum omissionis. Prover.: 28: qui obturat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Secundo ponit contemptum prophetarum, qui dicunt videntibus secundum quod interdicebant eis proprium officium.

Amos 7: qui vides, gradere, fuge. In quantum inducebant eos ad mendacium, loquimini. 3 reg.

Ult.: ecce sermones prophetarum omnes bona regi annuntiant. Declinate, in quantum prohibebant divinae cognitionis verbum. Job 21: qui dixerunt Deo: scientiam viarum tuarum nolumus: propterea haec dicit.

Hic comminatur eis interitum (repentinum) resumens culpam, ut justior appareat poena: pro eo quod. Poenam autem adjungit, ibi, propterea erit vobis; significans poenam subitanam per similitudinem ruinae, quae diu latet in pariete, qui tandem subito cadit, quoniam subito: 1 Thess. 5: cum enim dixerint, pax et securitas; tunc superveniet eis repentinus interitus. Et ostendit etiam poenam validam, et comminuetur, sub similitudine confractionis lagenae, cujus nulla testa remanet integra ad aliquid valens, scilicet ad ignem portandum, et ad aquam hauriendam. Supra 24: confractioe confringetur terra.

Nota super illo verbo, quiesce, quod quiescere debet homo primo a peccati actu. Supra 1: quiescite agere perverse, discite bene facere. Secundo a vagandi cursu. Jerem. 14: haec dices populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit. Tertio ab immoderato appetitu. Infra 57: cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Quarto a praesumptuoso intellectu.

Eccli. 18: cum consummaverit homo tunc incipiet.

Quia haec dicit Dominus. Hic arguit in eis divini consilii contemptum: et circa hoc tria ponit. Primo consilium, si revertamini. Infra 45: convertimini ad me, et salvi eritis. Secundo contemptum: et dixistis. Ideo fugietis: hoc est verbum Domini. Deut. 2: per unam viam gradiemur. Et super veloces ascendemus: vox populi rebellis. Ideo velociores: vox Domini.

Thren. 4: velociores fuerunt persecutores nostri aquilis caeli. Tertio comminatur interitum, mille, Aegyptii, unus chaldaeus. Fugietis omnes vos Judaei, quinque, chaldaeorum. Deut. 32: quomodo persequeretur unus mille, et duo fugarent decem millia? quasi malus, in signum evitandi naufragii. Supra 6: erit in ostensionem sicut terebinthus et sicut quercus quae expandit ramos suos.

Propterea expectat. Hic ponit consolationem: et circa hoc duo facit. Primo ponit miserendi propositum; secundo exequitur misericordiae beneficium, populus enim.

Circa primum tria (ponit) p primo miserendi propositum in Deo, propterea expectat, non ex toto destruens vos. Oseae 3: dies multos expectabis me: secundo ingratorum iudicium: et ideo exaltabitur; idest, altus in justitia apparebit, puniens vos ingratos suis beneficiis.

Supra 5: exaltabitur Dominus exercituum in iudicio. Tertio bonorum praemium, beati omnes.

Luc. 12: vos similes hominibus expectantibus Dominum suum. Populus enim.

Hic exequitur misericordiae beneficium: et primo in eorum exaltatione; secundo in hostium oppressione, ecce nomen.

Circa primum duo (ponit) p primo sublacionem malorum contra exilii captivitatem.

Populus enim, tempore zorobabel: vel potius mystice totum. Ps. 124: non commovebitur in aeternum qui habitat in jerusalem. Contra tristitiae anxietatem: plorans, ante, nequaquam plorabis, semper, sed quando liberaberis. Supra 25: auferet lacrymam ab omni facie.

Contra Dei indignationem miserans. Ps. 90: invocabit me, et ego exaudiam eum. Contra paupertatem: et tibi dabit Dominus. Et est sensus: modico victu erunt contenti. Eccli. 29: vitae initium hominis panis et aqua. Vel quia in reditu de Babylone penuriam passi sunt. Mystice secundum Glossam. Secundo ponit collationem bonorum: unde, faciet. Et primo spiritualium, quantum ad electam doctrinam, describens doctorem: avolare, recedere, doctorem, esdram, cujus doctrina adhuc utuntur, vel Christum, post tergum, sicut fugiens quando ab insequente revocatur. Joel 2: dedit vobis Dominus doctorem justitiae. Et ponit doctrinam, haec via, Num. 21: via regia gradiemur. Et etiam quantum ad debitam Dei culturam, et contaminabis, id est in usus communes rediges. 4 Reg. 23: contaminavit excelsa et demolitus est ea. Vestimentum, omnem ornatum idoli. Secundo quantum ad temporalia bona: unde dicit, egredere, scilicet a spiritualibus ad temporalia, (o Isaiam vel ieremiam) p et primo promittit terrae fertilitatem promittens causam, dabitur pluvia: joel 2: descendere faciet ad vos imbrem: et effectum, quantum ad cibos hominum. Et panis frugum. Gen. 49: Aser panis pinguis. Ps. 147: adipe frumenti satiat te. Quantum ad pascua armentorum, pascetur agnus, quantum ad oves: tauri, quantum ad boves; et in utrisque notat fecunditatem, ponens filios. Et pulli asinorum, quantum ad annonam iumentorum; migra, hordeum cum palea purgatum, quod prius commixtum comedebant.

Secundo promittit aquarum ubertatem, et erunt.

Judaei dicunt haec ad litteram complenda in fine mundi, multorum, Romanorum, secundum eos; quod est fabulosum. Vel potest esse metaphorica locutio: ut per aquam significetur consolatio, quam post reditum de captivitate et Babylonis destructionem habuerunt. Vel mystice de doctrina Christi. Infra 41: aperiam in supremis collibus flumina, et in medio camporum fontes. Tertio caeli claritatem, et erit lux solis sicut lux septem, idest tantum in uno quantum modo in septem, quasi septempliciter: vel sicut fuit in primo septenario dierum. Haec Judaei fabulose ad litteram dicunt tempore aureae jerusalem. Sed melius est quod ad futuram sanctorum gloriam referatur, post mundi innovationem.

Vel metaphorice et hyperbolice ad statum populi referatur. Ps. 146: qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.

Nota super illo verbo, et panes frugum, quod verbum Dei est panis primo arctus propter observandi difficultatem. Matth. 7: arcta est via quae ducit ad vitam. Secundo uberrimus propter fructus utilitatem. Infra 55: quomodo descendit imber de caelo et inebriat terram et germinat et illic ultra non revertitur sic erit verbum quod egredietur de ore meo. Tertio pinguis propter delectationis suavitatem. Gen. 49: Aser panis pinguis.

Ecce nomen Domini. Hic consolatur eos ex hostium punitione: et circa hoc tria ponit.

Primo iudicis punientis adventum; secundo poenae modum, et auditam faciet; tertio punitionis locum, praeparata est. Circa primum tria ponit. Primo adventum: venit, ad universale iudicium, de longinquo, longe ante a prophetis annuntiatum. Vel: venit ad destructionem, Sennacherib; de longinquo, de alto potentiae suae. Vel ad destruendos Babylonios, per medos a longe venientes. Jer. 5: ecce ego adducam super vos gentem de longinquo. Nomen Domini, filius quantum ad primam expositionem; vel quia redundans est in gloriam ipsius, quantum ad secundam et tertiam. Secundo ostendit venientis zelum, ponens iram in corde, per antropospatos, ardens furor. Furor est ira accensa.

Incenditur autem vel quantum ad vehementiam desiderii vindictae; et quantum ad hoc dicit, ardens: vel quantum ad quantitatem poenae; et quantum ad hoc dicit, gravis. Infra 65: isti fumus erant in furore meo, ignis ardens tota die. Ponit etiam iram in ore: labia ejus repleta sunt indignatione, impropersans peccata; devorans, comminando tormenta.

Supra 11: spiritu labiorum suorum interficiet impium. Ponit etiam iram in opere: spiritus ejus, idest indignatio, usque ad medium colli, idest usque ad extinctionem adducet. Supra 8: ibit per Judam inundans furor. Tertio ponit indignationis effectum in malis: destructionem gentium.

Ad perdendas gentes. Ps. 72: Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Et cessationem tyrannorum, et frenum erroris. Job 30: pharetram suam etc..

Ponit etiam effectum in bonis in laude oris, canticum erit solemnitatis: quia in tribus solemnitatibus ibant in jerusalem cum laetitia. Levit. 23: infra 33: civitatem solemnitatis nostrae oculi tui videbunt.

Et in jucunditate cordis, in laetitia cordis. Infra 51: gaudium et laetitia etc..

Judith ult.: erat autem populus Domini jucundus. Et auditam.

Hic describit poenae modum: et circa hoc tria facit. Primo describit poenae modum quantum ad punientis actum.

Vocis suae, per quam apparebit gloriosus, et terrorem brachii, per similitudinem irati, qui his modis comminatur. Job 40: si habes brachium sicut Deus. Et quantum ad instrumentum, et flamma ignis: quia, ad litteram, Assyrii combusti fuerunt.

Et forte tempestas aliqua fuit. Vel significantur diversae poenae in die iudicii. Eccli. 30: (ignis, grando, etc.)p Ps. 148: ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum. Secundo ponit poenae inflictionem, ostendens ejus horrorem, a voce enim: et poenae durationem, et erit transitus fundatus, idest firmatus. Tertio sanctorum exultationem, in citharis; in bellis praecipuis, quae sola divina virtute geruntur. Ps. 57: laetabitur justus cum viderit vindictam. Praeparata est.

Hic describit poenae locum: et primo ipsius dispositionem. Thophet, vallis filii ennom, Gehenna, quia conservabatur ibi ignis ad sacrificia in lapidibus de tophis. Eadem est vallis Gethsemani, in qua destructus est exercitus Senacherib. Vel significatur per ipsam infernus. Unde Judaei conjiciunt ibi esse infernum, quia ex duabus palmis quae ibi sunt, semper emittitur fumus. Ab heri, idest ab initio; vel a secundo die secundum Judaeos, quae habuit tantum heri: unde nudius tertius. De hac valle habetur Jer. 7 et 19: a rege, Deo. Supra 5: dilatavit infernus animam suam. Secundo poenarum diversitatem, nutrimenta eius. Ligna impii, vel illi de exercitu Senacherib. Flatus, idest voluntate, metaphorice. Ps. 10: ignis, sulphur, spiritus procellarum etc..

Nota super illo verbo, ecce nomen Domini, quod filius Dei est nomen patris: primo quo manifestatur.

Joan. 17: manifestavi nomen tuum hominibus.

Secundo quo honoratur. Matth. 6: pater, sanctificetur nomen tuum. Tertio quo invocatur.

Joan. 16: quodcumque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Item super illo verbo, venit de longinquo, quod venit de longinquo primo propter diuturnam expectationem.

Hebr. 11: juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non receptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes. Secundo propter meritorum nostrorum imperfectionem. Ephes. 2: veniens evangelizavit vobis pacem qui longe fuistis.

Tertio propter temporis dilationem. Num. 24: videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope. Quarto propter majestatis altitudinem.

Ps. 18: a summo caelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.

Item super illo verbo, lingua ejus quasi ignis, quod caritas dicitur ignis primo quia illuminat. Eccl. 2: qui timetis Deum diligite eum, et illuminabuntur corda vestra. Secundo quia exaestuatur.

Cant. 2: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Tertio, quia ad se omnia convertit. Rom. 8: scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Quarto quia expeditum facit. Joan. 14: si quis diligit me, sermonem meum servabit. Quinto quia sursum trahit. Cant. 3: in lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea; quaesivi illum, et non inveni.

Nota super illo: praeparata est quod infernus est latus primo propter retinendi aviditatem, supra 5: dilatavit infernus animam suam; secundo propter damnatorum multitudinem, Matth. 7: arcta est via quae ducit ad vitam; tertio propter poenarum diversitatem, Ps. (148) ignis, grando, nix, glacies, etc., vel (Ps. 10): ignis, sulphur et spiritus etc.; quarto propter poenae aeternitatem, Matth. 25: ite maledicti in ignem aeternum.

Vae qui descendunt.

In parte ista comminatur utrisque simul, scilicet Aegyptiis et Judaeis: et circa hoc duo facit.

Primo ponit comminationem; secundo consolationem, ibi, quia haec dicit Dominus. Circa primum duo. Ponit primo culpam ex confidentia humani auxilii, in equis sperantes: psalm. 32: fallax equus ad salutem; in abundantia virtutis suae non salvabitur: et ex contemptu divini auxilii, et non sunt confisi. Contra in Psal. 19: hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri speravimus. Secundo comminatur poenam, ipse autem: et primo contra contemptum divini auxilii ponit Dei sapientiam, et sententiae firmitatem, et verba non abstulit: idest, non irrita fecit quae per prophetas comminatus est. Num. 23: non est Deus ut homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur.

Et subjungit poenam: et consurget. (secundo) contra fiduciam humani auxilii ponit eorum debilitatem, Aegyptus homo. Ezech. 28: cum sis homo, et non Deus.

Et subjungit poenam, et corruet auxilium. Job 4: qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum.

Quia haec dicit Dominus. Hic ponit consolationem, promittens per Deum liberationem ab hostibus, a quibus per Aegyptios liberari non potuerunt. Et circa hoc tria facit. Primo ponit Judaeorum defensionem sub similitudine leonis defendentis, dicens: vos et Aegyptii peribitis, in quibus confidebatis me contempto: quia haec dicit Dominus, qui solus salvat. Ut praelietur, tamquam defensor contra illos qui impediabant aedificationem templi post reditum de captivitate. Vel contra Assyrios Oseae 13: ego ero eis quasi leaena, sicut pardus in via Assyriorum. Et sub similitudine avis protegentis, sicut aves: Matth. 23: sicut gallina congregat pullos suos sub alis, et noluit, Deut. 32: sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans. Secundo ponit hostium destructionem, promittens consilium ad hoc merendum, convertimini ad me, Prov. 18: impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.

Rom. 6: sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete servire munditiae in sanctificationem. Et ponit complementum, in die illa. Supra 2: in die illa projiciet homo idola sua. Et ponit fructum, scilicet ipsam destructionem quantum ad occisorum necem, in gladio.

Deuter. 32: gladius meus devorabit carnes.

Et quantum ad residuorum deletionem in fuga, timore et servitute, quia vectigales, postmodum Babylois.

Tertio ponit utriusque confirmationem: dixit Dominus cujus ignis, comburens Assyrios.

Supra 10: erit lumen Israel in igne, et sanctus ejus in flamma. Vel ignis in altari thymiamatis.

Caminus, in altari holocaustorum. Lev. 6: ignis in altari meo semper ardebit. Vel ignis caritatis in ecclesia militante imperfecte, sed caminus in ecclesia triumphante perfecte.

Nota, quod caritas dicitur ignis. Require in praecedenti collatione ante principium capituli.

|+32 Capitulus 32

Ecce in iustitia.

Haec est tertia pars comminationis, in qua prosequitur liberationem ab hostibus, qui tunc eis imminabant. Et primo praedicat eam per modum prophetiae; in secunda narrat per modum historiae, 36 cap.: et factum est. Prima in duas. In prima praedicat Judaeorum prosperitatem; in secunda hostium destructionem. 33 cap.: vae qui praedaris. Circa primum duo. Primo praedicat liberatorum statum, quantum ad regis aequitatem, regnabit rex, scilicet ezechias. Jer. 23: regnabit rex et sapiens erit, quantum ad populi prosperitatem. (et principes); quantum ad consolationem in tribulatione, et erit vir.

Supra 4: erit tabernaculum in umbraculum diei ab aestu. Quantum ad emendationem in spiritualibus, non caligabunt, ut prius, propter peccata regis et populi, videntium, scilicet prophetarum; sed apertas a Domino visiones accipient; aures, scilicet subditorum, auscultabunt, implentes praecepta Domini per prophetas, cor stultorum qui prius idolis errabant, balborum, prophetarum, qui prius obscure et aenigmatice loquebantur. Sapient. 10: sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium facit disertas. Et etiam quantum ad consecutam libertatem, scilicet a tyrannis: non vocabitur qui insipiens, scilicet Senacherib, cui prius tributa solvebant, sicut patet 4 Reg. 18. Ezech. 24: eruam eos de manu regis Assyriorum. Secundo exequitur liberationis modum, stultus enim: et primo prosequitur afflictionem; secundo liberationem, donec effundatur. Circa primum duo facit.

Primo describit hostem persequentem; secundo persecutionem, mulieres. Circa primum tria. Primo ipsius regis nequitiam, quantum ad blasphemiam oris, stultus, scilicet Senacherib, fatua verba blasphemiae: infra 37. Prov. 15: os fatuorum ebullit stultitiam. Quantum ad duplicitatem cordis: cor ejus faciet, promittens populo bonam terram, ad Dominum fraudulenter, dicens se illius praecepto venisse: infra 36. Prov. 12: cogitationes justorum consilia. Quantum ad crudelitatem operis, vacuum, spoliando eos rebus quibus debebant nutriri, contra illud Prov. 25: si esurierit inimicus tuus ciba illum. Secundo principum ejus malitiam, fraudulentam, scilicet Senacherib, vasa, idest nuntii et principes ejus. Prov. 29: princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Et malitiae executionem: ipse enim cogitationes, scilicet rapsaces, de quo infra 36, concinnabit, idest componet.

Cinnus: genus potionis ex diversis speciebus compositae: pauper Judaeus. Psalm. 49: os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.

Tertio regnantis ezechiae prudentiam. Princeps, quia praecepit quod non illi aliquis responderet.

Supra 1: restituam principes tuos ut fuerunt prius. Mulieres. Hic describit persecutionem inflictam quantum ad tria. Primo quantum ad fructuum amissionem, excitans attentionem, mulieres, quae facile potestis plorare, opulentae, quae plorandi materiam habetis ex bonorum perditione. Vel mulieres, idest vos Judaei imbecilles.

Psalm. 48: qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Et ponit temporis determinationem, post dies, aliquot, et unum. Annum, psalm. 21: quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. Et ponit fructuum amissionem: consummata, destructa, collectio, frugum, non veniet, in domos vestras ab agris. Jer. 48: ablata est laetitia vindemiae.

Secundo quantum ad camporum vastationem, indicens planctum, obstupescite. Baruch 4: exui me stola pacis. Supra 22: et vocavit Dominus in die illa ad fletum. Et praedicit damnum, super humum. Supra 5: ascendent super eam vepres et spinae. Tertio quantum ad desolationem civitatum et domorum, ponens ipsam desolationem: quanto magis, scilicet flendum est, civitatis exultantis, scilicet jerusalem, cujus inferior pars fuit reddita Assyriis. Supra 22: urbs frequens civitas exultans. Et desolationis magnitudinem quantum ad domos, quia redactae in perpetuas tenebras, sicut accidit in aedificiis ruinosis. Et tenebrae.

Job 12: palpabunt in tenebris, et non in luce. Et quantum ad agros, gaudium onagrorum, qui morantur in magnis solitudinibus. Jer. 2: onager assuetus in solitudine. Donec effundatur.

Hic prosequitur liberationem: et primo ponit Judaeorum consolationem; secundo hostium destructionem, grando autem, tertio prophetae congratulationem, beati qui seminant. Circa primum tria (ponit) p primo divinam consolationem: haec dico, contingent vastante terram Senacherib: donec spiritus, divina consolatio. Ezech. 37: scietis quia ego Dominus, quia intromittam in vos spiritum et vivetis.

Secundo consolationis modum et ordinem, quantum ad terrae fertilitatem, et erit desertum; idest, terra vestra prius deserta, erit ita fertilis sicut carmelus cujus fertilitas reputabitur sterilitas comparatione terrae vestrae. Supra 29, idem habetur. Quantum ad justitiae observationem, et habitabit. Supra 1: sion in iudicio.

Et quantum ad pacis tranquillitatem, et erit opus, idest effectus, silentium, quia sine tumultu contentionum et bellorum. Supra 26: Domine, dabis pacem nobis. Tertio ponit divinae consolationis jucundam fruitionem, et sedebit. Prov. 1: qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur. Grando, scilicet tribulationis, in descensione saltus; idest, descendent a Domino super hostes vestros. Civitas. Ninive.

Supra 26: civitatem sublimem humiliabis. Beati qui seminant. Hic ostenditur prophetae congratulatio. Super aquas, idest super loca fertilia ex abundantia aquarum. Pedem bovis et asini, non simul, quia hoc prohibitum est. Deut. 22: non Arabis in bove et asino. Psalm. 127: labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.

Nota super illo verbo, erit opus justitiae pax, quod pax sanctorum in patria erit pulchra, primo quia non erit falsa. Sap. 15. Secundo quia non interrupta. Supra 9: et pacis non erit finis.

Tertio quia plena. Psalm. 147: posuit fines tuos pacem.

Item nota quod pacem futuram faciunt appetibilem tria. Primo firmitas divinae potentiae. Psal. 124: qui confidunt in Domino, sicut mons sion, non commovebitur in aeternum qui habitat in jerusalem. Secundo puritas propriae conscientiae. Prov. 3: ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget. Tertio remotio hostilis nequitiae. Joan. 16: confidite, ego vici mundum.

Item nota super illo verbo, beati qui seminant super aquas, quod doctrina Domini est aqua, primo quia abundat. Eccl. 24: ego sapientia effudi flumina.

Secundo quia refrigerat. Prov. 25: aqua frigida animae sitiendi. Tertio quia fecundat.

Infra 55: quomodo descendit imber de caelo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et germinare eam facit; sic erit verbum quod egredietur de ore meo. Quarto, quia velociter portat. Joan. 4: fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Quinto, quia singulis se conformat. Prov. 5: in plateis aquas tuas divide.

|+33 Capitulus 33

Vae qui praedaris.

In parte ista incipit praedicere hostium destructionem: et primo destructionem; secundo destructionis effectum, 35 cap.: laetabitur.

Prima in duas. In prima praedicit destructionem hostium principalium, scilicet Assyriorum; in secunda aliorum eis auxiliantium, 34 cap.: accedite. Circa primum duo. Primo praedicit destructionem Assyriorum; in secunda ingratorum Judaeorum: laxati sunt.

Circa primum duo. Primo praedicit Assyriorum destructionem; secundo invitat omnes ad tanti facti considerationem, audite.

Circa primum duo facit. Primo praedicit poenam quam a Deo percepit; secundo quam aliis ipse intulit, ecce videntes.

Circa primum tria facit. Primo comminatur Assyrii destructionem, ponens quaestionem, nonne, et responsionem, cum consummaveris fatigatus; quasi dicat, taedio affectus de multis victoriis.

Matth. 7: in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Apoc. 13: qui in gladio occiderit.

Secundo in persona populi petit a Deo comminationis confirmationem, Domine, miserere. Eccli. 36: glorifica manum, et extende brachium. Psal. 59: da nobis, Domine, auxilium de tribulatione.

Tertio ponit petitionis impletionem: primo ponens destructionem Assyriorum quantum ad exercitus dispersionem: a voce Angeli, multos interficientis, populi, Assyrii, qui residui fuerunt. Supra 31: et pavebunt principes ejus fugientes. Quantum ad spoliolum direptionem, et congregabuntur, a Judaeis, vestra, o Assyrii. Supra 10: laetabuntur coram te sicut qui laetantur capta praeda.

Secundo destructionis fructum, scilicet Dei gloriam, magnificatus. Psal. 56: magnificata est usque ad nubes veritas tua, et hominum gratiam in rectitudine actus, implevit, scilicet Dominus, iudicio, quae executio iustitiae. Fides, quae est fundamentum iustitiae. Supra 1: sion in iudicio, Oseae 2: sponsabo te mihi in iustitia et fide. Quantum ad perfectionem intellectus: divitiae salutis, sapientia, in divinis, scientia, in humanis. Prover. 3: pretiosior est sapientia.

Quantum ad ordinationem affectus, timor, Eccli. 1. Timor Domini delet peccatum.

Nota super illo verbo, divitiae salutis, quod nos habemus divitias primo in Deo. Col. 2: in ipso sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi. Secundo in seipso, Proverb. 3: pretiosior est sapientia. Tertio in sanctorum collegio. Supra 13: pretiosior erit vir auro.

Ecce videntes clamabunt. Hic ponit poenam quam aliis intulit: et primo describit poenam ab ipso inflictam quantum ad perturbationem hominum: videntes, exercitus magnitudinem, foris qui habitant in suburbanis, Angeli pacis, legati ezechiae ad rapsacen. Infra 36. Jer. 8: ecce vox clamoris filiae populi mei de terra longinqua. Quantum ad solitudinem viarum, dissipatae. Thren. 1: viae sion lugent, eo quod non est qui veniat ad solemnitatem.

Quantum ad infractionem pactorum, irritum factum est pactum, scilicet quo Senacherib ezechiam assecraverat. Et ideo projecit, quasi contemnens eorum amicitiam, non reputavit, prae superbia cordis sui. Job 39: absorbet terram, nec reputat tubae sonare clangorem.

Quantum ad destructionem regionum, luxit, et elanguit.

Et ponit praecipue fertiles regiones.

Supra 24 idem.

Secundo ponit divinam resistantiam conatibus ejus, nunc consurgam: et circa hoc tria ponit. Ex parte Dei resistantis propositum: nunc, scilicet post tanta mala quae fecit, consurgam, contra ipsum.

Psal. 11: propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Secundo ponit frustratum Assyriorum consilium, concipietis, idest cogitabitis alios ardere: parietis stipulam, idest, hoc sequetur quod vos comburemini: spiritus vester, idest indignatio, vorabit, scilicet carnem sub corio. Psal. 7: lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit.

Tertio ponit resistantiae, sive poenae modum: et erunt populi; cinis: quia, ad litteram, corpora eorum sunt in cineres redacta: spinae, idest Assyrii, quia alios lacerabant. Malach.

Ult. Calcabitis impios, cum fuerit cinis sub planta pedum eorum. Audite. Hic invitat ad tanti facti considerationem: et primo ad considerandum liberantis divinae potentiae magnitudinem; secundo ad considerandum liberatorum idoneitatem, qui scilicet sint idonei ut taliter a Domino liberentur, ibi quis ex vobis; tertio ad considerandum liberatae civitatis dignitatem: respice sion.

Circa primum duo. Primo invitat ad considerationem suae potentiae, audite. Infra 49: audite insulae, et attendite populi de longe.

Secundo ostendit potentiae signum, contriti sunt peccatores, Assyrii scilicet. Supra 29: conteram eos etc.. Quis poterit.

Hic invitat ad considerandum idoneitatem ejus qui habitat cum Deo, ut ab ipso semper protegatur illaesus: et primo inquit idoneum; secundo excludit indignum, ubi est litteratus.

Circa primum tria facit. Primo ponit quaestionem, cum igne devorante? Deo scilicet, ut ab ipso non devoretur, sicut Assyrii. Deut. 4: Deus tuus ignis consumens est. Secundo ostendit idoneitatem, removens tria ad quae Judaei proni erant: scilicet avaritiam quantum ad injuste ablata, ex calumnia, et quantum ad illiberaliter accepta, et excutit. Secundo quantum ad crudelitatem in homicidiis: qui obturat; tertio quantum ad luxuriam: et claudit oculos. Iste in excelsis, scilicet cum Deo, Ps. 14: quis habitabit in tabernaculo etc.. Tertio ostendit huius habitationis utilitatem quantum ad quatuor. Et primo quantum ad altitudinem securam, quod tamen est contra consuetudinem altitudinis, munimenta, job 39: in petris manet. Secundo quantum ad satietatem plenam, panis. Gen. 49: Aser panis pinguis. Tertio quantum ad Dei visionem, regem, idest Deum. Cant. 3: egredimini filiae sion, et videte regem.

Quarto quantum ad affectionem sanctam, scilicet contemptum terrenorum: oculi ejus; de longe, quasi longe sub se, indignationem scilicet. Et quantum ad divinam subjectionem: cor tuum; timorem, filialem.

Eccli. 1: timor Domini delectabit Cor. Et possunt haec exponi quantum ad eos qui habitant cum Deo in praesenti ecclesia, vel etiam in triumphante.

Vel aliter: terram, scilicet viventium.

Psal. 26: credo videre bona Domini in terra viventium. De longe, quasi longe supra dignitatem naturae, vel idoneitatem multorum, nunc in spe, in futuro in re; et sic se tenet cum tertia.

Nota super illo verbo, spiritus vester ut ignis, quod Deus dicitur ignis: primo purgans. Matth. 3: baptizabit vos spiritu sancto et igne. Secundo inflammans. Luc. 12: ignem veni mittere in terram.

Tertio condemnans. Deut. 32: ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. Item super illo verbo, iste in excelsis habitabit, nota quod sancti habitant cum Deo, primo per puritatem actionis. Psalm. 100: oculi mei ad fideles terrae, ut sedeant mecum. Secundo per inhaesionem amoris. Joan. 14: si quis diligit me, sermonem meum servabit. Tertio per eminentiam contemplationis. Philip. 3: nostra conversatio in caelis est. Quarto per gloriam fruitionis. Psalm. 83: beati qui habitant in domo tua, Domine. Ubi est litteratus? hic excludit indignum quantum ad illos qui praecipue digni videbantur. Et primo eminentes in sapientia: ubi est litteratus, eruditus in philosophia; legis verba, eruditus in divina, doctor, instruens alios in erudimentis utriusque, 1 Cor. 1: ubi sapiens, ubi Scriba, ubi doctus? secundo eminentes in eloquentia, sed non sapientia, populum alti sermonis. Jerem. 5: ecce ego adducam super vos gentem cujus ignorabis linguam. Respice. Hic inducit ad considerandum liberatae civitatis dignitatem: et primo quantum ad copiam bonorum, ponens quatuor quae sunt in caelesti vel militanti ecclesia: scilicet cordium laetitiam, civitatem solemnitatis. Supra 30: sicut vox sanctificatae solemnitatis, et laetitia cordis. Rerum opulentiam, oculi tui videbunt. Supra 32: sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, in requie opulenta. Immobilitatis gratiam, tabernaculum; clavi: loquitur secundum similitudinem tabernaculi quod affigitur clavis et funibus, qui solvuntur quando transferri debet. Dan. 7: potestas ejus potestas aeterna, quae non auferetur; et hujus assignat rationem, quia solummodo Dominus qui valet transferre, et alii non poterunt. Psalm. 47: magnus Dominus, et laudabilis nimis. Aquarum abundantiam, locus fluviorum, idest divinarum monitionum; rivi, diversi modi participationum. Psal. 45: fluminis impetus laetificat civitatem Dei. Hoc tamen Judaei totum fabulose referunt ad auream jerusalem. Secundo quantum ad immunitatem malorum, non transibit. Praeteritum pro futuro. Remigum, quorumlibet hostium, qui quandoque consueverant per mare terram promissionis infestare. Trieris, navis habens tres ordines remorum. Et assignat causam: Dominus enim judex, judicans ab adversariis. Zach. 9: ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Laxati. Hic praedicit ingratorum Judaeorum destructionem primo a Romanis factam: et ponit tria. Primo impotentiam ad resistendum: laxati, idest praeparati, funiculi, ut te contra Romanos defendas. Loquitur secundum similitudinem navis quae paratur ad eundem. Malus, arbor navis, scilicet templum, in quo pretiosa vasa et vela fuisse noscitur. Thren. 1: dedit me Dominus in manu, de qua non potero fugere. Secundo direptionem spoliatorum ab hostibus, tunc dividuntur, a Romanis. Claudii; quasi dicat: nullus erit sic impotens inter eos quin praedam vestram diripiat. Joel. 3: infirmus dicat, quia ego fortis sum. Tertio remissionem peccatorum hostibus, populus, scilicet Romanus, justificatus comparatione malitiae Judaeorum. Ezech. 16: justificastis. Vel loquitur contra idumaeos, qui non poterunt praevalere contra Judaeos, sed magis ab ipsis spoliabuntur tempore Machabaeorum; et populo Judaeorum remittetur iniquitas. Infra 40: completa est malitia ejus.

|+34 Capitulus 34

Accedite gentes etc..

In parte ista comminatur his qui fuerunt Assyriis coadjutores: et primo communiter omnibus; secundo specialiter idumaeis, ibi, ecce super idumaeam etc.. Circa primum duo. Primo excitat attentionem, (ponens) attentionis ordinem, ut accedentes appropinquent, propinqui audiant, et audientes attendant. Infra 49: audite insulae etc.. Et ponit convocatorum universalitatem: audiat terra. Et orbis, quantum ad mediocres: continens pro contento; plenitudo, quantum ad majores; germen, quantum ad minores: omnibus se paratum ad annuntiandum, non quod omnes possint audire ostendit.

Psal. 23: Domini est terra etc.. Secundo ponit comminationem: quia indignatio. Quantum ad tria. Primo quantum ad destructionem populorum, ponens iudicis, scilicet Dei, indignationem: indignatio Domini etc., supra 14: haec est manus eius etc., supra 30: ad perendas gentes etc.. Hominum necem, interfecit per auctoritatem, dedit, quasi aliis ad interficiendum, sicut executoribus. Zach. 11: ego tradam homines, unumquemque etc.; et cadaverum abjectionem, interfecti projicientur, sine sepultura, joel. 2: ascendet foetor ejus etc.. Secundo quantum ad tyrannorum cessationem: tabescent montes, tyranni, a sanguine, idest propter culpam effusi sanguinis. Infra 64: a facie tua montes etc.. Tertio quantum ad destructionem idolorum: et circa hoc tria. Et primo ostendit cessaturum idolorum auxilium in bellis: tabescet. Caelorum, scilicet aereorum, idest Daemones; vel, ad litteram, spiritus qui praesidebant sideribus secundum opinionem gentilium. Supra 19: movebuntur simulacra etc.; et in consiliis in quantum scilicet divinabant in astris, et complicabuntur etc.. Idest: sicut in libro plicato non potest aliquid legi, ita nec in caelo poterunt mala eis futura praevidere. Apoc. 6: caelum recessit etc.. Secundo ostendit cessaturum idolatriae cultum, et omnis militia etc., vel facilitatem impletionis praedictorum. Apoc. Eodem: stellae caeli ceciderunt etc.. Tertio ostendit utriusque effectivum: quoniam gladius, idest ultio, inebriatus in caelo, idest abundanter in Daemonibus ultionem exercui, qui idolis praesidebant. Deut. 32: inebriabo sagittas etc..

Ecce super idumaeam. Hic comminatur specialiter idumaeis, qui cum hostibus contra jerusalem venerunt, sicut dicitur in Abdia, quando capiebant alieni exercitum etc., et circa hoc tria facit. Primo comminatur hominum

interfectionem; secundo terrae destructionem, et convertentur, tertio ponit utriusque confirmationem, ibi, respicite diligenter etc.. Circa primum tria. Primo describit poenae aequitatem, ecce super idumaeam, ad opprimendam. Interfectionis meae, dignum a me interfici.

Jer. 49: perditionem esau etc.. Secundo describit interfectionem quantum ad mediocres, ponens interfectorum diversitatem, gladius enim etc., agnorum etc., per quae omnia intelliguntur diversi gradus interfectorum. Ezech. 21: hic est gladius occisionis etc.; et necis magnitudinem, victima, idest quasi sicut in convivio magni regis, multa animalia interficiuntur. Ezech. 39: ego immolo vobis victimam etc.; et quantum ad majores, ponens eorum occisionem: et descendent, in mortem, unicornes: animal in quantitate catti, atrocissimum, habens cornu unum: unde significat potentes et monarchas. Supra 5: descendent fortes ejus etc.; et occisionis magnitudinem, inebriabitur etc..

Psalm. 105: interfecta est terra in sanguinibus etc.. Tertio ponit poenae rationem: quia dies iudicii sion, ut scilicet vindicetur sion de idumaeis. Infra 63: dies ultionis in corde etc.; tamen secundum Glossam, sion, idest contra sion.

Unde omnia sequentia exponit de destructione jerusalem facta per Romanos. Et convertentur.

Hic ponit comminationem quantum ad terrae destructionem: et circa hoc tria facit. Primo praedicit destructionem; secundo terrae destructae solitudinem, et desolabitur etc., tertio solitudinis horrorem, et erit cubile etc.. Circa primum duo ponit. Primo destructionem, convertentur; idest, ita tota terra comburetur ab hostibus, ac si aquae essent pix et terra sulphur. Psalm. 10: ignis, sulphur et spiritus etc.. Secundo ponit destructionis durationem, non extinguetur; idest, effectus illius incendii manebit semper. Fumus, signum et memoria praecedentis incendii. Apoc. 19: fumus ejus ascendet etc.; et hoc intelligendum est manente causa comminationis, scilicet peccato: sic enim conditionaliter exponendae sunt omnes hujusmodi prophetiae secundum quod ipsemet Dominus exponit se. Jer. 18: repente loquar etc.. Et desolabitur.

Hic ponit solitudinem: et primo praedicit ipsam solitudinem quantum ad habitatores. Desolabitur. Thren. 1: posuit me desolatam etc., quantum ad viatores, non erit transiens.

Jerem. 49: non manebit ibi vir etc., quantum ad bestiarum liberam habitationem: et possidebunt, quasi sine timore, onocrotalus, idem quod pellicanus; ibis, avis serpentibus inimica. Est ibex ibicis quadrupes: ibis ibidis avis. Et invidus ibis. Psalm. 103: herodii domus etc.. Secundo ponit solitudinis aequitatem: et primo aequitatis iudicium, et extendetur; mensura, poenae contra mensuram culpae. Perpendicularum, regula caementarii. Supra 27: in mensura contra mensuram etc.. Secundo ponit iudicii modum, nobiles ejus, in quibus gloriabantur. Soph. 3: auferam de medio tui etc.. Orientur in domibus, quas nimis curiosas aedificabant. Et paliurus, quaedam herba multarum spinarum, quae palliis adhaeret, lata habens folia. Oseae 9: desiderabile argenti etc., ut sic quantum glorificavit se etc..

Apocal. 18: et erit cubile.

Hic ostendit horrorem solitudinis ex monstris quae ibi habitabant, Daemonia, Daemonum monstra, quae in desertis plurimum apparent: Onocentaurus, quod est medius asinus, et medius bos, vel illusio est Daemonis potius quam naturale animal. Pilosus, simia, vel homo sylvestris, vel Daemon incubus: lamia, habens cetera membra feminea, pedes equinos: alter ad alterum clamavit. Supra 13: requiescent ibi bestiae etc.. Requirete. Hic confirmat omnia quae dicta sunt ex auctoritate divinae inspirationis. Requirete, vos qui futuri estis, in libro Domini, idest in hoc libro, quem ego a Domino didici, unum ex eis non defuit; idest omnia monstra quae dixi erunt ibi, alter alterum, idest mas feminam. Ea, scilicet monstra, marem et feminam.

Sortem, distribuens singulis loca apta ad manendum.

Luc. 21: caelum et terra transibunt, vel si exponatur de Judaea, intelliguntur per haec diversa monstra, diversi gentilium errores, qui ibi coloni a Romanis positi sunt. (collatio in cap. 34)p accedit homo ad Deum: per susceptionem gratiae, Rom. 5: accessum habemus per ipsum etc..

Per contemplationem divinae sapientiae, Ps.: accedite ad eum etc..

Per ministerium oboedientiae, Ez. 40: filii Sadoc qui accedunt, etc..

Per expectationem firmae fiduciae, Eccli. 7: quasi qui arat et seminat etc..

Per spiritum concordiae, Eph. 2: habetis accessum in uno spiritu etc..

|+35 Capitulus 35

Laetabitur deserta etc..

In parte ista ponit effectum prosperitatis consequentis in Judaeis ex destructione hostium: et dividitur in duas. In prima ponitur promissio consolans; in secunda exhortatio confortans, confortate manus etc.. Circa primum tria.

Primo ponit hominum jucunditatem, quam comparat prato florenti, quod etiam ridens dicitur, quod quidem habet pulchritudinem in flore: unde dicit: deserta, idest terra Judaeorum quae prius, vastantibus Assyriis, erat hujusmodi, metonimice, idest ipsi homines, quasi lilium, quod est pulcherrimus flos, et diu durat. Eccl. 39: florete flores etc.; habet etiam pulchritudinem in germine: unde dicit, germinans etc., Prov. 11: justus quasi virens etc.: sicut enim germen ex flore, ita exterior jucunditas ex cordis laetitia. Secundo promittit terrae fertilitatem: gloria Libani etc., idest fertilitas diversarum rerum, quae est gloria horum locorum, erit in terra promissionis.

Oseae ult.: erit quasi oliva etc.. Tertio utriusque propinquitatem, ipsimet, idest non differetur ad tempora filiorum. Supra 33: regem in decore suo etc.. Confortate. Hic ponitur exhortatio confortans: et circa hoc tria.

Et primo ponitur officii ad exhortandum injunctio: confortate manus, in quo debilitas ad operandum: genua trementia, in quo debilitas ad sustinendum.

Hebr. 12: remissas manus etc.. Secundo ponitur ipsa confortatio: dicite pusillanimes etc.. Luc. 12: nolite timere, pusillus etc.. Tertio assignatur confortationis ratio: et primo quantum ad remotionem malorum, liberando ab hostibus, ecce Deus vester; Deut. 32: sanguinem servorum etc., et sanando a languoribus, tunc aperientur. Et sunt metaphoricæ locutiones, si referantur ad tempus post destructionem Assyriorum, ut intelligantur spirituales defectus, ut supra. Vel ad litteram, si referantur ad Christi adventum in carnem, sicut dicitur Matth. 11: caeci vident, etc.. Secundo quantum ad collationem bonorum quatuor. Primo quantum ad abundantiam aquarum, quia scissae sunt (metaphorice) aquae pro consolationibus. Vel quia multum pluet, ut sit magna fertilitas. Psal. 106: posuit desertum in stagna etc.. Secundo pulchritudinem camporum, in cubilibus, idest terra, quae prius erat deserta, ut haec animalia inhabitarent, erit culta. Viror calami et iunci, quae in locis virentibus orientur. Job 40: sub umbra dormit etc.. Tertio quantum ad restaurationem viarum, ponens viae sanctitatem: et erit ibi, in terra Juda, semita, ducens ad templum.

Pollutus, gentilis, sicut ante. Vel mystice de ecclesia militante vel triumphante. Apoc. 21: non ingredietur in eam etc.; ponit etiam rectitudinem, et haec erit; stulti, idest quantumcumque simplices, non errent, propter multitudinem transeuntium. Jerem. 31: adducam eos per torrentes etc.; ponit etiam viae securitatem, non erit ibi etc.. Supra 11: non nocebunt et non occident etc.; et ponit viarum frequentationem, et redempti, etc., a praecedentibus periculis. Baruch 4: ecce veniunt filii tui etc.. Quarto promittit eis laetitiam cordium, laetitia sempiterna.

Supra 25: auferet lacrymam etc.; ostenditur etiam condicio laetitiae sanctorum in patria, quia sempiterna, quia plena, obtinebunt, quia pura, fugiet dolor, apocal. 21: absterget Deus omnem lacrymam etc.. Sancti comparantur liliis: propter stipitis altitudinem, ex quo constantia in adversis. Can. 2: sicut lilium inter spinas etc.; propter odoris suavitatem, ex quo bona fama. Eccl. 39: florete flores quasi lilium etc.; propter humoris virorem, ex quo virtus mentis. Eccl. 50: quasi lilia in transitu aquae.

Propter connexionem, ex quo sanctorum caritas. Can. 7: venter tuus quasi etc.. Haec lilia Christus: vestit quantum ad virtutum dona. Matth. 6: considerate lilia agri etc.; colligit ad aeterna praemia. Can. 6: dilectus meus descendit in hortum etc.; in eis requiescit per complacentiam. Cant. 2: dilectus meus mihi etc.; et ideo ipse lilium. Cant. 2: ego flos campi etc..

|+36 Capitulus 36

Et factum est in anno etc.. Hic narrat per modum historiae destructionem Assyriorum: et primo ponit historiae gesta; secundo quaedam ex historia occasionata: cap. 38: in diebus illis etc..

Prima dividitur in duas. Primo ponitur culpa quam in Judaeos commisit; secundo poena quam a Deo sustinuit, ibi, egressus autem etc.. Offendit autem eos tripliciter. Primo bellis; secundo nuntiis, et misit rex etc., tertio epistolis, ibi 37: et audivit de therancha etc.. Super omnes etc..

Habac. 1: super omnem munitionem etc..

Et misit. Hic ostendit qualiter offendit Judaeos comminando per nuntios: et primo ponitur nuntiorum congregatio, secundo ipsorum collocutio, et dixit ad eos etc., tertio eorum ab invicem discessio: et ingressus est etc.. Circa primum duo. Primo describitur nuntius Assyriorum, rapsacem, quem dicunt quidam fuisse filium Isaiæ, alii Samaritanum.

In aquae ductu: de hoc supra 7. Secundo describuntur nuntii Judaeorum, et egressus eliacim qui successit sobnae, qui tradidit inferiorem partem civitatis Assyrii; ut supra 22. Sobna, non ille de quo supra; a commentariis, cancellarius regis, qui gesta in scriptum redigebat, ad memorandum regi.

Unde commentor a comminiscor. Et dixit ad eos: hic ponitur nuntiorum collocutio: et circa hoc duo. Primo prolocutio rapsacis ad nuntios: secundo ad alios, ibi, et stetit rapsaces, etc.. Circa primum tria. Primo ponitur ipsius rapsacis allocutio, in qua intendit astruere ezechiae infirmitatem ad resistendum, excludendo defensionem Aegyptiorum. Ecce confidis, arundineum, irrisorie, quia in Aegypto multae arundines, verum dicit, quod Aegyptii tales erant. Ezech. 29: fuisti baculus arundineus etc., sed falsum quod ezechias in eis confiderat, excludendo etiam auxilium divinum: quod si responderis.

Cui abstulit. Quod fecit pro religione, pervertit in sacrilegium. Deuter. 12: cave ne offeras etc.; excludendo etiam robur proprium, et nunc trade te; quasi: nec equos habes, nec equites, ut uni principi exercitus resistere possis. Supra 33: projecit civitates etc.. Astruit etiam Senacherib potestatem ad impugnandum, ex praecepto divino: quia si confidis etc.. Supra 10: contra populum furoris mei etc..

Secundo ponitur aliorum responsio, et dixit eliacim. In aure populi, ne perturbetur, scientes quod dicitur. Prov. 11: benedictione justorum etc.. Tertio ponitur responsionis irrisio: et dixit ad eos. Urinam pedum, quae fluit ad pedes. Thren. 4: qui nutriebantur etc..

Et stetit rapsaces etc.. Hic ponitur allocutio ipsius ad populum. Et primo ponitur stultum ipsius verbum, in quo terret minis, non poterit eruere vos etc.. Judith 5: quis est iste qui filios Israel etc.; allicit promissis. Haec dicit rex. Benedictionem, idest pactum, quod vertetur in vestram benedictionem.

Vel benedicite me sicut Dominum vestrum. Veniam, de Aegypto, ad terram, scilicet medorum. Gen. 27: det tibi Deus de rore caeli etc.; provocat etiam exemplis: ne conturbet vos etc..

Dan. 11: elevabitur et magnificabitur etc.. Secundo ponit discretivi populi silentium. Et siluerunt.

Prov. 11: qui decipit amicum suum etc., Prov. 26: ne respondeas stulto etc.; praeceperat, ne verba blasphemiae multiplicaret, aut populum deciperet. Et ingressus etc.. Hic ponitur discessio nuntiorum ab invicem: et primo reditus Judaeorum ad ezechiam; secundo reditus rapsacis ad Senacherib, ibi reversus est autem etc.. Circa primum duo. Primo ponitur reditus nuntiorum et blasphemiae renuntiatio; secundo ponitur ezechiae oratio, et factum est cum audisset etc., scissis vestibus, pro audita blasphemia; quod erat mos Judaeorum, ut patet Matth. 26.

|+37 Capitulus 37

Et factum est cum audisset etc.. In parte ista ostendit quomodo ezechias contra blasphemias humilitate et orationibus pugnavit: et circa hoc tria facit. Primo recitat quomodo adiit orationis locum, assumens humilitatis habitum, obvolutus est etc.. Jonae 3: surrexit de solio suo etc.. Secundo non praesumens per se orationem Deo effundere, petit orationis suffragium per nuntios a propheta; ubi recitat nuntiorum missionem, et misit eliacim etc.. Supra 8: numquid non populus a Deo suo etc.. Exponunt nuntii tribulationem. Et debet sic legi: et venerunt etc., et dixerunt ad eum: dies tribulationis, quam patimur in exterioribus persecutionibus, angustiae, quantum ad cordis dolores, correctionis, divinae, blasphemiae, hostium. Venerunt filii, idest conceptiones consiliorum, pariendi, explendi.

Vel, ita dolemus sicut parturientes. Sophoniae 1: dies irae dies ista etc.; porrigunt petitionem, ut sic ordinetur: leva ergo orationem etc., si quomodo etc.. Jer. 42: ora pro nobis ad Dominum Deum etc.. Tertio ponit prophetae responsum: et dixit ad eos: in quo excludit regis timorem: ne timeas. Jer. 1: ne timeas a facie etc., et praedicit regis Senacherib mortem, ecce ego etc.. Apoc. 13: qui in gladio occiderit, in gladio etc..

Reversus est etc.. Hic ponit reditum rapsacis ad Senacherib. Et planum est. Et audivit de terancha. Hic recitat quomodo offendit eos comminando per epistolas; et circa hoc tria facit. Primo ponit superbam illius comminationem, et audivit de terancha, qui egressus in auxilium Aegyptiorum, quod cum audisset, occurrit ei obviam, dimittens Judaeam; et antequam recederet, scripsit verba haec.

Postmodum vadens, et obsidens Pelusium in Aegypto, veniente rege Aethiopiae, noluit cum eo pugnare, dicens eum esse sacerdotem Plutonis, derisorie propter nigredinem: vel quia mures cordas arcuum corrodentes exercitum ejus inermem dimiserunt. Supra 10: quomodo invenit manus etc.. Secundo ponit ezechiae orationem, praemittens receptionem epistolae: in qua oratione confitetur Dei potentiam, per subjectionem Angelorum: Domine Deus exercituum.

Job 25: numquid est numerus etc., per cultum Judaeorum; Deus Israel, qui sedes super cherubim: quia propitiatorium, quod erat quasi sedes Dei, et etiam dabat responsa, erat super alas cherubim. Ps. 79: qui sedes super cherubim etc..

Sed cum tabernaculum sit dispositum secundum exemplar caelestis ecclesiae, ut sumitur Exod. 25; videtur quod male dicatur sedere super cherubim, sed magis super thronos.

Et ad hoc dicendum, quod sedet super cherubim idest trans, quia super seraphim, qui sunt ultra eos.

Vel secundum Gregorium et Dionysium, nihil possidetur ibi singulariter; sed quod est inferiorum, attribuitur etiam superioribus eminenter. Unde proprietatem thronorum etiam eminentius habent cherubim.

Vel dicendum, quod sedet super thronos, sicut super sedem iudicii; super cherubim, sicut supra cathedram Magistri: quia interpretantur fusio scientiae. Et ideo congrue inde dicebantur dare responsa. Etiam ostendit Dei potentiam per dispositionem regnorum: tu es Deus solus etc., Dan. 5: donec cognosceret quod potestatem habet etc.; probat etiam per productionem creaturarum, tu fecisti etc.. Ps. 145: qui fecit caelum etc.; accusat etiam Senacherib blasphemiam, inclina Domine etc.; Judith 6: Domine Deus caeli etc., probans cum hoc blasphemiae stultitiam: vere enim Domine etc., Ps. 113: simulacra gentium etc.. Petit etiam tertio in hac oratione salutis misericordiam, et nunc Domine etc..

Judith 9: omnes gentes cognoscant etc.. Tertio propheta promittit orationis exauditionem per nuntios: et misit Isaias etc., et circa hoc duo facit.

Primo promittit hostium destructionem; secundo civitatis liberationem, propterea haec dicit etc.. Circa primum tria. Primo comminatur ei destructionis interitum; secundo ponit signum, tibi autem hoc erit etc., tertio ostendit destructionis fructum, et emittet id quod salvatum etc.. Circa primum duo. Primo comminatur poenam confusionis contra contemptum Judaeorum, despexit, etc., quando tibi noluit respondere; movebit, in futuro, quando aliis occisis, cum paucis fugies. Supra 33: qui spernis alias etc., job 22: videbunt justi etc.. Secundo comminatur poenam destructionis contra culpam quam in Deum commiserat: et circa hoc tria facit. Primo proponit culpam; secundo assumit divinam potentiam, numquid non audisti etc., tertio concludit poenam: ponam ergo etc.. Circa primum arguit ipsum de duobus peccatis. Primo de blasphemia: cui exprobrasti? verba ezechiae

ad Senacherib; quasi: non mihi, sed Deo. Infra 57: super quem lusistis, etc., secundo arguit ipsum de superbia, quam conceperat ex magnitudine rerum factarum. Et dixisti.

In multitudine, quasi mea, et non Dei virtute. Juga Libani, summitates montium, idest potentum. Deut. 32: manus nostra excelsa, etc.; ex magnitudine propositorum: et succidam excelsa, potentes in Judaeis, altitudinem, domum Domini; saltum, populum. Zachar. 11: aperi Libane portas etc.; ex multitudine pugnatorum, ego fodi; quasi: tantum habeo exercitum quod non sufficit mihi aqua quam invenio, nisi puteos fodiam. Vel metaphorice: consolationes omnium gentium ego siccavi. Joel. 2: quasi hortus voluptatis etc..

Numquid non audistis etc.. Hic assumit divinam potentiam, loquens in persona ipsius Dei. Et primo quantum ad aeternam praeordinationem: quae olim, ab aeterno, fecerim, proposuerim facere et de exaltatione et de destructione, illud, malum poenae, quod per ipsum infertur praevidi et praeordinavi, Eccli. 23: Domino Deo nostro antequam etc..

Secundo quantum ad aeterni propositi temporalem executionem, et nunc adduxi. Collium, principum, compugnantium, ad invicem. Breviata, idest retracta, manu mea ab auxilio eorum; vel diminuta manu ipsorum a sui auxilio. Ps. 128: fiant sicut fenum tectorum etc.. Tertio quantum ad omnium factorum cognitionem, habitationem, idest sedem regni. Introitum, in terram Judaeorum. Job 34: oculi ejus super vias etc..

Ponam ergo.

Hic concludit poenam. Circulum sicut bubalo, frenum sicut equo, idest potentia divinitatis meae refrenando. Job 30: pharetram suam aperuit etc..

Tibi autem.

Hic ponit signum. Venerat autem exercitus Assyriorum imminente messe.

Unde fructus non potuerunt tunc recolligere, et fuerunt in terra usque post tempus sementationis: unde nec seminare potuerunt. Sic ergo eis dicitur, quod illa anni parte residua, eunte Senacherib in Aegyptum, comedant: comedant quae sponte nascuntur, scilicet ex granis conculcatis unguibus equorum et quadrigis. Vel quaecumque repereris, ut 4 Reg. 20, in horreis prius ad obsidionem congregata.

Vel quae severas, secundum septuaginta, idest quae remanserunt conculcata in agris. Et in secundo anno, adhuc existente eo in Aegypto, quia per annum stetit, quia nihil recolliges, cum nihil seminaveris, pomis vescere, vel quae sponte nascuntur, ut in libr. 4 Reg. 20. Et in illo secundo anno destruetur Assyrius; et sic in tertio anno habebis liberam potestatem seminandi et congregandi. Vel, secundum Andream, hoc est consilium: et hoc erit signum: refertur ad praecedentia. Et emittet.

Hic ponit destructionis fructum: primo ponens similitudinem arboris, quae multos fructus affert, si in terra profundat radices. Jer. 17: erit quasi lignum etc.; secundo ponit expositionem: quia de jerusalem. Infra 46: dabo in sion etc.; tertio assignat rationem: zelus enim etc., supra 9 idem. Propterea haec dicit.

Hic promittit liberationem. Non intrabit sicut proposuit. Supra 8: inite consilium, etc., et assignat rationem: et protegam. Propter me. Infra 48: propter me faciam etc., et propter David. Psal. 131: propter David servum tuum etc..

Egressus est autem etc..

Hic ponit poenam quam a Deo sustinuit. Et primo quantum ad exercitus occisionem, et percussit.

Supra 33: a voce Angeli etc.; secundo quantum ad residuorum perturbationem et fugam, et surrexerunt. Supra 17: ecce turbatio etc.; tertio quantum ad ipsius occisionem: et factum est cum adoraret...p adramelech, et Sarasar, primogeniti, invidentes fratri minori, quem substituere volebant, ex alia matre natum.

Et sic justus de angustia etc.. (collationes cap. 37)p levatur oratio: per eminentiam contemplationis, Ps.: levavi oculos meos etc.; per fervorem affectionis, Thren. 3: levemus corda nostra etc.

Per lacrimas compunctionis, Ps.: levabo per singulas noctes, Ioel. 1: levate fletum etc.; per studium bonae operationis, Ps.: elevatio manuum mearum etc..

Frenum: humanae discretionis, Iac. 3: si quis in verbo non offendit etc.; divinae gubernationis, infra 48: infrenabo te laude mea etc.; diabolicae deceptionis, supra 30: frenum erroris etc.; temporalis afflictionis, iob 30: pharetram suam etc.; aeternae damnationis, Ps.: in freno et camo maxillas etc..

|+38 Capitulus 38

In diebus illis etc..

In parte ista ponit quaedam ex praedicta historia occasionata: scilicet infirmitatem ezechiae, quam incurrit propter ingratitude, quia post tantam victoriam canticum gratiarum actionis non composuit, sicut moris erat. Et dividitur in duas. In prima ponit ipsius aegritudinem et sanationem, in secunda ponit amicorum congratulationem, 39 cap.: in tempore illo, etc..

Circa primum tria: primo ponit aegritudinem; secundo liberationem, et convertit ezechias etc., tertio liberationis ordinem, et jussit Isaias etc..

Circa primum duo. Primo ponit morbum, aegrotavit etc.. Eccl. 31: infirmitas gravis etc.; secundo ponit mortis nuntium, et introivit. Dispone, ordinando quis tibi succedere debeat, Eccl. 33.

In die consummationis etc..

Sed contra hoc objicitur, quia postmodum vixit, et non mortuus est: ergo huic prophetiae, morieris etc., subfuit falsum, nec fuit immobili veritate annuntians rerum eventus.

Ad quod dicendum, quod cum omnium quae fiunt in toto cursu temporis, rationes ab aeterno in Deo fuerint, quaedam fuerunt inditae rebus quae explicantur per opus naturae et voluntatis; quasdam apud se tantum retinuit, ut eas quando vellet, in actum educeret. Videntes igitur prophetae in speculo aeternitatis, vident de utrisque quantum eis Deus vult revelare. Fuerant igitur Isaiae revelatae illae rationes quae rebus inditae erant, quae (per) causas inferiores fiunt, scilicet naturales et meritorias, secundum quas infirmitas regis ad mortem ordinata erat. Unde quantum ad sensum quem in verbis propheta habuit, verum dixit: quia secundum causas inferiores ita erat. Similiter etiam quantum ad alium sensum, quem spiritus sanctus intellexit, verum dixit: quia mortuus fuit illi ingratitude, dum postmodum Deo debitas gratias egit; sicut et Ninive subversa est quantum ad statum iniquitatis, ut dicit Augustinus.

Et convertit.

Hic ponit liberationem: et circa hoc tria: primo ponitur ezechiae oratio; secundo salutis promissio, et factum est verbum etc., tertio gratiarum actio, Scriptura ezechiae etc.. Circa primum tria ponit. Primo orationis praeparationem, ad parietem, templi, vel domus suae, ut devotius et secretius oraret. Ps. 85: in die tribulationis meae etc.. Secundo ponit ipsam orationem, et oravit. Memento, ut pro bonis quae feci vitam mihi concedas. Dicitur enim Deus oblitus, quando non retribuit. In veritate, cultus tui, corde perfecto, quantum ad amorem.

Sed contra. Prov. 20: quis potest dicere etc., et dicendum, quod non dixit se habere cor perfectum simpliciter, sed quoad hoc quod post idola non claudicabat, ut dicitur 3 Reg. 18. Eccl. 11.

In die malorum etc.. Tertio ponit orantis compunctionem. Et flevit etc..

Matth. 5: beati qui lugent etc., Judith 9: humilium et mansuetorum etc..

Est verbum etc.. Hic ponitur salutis promissio: et primo ponit orationis exauditionem, factum est, priusquam exiret mediam partem atrii. 4 Reg. 20: audivi orationem etc.. Supra 30.

Ad vocem clamoris etc..

Secundo ponit promissionem: ecce ego adjiciam.

Ps. 60: dies super dies regis etc.. Tertio ponit confirmationem per signum. Hoc autem erit etc., in sole, idest per motum solis, decem lineis, quibus secundum motum umbrae computabantur 10 horae. Et reversus, si subito, sic dies ille artificialis habuit 22 horas, fere duplicatus secundum Glossam. Si autem successive, sic venerat per 10 et rediit per 10 et iterum per 10 venit; et sic dies ille habuit 32 horas, fere triplicatus, secundum Dionysium. Hoc autem factum est, vel omnibus aliis caelestibus corporibus redeuntibus: vel sole brevioram viam aut velociorem motum habente, ut ad situm suum simul cum aliis perveniret. Eccl. 48: in diebus eius retro etc.. Et hoc signum competit signato, unde job 11: cum te consumptum etc.. Scriptura ezechiae etc..

Hic ponitur gratiarum actio pro salute promissa: et primo ponit titulum, Scriptura, scilicet haec est; secundo ponit canticum, ego dixi: in quo tria facit.

Primo plangit periculum quod evasit; secundo commemorat beneficium quod percepit, Domine si sic etc., tertio petit complementum quod Deus promisit, Domine, salvum etc.. Plangit autem tria. Primo mortis horrorem. In dimidio, idest in juventute mea, ad portas inferi, idest Limbum, vel mortem, vel sepulcrum Eccl. Ult.: vita mea appropinquans etc.. Secundo plangit bonorum amissionem, quantum ad Dei visionem: quaesivi, a Domino, quod suppleret, residuum, mihi ablatum; vel inquisivi apud me quantum restaret mihi de vita. Dixi, apud me: non videbo, per speciem modo, adhuc in terra viventium, in caelesti beatitudine. Ps. 26: credo videre etc.; vel non videbo, ulterius videndo templum et cultum ejus, in terra viventium, scilicet Judaeorum. Matth. 22: non est Deus mortuorum etc.. Etiam quantum ad hominum societatem, non aspiciam hominem, in hac vita viventem. Jerem. 49: non habitabit ibi vir etc.; vel hominem Christum nobis promissum.

Etiam quantum ad filiorum posteritatem, generatio, scilicet filiorum, quia nondum filios habebat, convoluta, plicata, ne ad posteros extendatur.

Supra 24: auferetur quasi tabernaculum etc..

Etiam quantum ad vitae brevitem: praecisa est velut a texente, dum adhuc, textit, tela imperfecta, ordier in juventute. Job 7: dies mei velocius etc.. Tertio plangit cordis anxietatem: et primo quantum ad mortis continuam expectationem. De mane, scilicet dicebam, usque ad vesperam finies me, morte. Et tunc non moriens, sperabam, iterum usque mane: ut simul cum morte dolor aegritudinis finiretur. Nihilominus quasi leo sic contrivit, languor vel ipse Deus per dolorem aegritudinis. Job 7: si dormiero etc..

Secundo quantum ad spei dilationem; ubi ponit tria sperantis: compunctionem: sicut pullus hirundinis, expectat matrem, quia non videt. Ut columba, cum gemitu scilicet, Nahum 2: gementes ut columbae etc.. Ponit etiam spei dilationem, attenuati, quasi fatigati, suspicientes, per spem.

Proverbiorum 13: spes quae differtur etc., psalm. 120: levavi oculos meos etc.. Ponit etiam quamdam cum Deo disceptationem: Domine, vim patior; quasi: violentia fit mihi, ultra merita affligor. Responde, idest fideiubeas, pro me.

Quid dicam? quasi in se reversus: quid possem contra Deum proponere? aut quid respondebit? quando debet ad interrogatoria respondere, cum ipse fecerit, me, vel poenam meam, job 9: si voluerit contendere cum eo etc.,

infra 45: numquid contradicit factori etc.. Tertio quantum ad praeteritorum recordationem, recogitabo annos, in quibus bona passus sum, vel etiam in quibus tibi peccavi. Job 7: loquar in tribulatione spiritus etc..

Domine, si sic. Hic commemorat beneficium quod suscepit. Et primo correctionem: si sic vivitur; idest, si tam misera est vita hominum, vel si per tribulationes acquiritur vita. Prover. 6: via vitae increpatio disciplinae. Et ponit: ecce in pace, quasi populo (pacem) habente ab Assyriis, amaritudo, mihi imminet. Proverb. 14: risus dolori etc.. Secundo commemorat liberationem a poena: tu autem eruisti animam, vitam, et a culpa, projecisti post tergum tuum, vel, meum, quasi obliviscens, omnia peccata mea.

Sapient. 11: misereris omnium, Domine etc.. Tertio assignat liberationis rationem: et primo quantum ad mortis inutilitatem: quia non infernus, idest damnati, vel sepulti, mors, diabolus, vel mortui, veritatem, promissionum, vel filium. Psalm. 6: non est in morte etc.; secundo quantum ad vivorum laudem, vivens vivens, ad majorem affirmationem, vel propter duplicem vitam. Psalm. 113: nos qui vivimus etc.. Tertio quantum ad divinae laudis propagationem, pater filiis etc., Psal. 77: mandavit patribus nostris nota facere etc.. Domine, salvum.

Hic petit expleri promissum. Salvum me fac, ab Assyriis, et a languore. Psalm. 33: benedicam Dominum in omni tempore etc..

Et jussit etc.. Hic ponit sanationis ordinem: et hoc transpositum est, et debet esse ante signi dationem, ut patet ex 4 Reg. 20. Sed quia non intendit historiam, sed prophetiam, quae ad prophetiam pertinent primo posuit: et primo ponit curationis modum. Cataplasment, emplastrum apponerent, vulnus a Deo inflictum, vel ulcus ex humorum corruptione, caro aperta. Dicunt enim, quod laborabat morbo regio, qui dicitur lupo, cui nocent ficus et omnia dulcia, ut curatio tota divinae potentiae attribueretur.

Alii dicunt, quod erat apostema, quod est ex humoribus intus collectis nondum carne scissa; ad cujus maturationem ficus prosunt, ut ostenderetur non esse spernendam medicinam.

Eccl. 38: faciet pigmenta suavitatis etc..

Secundo ezechias petit signum. Et dixit ezechias: quod erit signum etc., I Cor. 1: Judaei signa quaerunt etc.. (collationes cap. 38)p in morte confidam domus conscientiae: si pura a peccati contagione, supra 50: angustus est mihi locus etc., Ez. 8: ut recedam a sanctuario; si firma in bono opere, Matt. 7: descendit pluvia etc.; si ampla dilectione, infra 49: angustus est mihi etc., 54: dilata locum.

Oculi excelsi: per cordis elationem, Ps.: Domine non est exaltatum, attenuantur a Deo per depressionem, supra 2: oculi sublimis etc.; per inquisitionis curiositatem, iob 15: quasi magna cogitans etc., attenuantur per luminis oppressionem, Prov. 25: qui scrutator est maiestatis etc.

Per contemplationem, infra 40: leva in excelsum etc., attenuantur propter cognitionis parvitatem, iob 36: omnes homines vident etc..

|+39 Capitulus 39

In tempore illo etc.. Hic ponit amicorum congratulationem, ostensam in missione nuntiorum et munerum: et circa hoc tria facit. Primo ponit nuntiorum missionem: rex Babylonis qui tunc suberat Assyriis. Libros, epistolas. Audierat, sed maxime propter signum quod in solis reversione viderant. Ps. 71: vivet, et dabitur ei etc.. Secundo ponit ipsius ezechiae elationem inde conceptam, ponens elationis laetitiam, laetatus; contra hoc quod iob 31: si laetatus sum etc., et elationis in opere manifestationem, in ostentatione divitiarum suarum: et ostendit cellam aromatatum, quae dicuntur species odoriferae. Vel locum ubi sepeliebantur reges, vel inferiorem partem domus saltus, quae erat ex alabastro, ubi optime hujusmodi conservantur.

Apothecas, cellaria: verbum, res digna verbo, in omni potestate sua, quantum ad ea quae erant in templo, quod quidem erat in potestate regis usurpata. Eccl. 11: non omnem hominem inducas etc.. Tertio ponit elationis reprehensionem, introivit: et primo ponit culpae inquisitionem et manifestationem, non fuit res etc.. Prov. 20: sicut aqua profunda etc.; secundo comminatur poenam, et dixit Isaias.

Quantum ad amissionem rerum: omnia quae in domo etc.. Jer. 27: haec dicit Dominus ad vasa: et quantum ad filiorum servitutem, et de filiis; quod dicunt impletum in Daniele et sociis eius, non quia corpore, sed mente et officio tales fuerunt. Deut. 28: filii tui et filiae tuae etc.. Tertio ponit poenae acceptationem: et dixit ezechias. Bonum, iustum, pax, ab Assyriis, veritas, religionis, supra 26: Domine, dabis pacem etc..

|+40 Capitulus 40

Consolamini, consolamini etc.. Haec est secunda pars principalis istius libri, in qua principaliter consolationem populi intendit per multa beneficia repromissa. Dividitur autem in duas partes. In prima inducit eos ad promissorum expectationem; in secunda exequitur divinatorum beneficiorum promissionem, infra 45: haec dicit Dominus Christo meo etc.. Prima dividitur in tres: in prima confortat eos per promittentis potestatem; in secunda per ipsius dilectionem, 41: taceant ad me etc., in tertia per idolorum quae resistere credi possent, debilitatem, 44 cap.: et nunc audi Jacob etc.. Circa primum tria facit. Primo inducit ad consolationem; secundo promittit consolatorem, vox clamantis etc., in tertia ostendit Dei consolantis potestatem, quis mensus est pugillo etc.. Circa primum tria. Primo inducit populum in consolationem: consolamini, in spiritualibus, consolamini, in bonis temporalibus concessis.

Eccli. 48: consolatus est etc., Zach. 1: respondit Dominus Angelo etc.. Secundo indicit prophetis et sacerdotibus consolationis Annuntiationem: loquimini ad cor, scilicet consolando; advocate, a tristitia, ab idolatria. Oseae 2: ducam eam in solitudinem.

Tertio assignat rationem quantum ad culpae dimissionem, quoniam completa est etc., supra 27: et hic omnis fructus etc.; quantum ad poenarum finitionem, suscepit etc., loquitur secundum tempus post captivitatem.

Jerem. 17: duplici contritione etc., sed contra. Nahum 1: non consurget duplex tribulatio.

Et dicendum, quod duplicia dicuntur quantum ad poenam corporis et animae, sicut et culpa in utroque est.

Vox clamantis etc.. Hic promittit consolatorem: et circa hoc tria facit. Primo praemittit praeparationem; secundo ostendit prophetiae firmitatem, vox dicentis etc., tertio praenuntiat consolatorem venientem, super montem etc.. Circa primum tria. Primo indicit praeparationem: vox clamantis in deserto, scilicet joannis baptistae: haec erit, parate, per conversionem a malis, in solitudine, vitiorum. Amos 4: praeparare in occursum Dei tui etc.. Secundo praedicat expletionem, omnis vallis, sequens metaphoram viae malae: si est montuosa, facit laborem: unde dicit, vallis exaltabitur, ut adaequetur montibus, et totum fiat planum: si est distorta facit errorem; et quantum ad hoc dicit, erunt prava: etc.; si est lapidosa, facit pedum dolorem; et quantum ad hoc: aspera in vias, per quod significatur quod pusillanimitas vertetur in securitatem, superbia in humilitatem, nequitia in rectitudinem, et crudelitas in mansuetudinem. Jerem. 31: dirige cor tuum in viam etc..

Tertio ostendit praeparationis utilitatem, et revelabitur gloria, idest filius. Jerem. 33: curabo eos etc.; videbit, idest, omnibus visibilem se praebebit. Vel loquitur de die judicii. Apocal. 1: videbit eum omnis oculus, et qui eum etc.. Quidam sic exponunt.

Vox, Dei, clamantis, haec est, parate in deserto, idest in terra Juda olim deserta, viam Domini, scilicet ad eundem ad templum, vel in deserto quod est inter Babylonem et Iudam. Omnis vallis. Per haec ostenduntur omnia impedimenta removeri, ut libere populus revertatur. Gloria, in destructione chaldaeorum, per quam gloriosus apparebit.

Vox dicentis. In parte ista ostendit prophetiae firmitatem, per comparisonem ad hominum fragilitatem: unde Dominus primo indicit clamorem, qui significat expressam et planam Annuntiationem.

Clama. Infra 58: clama, ne cesses etc.; secundo indicit clamandam humanam fragilitatem, interrogante propheta: et dixi, quid clamabo? timens ne contra populum suum aliquid clamare praecipiat; ut supra 6, et Domino respondente, omnis caro etc.. Jacobi 1: exortus est enim sol etc.; tertio ostendit divini verbi firmitatem, vere fenum etc., Luc. 21: caelum et terra etc..

Super montem excelsum etc.. Hic praedicat consolatorem venientem; et circa hoc tria facit. Primo Dominus indicit prophetae Annuntiationem; in secunda determinat adventus promissionem, ecce Deus, in tertia ostendit venientis condicionem: ecce Dominus.

Circa primum determinat, quis, cui, et qualiter annuntiet. Quis, quia qui habet officium, qui evangelizas. Rom. 10: quomodo praedicabunt, nisi etc.. Modum designat per tria.

Per loci altitudinem, ut bona nuntians de longe audiatur, super montem, etc., mystice Christum, vel caelestem conversationem et contemplationem. Supra 2: venite, ascendamus etc., infra 42: de vertice montium etc., per vocis clamorem, exalta in fortitudine, ut multi audiant, plane et constanter praedicando.

Infra 58: clama, ne cesses etc.; per cordis securitatem, exalta, noli etc.. Jer. 1: ne timeas a facie etc.. Cui sit annuntiandum determinat quantum ad tria: quantum ad regni provinciam, dic civitatibus; etc., quantum ad provinciae metropolim, qui evangelizas jerusalem; quantum ad civitatis rectores, sion, ubi templum et domus regia. Infra 41: primus ad sion dicet etc..

Act. 13: vobis oportebat etc..

Ecce. Hic ponit adventus Dei promissionem, ecce, in promptu, Deus vester, veniet. Supra 35: Deus ipse veniet etc.. Ecce Dominus.

Hic ostendit venientis conditionem: et primo ostendit quod veniet fortis ad liberandum, in fortitudine. Brachium, fortitudo in die judicii. Vel in primo Christi adventu in potestate miraculorum, vel in destructione Babylonis. Job 40: si habes brachium sicut Deus. Etc.; secundo quod veniet justus ad remunerandum, ecce merces.

Opus coram illo, quia in facilitate voluntatis. Sap. 5: justi autem in perpetuum etc.; tertio ostendit quod veniet pius ad consolandum, sicut pastor. Ad pascendum esurientes, gregem suum pascet. Ezech. 34: in pascuis uberrimis etc., jerem. 3: dabo vobis pastores etc.; ad congregandum dissentientes, in brachio etc., joan. 10: alias oves habeo etc.; ad portandum deficientes, in sinu suo etc., Luc. 15: cum invenerit eam, etc..

Quis mensus est etc.. Hic ostendit divinam potestatem: et primo astruit eam contra idolatrarum errores, qui divinae potentiae derogabant, creaturam creatori aequando. Rom. 1: servierunt creaturae etc.; secundo contra desperationem Judaeorum, qui divinae potentiae derogabant diffidendo, levate in excelsum etc.. Circa primum duo: primo ostendit Dei potestatem; secundo excludit errorem, cui ergo similem etc.. Circa primum tria. Primo ostendit divinam potentiam, simul et sapientiam in commensuratione facili, et creatione omnium rerum: fecit enim omnia in numero, quantum ad multitudinem principiorum; in mensura, quantum ad determinationem sub proprio esse, in pondere, quantum ad inclinationem ad finem.

Sapient. 11: pugillo, idest faciliter, sicut quae pugillo, mensurantur qui est manus clausa; palmo, idest faciliter, qui est manus extensa: appendit super nihil, job 26: quia nullo exteriori fulcitur: alias esset quies terrae violenta.

Super aquas, in Ps. 28, quantum ad situm, quia aquis circumdatur. Psalm. 103: super stabilitatem suam, quantum ad propriam causam quietis, quae est natura propria: tribus digitis, faciliter: vel tribus proprietatibus, gravitate, siccitate et immobilitate, libravit, libratos fecit proprio pondere. Secundo ostendit sufficientiam potentiae, quia non indiget adjuvante: quis adjuvit; contra Philosophos ponentes, mediantibus primis causatis, ultima creata esse: sapientiae, quia non indiget consilio: aut quis, ut sibi daret consilium; cum quo, ut ab ipso peteret; instruxit eum; formam operis; semitam justitiae; naturalis, quam omnibus rebus praefixit, ut nulla res suae naturae metas excederet; scientiam, de cognitione rerum creaturarum et universalium et particularium, contra Philosophos; viam prudentiae, quantum ad mundi gubernationem. Job 26: cujus adjutor es, numquid etc.. Tertio ostendit ipsius excellentiam: quia excedit omnem gentium multitudinem: ecce gentes. Quasi stilla, parva gutta, situlae, cadens de situla, quae est vas aquaticum sitientibus aptum, quae pro nihilo reputatur, momentum quod inter brachia staterae est, quod de facili in utrumque inclinatur. Job 26: cum vix parvam stillam etc.; ostendit etiam quod excedit omnem condignum honorem, et praecipue quantum ad oblationem. Et Libanus, idest ligna Libani, quibus abundat, quia nemorosus, et animalia, quibus abundat, quia pascuosus.

Mich. 6: quid dignum offeram Domino etc.; ostendit etiam quod excedit omnem creaturae perfectionem: et naturalem, quia esse ipsarum respectu Dei est non esse: dicit enim Dionysius in lib.

De divinis nominibus, cap. 12, quod quantum participantia excedunt non participantia, et quantum participationes participantia, tantum qui est principium participationum, excedit et participationes et participantia. Omnes gentes quasi non sint etc.; et quantum ad perfectiones superadditas, quae quodammodo sunt implentes, et quasi nihilum etc., jerem. 4: aspexi terram etc..

Cui ergo etc.. Hic excludit errorem: et primo irridet errorem quantum ad operantis intentionem, quia volebant Deum facere. Ergo ex quo tam potens est: cui similem? loquitur secundum errorem illorum qui ipsas similitudines deos putabant. Aut quam imaginem? quantum ad illos qui putabant ea quorum sunt similitudines, ut solem vel lunam, etc., Exod. 15: quis similis tui in fortibus etc.; et quantum ad stultam operationem, quia in vili materia nobilissimam formam inducere volebant: numquid sculptile etc., sapien. 14: incommunicabile nomen etc.. Secundo convincit errantem: et primo ex lege naturali dictante: numquid non scietis, naturali ratione, idola non esse deos? et lege scripta prohibente: numquid non annuntiatum, Roman. 10: numquid non audierunt etc.. Convincit etiam ex creaturarum consideratione; terrestrium, quantum ad creationem: numquid non intellexistis fundamenta terrae, ab ipso esse fundata? idest illud terrae quod est juxta centrum. Proverb. 8: quando appendebat fundamenta etc.; et quantum ad creatorem, qui sedet super gyrum, quia sphaerica, sicut gubernans, et habitatores quasi locustae, respectu magnitudinis terrae, vel ipsius Dei. Ex creatione etiam creaturarum caelestium: qui extendit, quantum ad caeli magnitudinem, velut nihilum, quantum ad substantiae subtilitatem; quasi tabernaculum, sibi: ut in quo primo virtus ejus relucet inter corporalia, quantum ad virtutem.

Vel quasi in habitationem Angelorum et sanctorum, quantum ad dignitatem. Vel etiam totius creaturae inferioris, quantum ad ipsarum claritatem. Jerem. 10: praeparat orbem in sapientia etc.. Convincit tertio eos quantum ad magnorum subjugationem, ponens illorum destructionem qui sunt magni. Vel secundum scientiam, qui dat secretorum, scilicet Philosophos. Vel secundum potentiam, judices, idest principes. Ps. 63: defecerunt scrutantes etc.; et ostendit destructionis facilitatem per similitudinem herbae, vel arboris, quae non habet radices firmas in terra.

Et quidem neque etc., job 13: contra folium quod vento rapitur etc.. Tertio ponit conclusionem, et cui assimilatis etc., psalm. 88: quis in nubibus aequabitur etc..

Levate etc.. Hic astruit idem contra desperantes: et primo astruit divinam majestatem ex rerum creatione: quis creavit haec, scilicet caelestia. Ps. 32: ipse dixit, et facta sunt etc.; ex scientiae perfectione: qui educit, ad implendam suam voluntatem, in numero, determinato in sua scientia, militiam eorum, scilicet caelorum, stellas vel Angelos, ex nomine, unicuique propriam naturam, unde nominari possit determinans.

Psalm. 146: qui numerat multitudinem etc.; ex domini plenitudine: prae multitudine fortitudinis, ad impugandum, roboris, ad resistendum, virtutis, ad operandum: fuit, ab ejus dominio. Job 25: numquid est numerus etc.. Secundo excludit errorem.

Et primo ponit errorem: quare dicis. Abscondita; non videt quae mala patior, alias defenderet me. Judicium, idest potestas judicandi, quam olim habuit. Eccl. 16: ne dicas, a Deo abscondar etc., Ez. 9 dixerunt dereliquit etc..

Secundo ponit erroris reprobationem: et primo probationis confirmationem ex lege: numquid nescis, lege naturali, aut non audisti, lege scripta, haec quae sequuntur? secundo ponit reprobationem, primo ostendens Dei magnitudinem ex his quae in se habet, scilicet domini aeternitatem, Deus sempiternus etc., Exod. 15: Dominus regnavit in aeternum etc.; potentiam indeficientem, non deficiet, ut omnia non possit, neque laborabit ut difficulter possit, Daniel. 7: potestas ejus etc.; scientiae incomprehensibilitatem, neque est investigatio. Roman. 11: quam incomprehensibilia sunt etc.. Secundo per magna quae in aliis facit: et primo in his quos confortat, pristinam debilitatem, qui dat lasso, quantum ad illum qui prius fortis fuerat et defecit; et his qui non sunt, quantum ad eos qui non fuerunt fortes, supra 25: factus fortitudo pauperi etc., Roman. 4: vocat ea quae non sunt, 1 Cor. 1: quae infirma sunt elegit.

Secundo ostendit fortitudinis magnitudinem per comparisonem ad fortitudinem naturalem, quam ostendit prius deficientem: deficient pueri, qui sunt in statu proficiendi, juvenes qui videntur robusti. 1 Reg. 2: non in

fortitudine sua etc.. Secundo roboris a Deo dati magnitudinem: qui autem sperant mutabunt fortitudinem, scilicet naturalem in divinam, ut non fatigentur ascensu, assument pennas, Prov. 23: facient sibi pennas etc., nec etiam veloci cursu: current, nec etiam continuo incessu, ambulabunt etc., supra 5: non est deficiens neque laborans etc.. (collationes cap. 40)p adiuatur spiritus Domini (non in creatione sed in iustificatione, Augustinus: qui creavit te sine te etc.): per praedicationem, I Cor. 3: Dei adiutores etc., per praeparationem, Iac. 4: appropinquate Domino etc., per cooperationem, Hebr. 12: contemplantes, ne quis desit etc..

Sancti comparantur aquilis: propter volatus altitudinem, iob 39: numquid ad praeceptum tuum etc., in quo eminentia contemplationis, supra 33: regem in decore suo etc.; propter odoris subtilitatem, Luc. 16: ubicumque fuerit corpus etc., in quo fervor dilectionis, Cant. 1: trahe me post te etc.; propter loci sublimitatem, Prov. 30: tria sunt mihi etc., in quo studium caelestis conversationis, Phil. 3: nostra conversatio etc.; propter motus velocitatem, Thren. 4: velociore fuerunt etc., in quo promptitudo bonae operationis, Prov. 22: vidisti hominem etc.; propter renovationem, Ps.: renovabitur ut aquilae etc., in quo studium emendationis et profectus, II Cor. 4: licet is qui foris etc.; propter membrorum pulcritudinem, Ez. 17: aquila grandis etc., in quo decor virtutum, Cant. 4: tota pulcra es etc.; propter filiorum sollicitudinem, Deut. 32: sicut aquila provocans etc., in quo sollicitudo sanctorum, II Cor. 11: quis infirmatur etc..

|+41 Capitulus 41

Taceant ad me etc.. Hic incipit eos confortare ad firmam expectationem ex Dei promittentis dilectione. Et dividitur in tres. In prima ostendit divinam dilectionem ex beneficiis quae patribus exhibuit; in secunda ex filio quem eis promisit, 42 cap.: ecce servus meus etc. In tertia per consolationes quas inter diversas angustias praedicat, 43 capit.: et nunc haec dicit Dominus etc.. Intendit autem per beneficia prius praestita, confortationem Judaeorum et idolorum confutationem, quae talia suis cultoribus non exhibuerunt; et ideo dividitur prima pars in duas. In prima disceptat contra idolorum cultores; in secunda contra ipsa idola, ibi, prope facite etc.; primum in duo: primo enim per beneficia Judaeis praestita vincit adversarios; secundo per eadem confortat Judaeos, et tu Israel serve meus etc.. Circa primum tria. Primo convocat gentes ad iudicium, prosequens iudicii ordinem, ut tacentes audiant, et sic respondeant.

Mutent fortitudinem, idest confortent se quasi renovati in fortitudine ad disceptandum mecum. Mich. 6: audiant montes iudicium etc.. Secundo narrat exhibitum beneficium, quis vocavit, ubi narrat multitudinem beneficiorum quantum ad divinam electionem, ab oriente, scilicet chaldaea, justum, Abraham. Genes. 12, iob 23: vestigia ejus secutus est etc., jer. 13: sicut adhaeret lumbare etc., Os. 9: quasi prima poma ficulneae etc.; quantum ad concessam potestatem, dabit in conspectu, scilicet quando liberavit Lot, pugnans contra quatuor reges: Gen. 14. Ps. 1: non sic impii, non sic etc.; quantum ad exequendi facilitatem, transibit in pace, idest sine labore; semita etc., sicut qui leviter incedit, quasi vestigium viae non derelinquit: vel quia in pedibus labor: signum viae non derelictus est. Supra 40: current, et non laborabunt etc.; quaerit auctorem: quis haec operatus, et quis, vocans, aeterna praescientia, infra 49: Dominus ab utero etc.; et ponit responsionem.

Ego Dominus etc., apocal. 1: ego sum alpha etc.. Aliter ad litteram exponitur de Cyro, mystice de Christo.

Tertio ponit quasi gentilium responsum, in quo per idola se defendere credebant. Et primo tangit eorum ad allegata vel mirabilia visa stuporem, viderunt insulae etc., psalm. 76: viderunt te aquae, Deus etc., accesserunt, ad resistendum. Secundo ponit mutuam confortationem, unusquisque etc., iob 40: una uni adhaerebit etc.. Tertio ponit idolorum fabricationem: confortabit percutiens, ferrum malleo, cudebat, formabat figuram idoli; dicens de glutino: bonum est, ad consolidandum idolum: Sap. 13: in pariete ponens illum etc..

Et tu Israel etc.. In parte ista confortat Judaeos ex eisdem beneficiis: et primo ponitur praeteriti beneficii repetitio in electione patrum Jacob et Abraham, quibus ab aliis universaliter distincti sunt: Jacob quem etc., Psal. 104: semen Abraham servi etc., Rom. 11: secundum electionem autem etc..

Secundo ponitur futurorum promissio: et primo quantum ad immunitatem malorum, excludens timorem: tum propter Dei praesentiam, ne timeas quia etc., jerem. 1: ne timeas a facie etc., tum propter patrum iustitiam, suscepit te, quasi semen repromissum, justus mei, Abraham. Vel suscepit, ad defendendum, justus, Cyri. Ps. 90: in manibus portabunt etc.; ponens etiam hostium amotionem quantum ad eorum confusionem, ecce confundentur. Jer. 17: confundantur qui me persequuntur etc., quantum ad destructionem, erunt quasi non sint. Supra 30: ad perendas gentes in nihilum etc., et reparationis impossibilitatem, quaeres eos etc., psalm. 36: vidi impium super etc.; ostendens etiam destructionis rationem, quia ego Dominus etc., Ps. 143: emitte manum tuam etc.. Secundo quantum ad abundantiam bonorum: et primo contra servitutem, ponens ipsum servitutis jugum: noli timere vermis; quasi qui vilis haberi et calcaris sicut vermis, et pro mortuo computaris. Psalm. 21: ego sum vermis etc.; ponens etiam divinum auxilium.

Infra 41: ego auxiliatus etc.; ponens etiam exaltationis beneficium, quantum ad hostium subjugationem, ego posui te etc., supra 25: et triturabitur Moab etc., quod forte tempore Machabaeorum. Et quantum ad eorum exultationem, et tu exultabis etc., Cant. 1: laetabimur et exultabimus etc.. Secundo contra paupertatem, ponens primo paupertatis incommodum, egeni et pauperes etc., supra 5: nobiles eius interierunt etc.; secundo divinum propositum: ego Dominus etc., Ps.: invocabit me et ego etc.; tertio ponit beneficium quantum ad abundantiam

aquarum in locis montuosis: aperiam in supremis etc., supra 30: erunt super montem etc., et in locis desertis, ponam desertum idest terram vestram primus desertam.

Psalm. 106: posuit desertum in stagna etc., et quantum ad pulcritudinem arborum, dabo in solitudine etc., Ez. 30: multiplicata sunt arbusta etc.; quarto ponit beneficii fructum, ut videant etc., Eccli. 36: cognoscant quoniam non est Deus etc..

Prope facite etc.. Hic ponit disputationem contra ipsa idola: et primo ponit disputationem; secundo sententiae determinationem, et vidi et non erat etc.. Circa primum duo.

Primo disputat contra idola rationibus universalibus; secundo per rationem a quodam particulari facto sumptam, suscitavi etc.. Circa primum tria.

Primo convocat ad iudicium, prope, idest appropinquate ad me, ut simul iudicemur: vos idola, vel idolatrae, afferte, idest allegate, si quid habetis, ut probetis vos deos, si habes quid loquaris etc., Psal. 81: Deus stetit in synagoga etc.. Secundo proponit argumentum duplex.

Unum sumptum ex divina scientia, quae plene omnia novit, praeterita et futura, quam idola non habent: priora quae fuerunt etc.. Eccl. 23: Domino Deo antequam crearentur etc.; aliud est sumptum ex divina potentia, quae potest punire et bene facere: bene quoque etc., baruch ult.: neque si quid mali patiuntur etc.. Tertio concludit eorum defectum quantum ad causam materialem, ecce vos, idola, ex nihilo, ex materia creata; quantum ad formalem, opus, idest artificialis forma, quae figurat in vobis divinitatem, quae non est; et quantum ad efficientem, abominatio, idest abominabilis, vel vos, artifices, opus vestrum, scilicet idola, qui elegit, cultores. 1 Cor. 8: scimus quia idolum etc., jer. 10: confusus omnis artifex etc.. Suscitavi. Hic sumit quoddam speciale factum ad arguendum contra idola, et primo praedicat quoddam futurum: ab Aquilone, chaldaeam; ab oriente, Persam, qui subjugaverunt sibi diversas terras et principes.

Plastes, figulus, plasma, factura.

Mystice: per eum qui ab Aquilone, gentilem, per eum qui ab oriente, Christum. Ps. 17: ut lutum platearum etc.. Secundo ex hoc sub quaestione proponit argumentum, quod qui hoc potest praedicere, est juste dicendus Deus; et qui non, non. Quis annuntiavit? infra 48: congregamini et audite etc.. Tertio excludit ab idolis divinitatis indicium: non est annuntians, aliquis ex vobis diis, neque, aliquis cultorum, audiens etc., Ps. 113: oculos habent, et non videbunt etc.. Quarto ostendit in vero Deo divinitatis signum. Primus, idest singularis Deus noster. Ecce adsum, in auxilium, evangelistas, annuntiantes futura. Daniel 2: vere Deus vester Deus etc.; vel primus, propheta Domini, ex persona Dei, vel primus: primogenitus Dei filius. Eph. 4: et dedit quosdam quidem etc.. Et vidi.

Hic ex supra posita disputatione concludit sententiae determinationem: et per se patet.

Ier. 10 et 11: vana sunt et opus risu dignum etc.. (collationes cap. 41)p Christus transivit in pace carnis ad spiritum quam habuit, iob 5: scies quod pacem habeat etc., hominis ad proximum quam docuit, infra 52: quam pulcri super montes etc., mundi ad Deum quam fecit, Eph. 2: fecit pacem etc..

Movet ad praedicandum instinctus fidei, Ps.: credidi propter etc., II Cor. 4 Apoc. Ult., stimulus zeli, Ier. 20: et factum in corde meo etc., magnitudo praemii, Matth. 5: qui fecerit et docuerit etc..

Suscepit nos Christus quasi victor captivum ad liberandum, Gen. Ult.: ad praedam fili etc., Ps.: educ de custodia quasi medicus infirmum ad sanandum, Ps.: qui propitiatur omnibus etc., quasi advocatus reum ad excusandum, I ioh. 1: advocatum habemus etc., quasi fortis debilem ad defendendum, infra 63: ego qui loquor iustitiam etc., Exod.: Dominus pugnabit etc., quasi sponsus sponsam ad congaudendum, Osee 2: sponsabo te mihi etc..

Aqua effusae lacrimae, Ier. 9: quis dabit capiti meo etc., baptismalis munditiae, ioh. 3: nisi quis renatus etc., spiritualis gratiae, ioh. 7: qui in me credit flumina etc., divinae sapientiae, Eccli. 24: ego sapientia effudi etc., internae laetitiae, Prov. 5: bibe aquam etc..

|+42 Capitulus 42

Ecce servus meus etc.. Hic ostendit divinam dilectionem ex filio quem promisit. Joan. 3: sic Deus dilexit mundum etc.. Et primo ex tanto beneficio ostendit Dei dilectionem; secundo Judaeorum perversitatem, haec verba feci eis.

Etc.. Circa primum tria. Primo praedicat filii Dei adventum; secundo malorum casum, Dominus sicut fortis etc.. Tertio resurrectionem bonorum, et educam caecos etc., Luc. 2: ecce hic positus est etc.. Circa primum tria.

Primo describit mittendi conditionem; secundo praedicat missionem, haec dicit Dominus etc., tertio invitat ad gratiarum actionem, cantate Domino etc.. Circa primum tria. Primo ostendit gratiae plenitudinem quantum ad gratiam unionis, suscipiam eum. Servus, secundum humanam naturam. Luc. 1: suscepit Israel etc.; quantum ad gratiam capitis, electus, ut sit caput ecclesiae.

Ex millibus: Cant. 5. Ps. 64: beatus quem elegisti et assumpsisti etc., complacuit. Matth. 3: hic est filius meus etc.; quantum ad gratiam habitalem, quae fuit in ipso singularis, dedi spiritum meum. Supra 11: requiescet super eum spiritus Domini.

Etc.. Secundo ostendit iudicii aequitatem, quantum ad tria: scilicet iudicandi auctoritatem, iudicium gentibus etc., Ps. 71: Deus, iudicium tuum etc., joan. 5: omne iudicium dedit etc., cui adjungit mansuetudinem, non clamabit.

Eccl. 9: verba sapientis audiuntur etc.; ostendit secundo iudicis aequalitatem: neque accipiet personam. Act. 10: non est personarum acceptor Deus. Cui adjungit pietatem in subveniendo: nec audietur foris, Judaeam, vox praedicationis ejus, ut prius subveniret illis ad quos missus erat.

Non sum missus etc.. Matth. 15, Ps. 94: hodie si vocem ejus etc., et in dissimulando, calamum, scilicet regnum Judaeorum, linum, sacerdotium. Ezech. 34: quod confractum fuerat etc.; ostendit etiam tertio iudicii veritatem, in veritate etc., Ps. 95: iudicabit orbem terrae etc., cui adjungit jucunditatem: non erit tristis, in corde; turbulentus, in facie: semper hilaris jucundusque fuit, aequalitatem mentis servans, etsi quantum ad partem sensibilem fuerit propassio tristitiae, non quidem necessitatis, sed voluntatis. Unde Matth. 26: tristis anima mea etc., Eccl. 30: jucunditas cordis etc.. Tertio ostendit dominii potestatem: donec ponat iudicium ultimum, vel praeceptum suum, praedicantibus apostolis; legem, evangelium. Genes. 49: ipse erit expectatio etc., infra 60: me enim insulae expectant etc.. Alii exponunt hoc de Dario rege Persarum, qui mansuetus, justus et quietus fuit, quem Dominus elegit ad liberandum Judaeos.

Haec dicit Dominus Deus etc.. Hic praedicat missionem: et primo ostendit mittentis potestatem quantum ad creationem caelestium, creans caelos; quantum ad dispositionem terrestrium, firmans terram; quantum ad animationem viventium, dans flatum, naturalis vitae, spiritum, gratuite. Zach. 12: Dominus extendens caelum etc.. Secundo praedicat missionem, ponens missi exaltationem: ego Dominus vocavi te, filium meum ab aeterno, praedestinando ad unitatem divinae personae, in justitia, idest ut justus sim, implens promissa. Rom. 1: qui praedestinatus est etc.. Apprehendi manum, quantum ad operationem: joan. 14: pater in me manens etc., et servavi, ne morte detinereris. Ps. 15: non dabis sanctum tuum etc., infra 49: vocavi eum et adduxi etc.; ponit etiam officii iniunctionem: dedi te in foedus, quasi mediatorem. Gen. 9: arcum meum ponam etc..

In lucem etc., quasi illuminatorem.

Supra 9: habitantibus in regione etc., joan. 1: erat lux vera etc.; ostendit etiam officii utilitatem contra infidelitatem, ut aperires etc., joan. 9: in iudicium veni etc., contra peccati servitutem. Ut educeres etc., Zach. 9: tu autem in sanguine testamenti etc.. Tertio ex missione concludit divinae majestatis singularitatem, quantum ad potentiam, ego Dominus etc., Ps. 67: iter facite illi etc., Exod. 6: nomen meum Adonai etc., gloriam, qua Dominus dicor. Luc. 2: gloria in excelsis etc., et quantum ad scientiam, quae prima fuerunt etc., infra 49: dixi tibi ex tunc etc.. Hoc etiam referunt ad Darium. Cantate Domino etc.. Hic invitat ad gratiarum actionem: et primo indicit laudem et praecipue agrestibus, vel propter distantiam habitationis: ab extremis, supra 24: a finibus terrae laudes etc., vel propter inclusionem maris, qui descenditis; scilicet nautae, plenitudo ejus, scilicet maris, idest omne illud quo impletur laudet Deum. Ps. 106: qui descendunt in mare etc., vel propter conversationem in desertis. Levet, vocem suam in laudem Dei, desertum, idest habitatores ejus, maxime quantum ad Ismaelitas, in domibus, more aliarum nationum, qui prius erant vagi per desertum.

Cedar, filius Ismaelis. Supra 35: laetabitur deserta etc.; vel propter habitationem in montanis: laudate habitatores petrae, illius civitatis in palaestina, quae in petris posita est. Vel cujuslibet montis. Infra 55: montes et colles cantabunt etc., et invitat hos de quibus minus videtur quod ad laudandum Deum conversantur. Secundo praedicat divinae laudis divulgationem: ponent Domino gloriam, in aliis, non solum in seipsis. Infra ult.: mittam ex eis qui salvati etc.. Mystice totum hoc de conversione gentium ad fidem.

Dominus sicut fortis. Hic praedicat per Christi adventum futurum casum: et circa hoc quatuor ponit.

Primo potentiam: Dominus sicut fortis, ad impugnandum Judaeos per Romanos. Exod. 15: Dominus quasi vir pugnator etc., zelum, ultionis. Prover. 6: zelus et furor viri etc.. Secundo ponit iram, vociferabitur, per tribulationes quas eis immittet; contra id quo supra dictum est. Non clamabit, primo enim ostendit mansuetudinem veniens. Sed contemnentibus indignationem ostendit. Job 37: tonabit in voce sua etc.. Tertio ponit justitiam: quia justum est ut cum diu expectaverit impenitentes, omnes simul absorbeat: tacui, semper etc., job 3: nonne dissimulavi etc., patiens fui. Supra 30: propterea expectat Dominus etc., sicut paries, proferam dissimulatum dolorem, sicut mulier conceptum infantem. Vel quia sicut parturiens dolebo de tam gravi poena. Quarto ponit poenam quantum ad homines: desertos faciam montes, majores; colles, mediocres; germen, populares.

Ezech. 35: montem Seir desertum etc., et quantum ad subtractionem omnis doctrinae vel consolationis, ponam flumina etc., psalm. 106: posuit flumina in desertum etc.. Potest etiam hoc referri ad destructionem hostium Judaeorum per Darium.

Et educam. Hic ponit (resurrectionem) bonorum quantum ad tria.

Primo quantum ad reparationem actus: educam caecos, scilicet gentiles, in viam, Christum, vel legis praeceptum: vel etiam Judaeos, secundum aliam expositionem. Prov. 4: ducam te per semitas etc.; secundo quantum ad illuminationem intellectus: ponam tenebras etc., Luc. 1: illuminare his qui in tenebris etc.; tertio quantum ad directionem affectus. Prava, scilicet corda, supra 40: erunt prava in directa etc..

Haec verba feci eis etc.. Hic ostendit Judaeorum perversitatem: et primo ostendit eos ingratos ad beneficia; secundo duos ad praecepta, surdi audite, tertio obstinatos inter flagella, quis est in vobis etc.. Circa primum duo. Primo ostendit ingratitudinem, haec verba, scilicet praedicta beneficia. Conversi sunt retrorsum, a me, jer. 5: tu dereliquisti me etc.. Secundo imprecatur eis confusionem, confundantur etc., Psal. 118: confundantur omnes etc.. Surdi audite.

Hic ostendit eos duros vel inoboedientes ad praecepta. Et primo ostendit eorum duritiam, vocans eos surdos, et caecos unite. (excaecavit enim eos malitia eorum: Sap. 2), quamvis habeant oculos, et aures corporis, quod probat quia videntes custodiunt et habentes aures cordis apertas oboediunt.

Venundatus, in servum peccati, pro delectatione temporalis boni, 3 Reg. 21: venundatus es ut faceres etc.. Qui apertas etc., Ier. 5: audi popule stulte etc., supra 6: excaeca cor populi huius etc.. Secundo ostendit durorum stultitiam, per hoc quod in praeceptis, eorum utilitatem Dominus intendebat. Unde ponit Domini intentionem: et Dominus voluit eum, populum; et ipse populus magnificaret legem Dei, in corde suo custodiendo ipsam; et ut Dominus extolleret, id est exaltaret, populum. 1 Thess. 4: haec est, voluntas Dei etc.; et ostendit etiam eorum contradictionem, quia in seipsis peccabant: ipse autem direptus, a Daemonibus per diversa peccata, et ideo vastatus, ab hostibus supra 18: a populo divulso etc.; aliis etiam occasionem peccandi praestabant, laqueus, id est occasio ad peccandum, juvenum, insipientum.

Oseae 5: laqueus facti estis etc., et quia peccata occultabant, in domibus carcerum, id est in secreto cordis. In corde et corde etc.. Tertio ponit poenam: facti sunt in rapinam etc..

Nec est qui eruat, bellorum potentia, nec est qui dicat, orationis instantia. Eccli. Ult.: circumdederunt me undique etc.; vel ibi incipit poena, in domibus carcerum, ut exponatur ad litteram. Quis est in vobis.

Hic ostendit eos incorrigibiles per flagella, quia etiam causam flagellorum non recognoscunt: et circa hoc tria facit. Primo inquit recte sentientem, innuens paucitatem. Futura, quae praenuntio de vestris suppliciis. Oseae ult.: quis sapiens etc.. Secundo determinat veritatem quantum ad poenae auctorem: quis dedit etc., 1 regum 2: Dominus mortificat etc.; quantum ad culpam: ipse est cui etc., baruch 4. Justitias ipsius nescierunt etc.; et quantum ad poenam, et effudit etc., Ps. 68: effunde super eos iram tuam etc., effusio abundantiam significat. Tertio excludit veritatis cognitionem: et combussit eum, scilicet materiali igne per hostium vastationem; non cognovit, se a Deo pro peccatis suis punitum. Psalm. 81: nescierunt neque intellexerunt etc.. (collationes cap. 42)p clamor devotae orationis, Hebr. 5: cum clamore valido etc., attentae praedicationis, ioh. 7: ultimo festivitatis etc., rixae et contentionis, supra 5: expectavit ut faceret etc..

Datur Christus in foedus conservandae salutis, Gen. 9: arcum meum etc., explendae promissionis, II Cor. 1: quotquot promissiones etc., divinae dilectionis ioh. 3: sic Deus dilexit etc., cessaturae legis, Ps.: holocausta pro peccato etc..

|+43 Capitulus 43

Et nunc haec dicit Dominus etc.. Hic ostendit eis divinam dilectionem per remedia quae eis inter angustias concessit. Et dividitur in partes tres. In prima promittit futura remedia, ad ostendendam dilectionem; in secunda commemorat praeterita beneficia, ad confirmandam promissionem; haec dicit Dominus: qui dedit etc., in tertia excludit merita, ad tollendam praesumptionem, non me invocasti etc.. Circa primum tria facit. Primo ostendit ad eos divinae dilectionis privilegium; secundo ex promissis remediis excludit divinae potestatis consortium, omnes gentes congregatae sunt etc., in tertia ponit dilectionis signum, haec dicit Dominus redemptor etc., circa primum promittit eis tria remedia. Primo in poenis sustentationem, excludens timorem ex divina praesentia: creans te, quantum ad substantiae principia: Deut. 32: ipse est pater tuus etc., formans, quantum ad formam quam dedit. Gen. 1: formavit Dominus etc., redimens a malis. Oseae 13: de manu mortis etc., et vocavi, ad gratiam. Oseae 1: vocabo non plebem meam etc.; ponit promissionem: cum transieris per aquas, Aegyptios, flumina chaldaei; igne, Graeci; flamma Romani.

Non enim ex toto sunt consumpti. Ps. 65: transivimus per ignem etc.; et assignat hujus rationem: quia ego Dominus etc., supra 12: nam et ipse Deus salvator etc.. Secundo promittit poenarum commutationem ut scilicet alios loco ipsius puniat. Et ponit commutationem. Dedi propitiationem, id est ut propitier tibi, quasi poenis eorum qui te ad peccandum sui auxilii spe provocabant. Saba, civitas Aethiopiae. Prov. 11: justus de angustia etc.; et assignat rationem, scilicet ipsam Dei dilectionem: ex quo honorabilis, id est feci et reputavi te honorabilem.

Pro te, pro liberatione tua. Jer. 31: si filius honorabilis mihi etc.. Tertio promittit eis a tribulationibus omnimodam liberationem: et circa hoc tria. Primo promittit liberationis beneficium, noli timere ab oriente: quia undique dispersi erant. Supra 11: congregabit profugos etc., Ier. 31: ecce ego adducam eos etc.. Secundo ponit liberationis meritum: et omnem qui invocat adducam, in gloriam meam, ut glorificet me, et in ipso gloriosus appaream. Joel 2: omnis quicumque invocaverit etc.. Tertio promulgat liberationis praeceptum. Educ, o Cyre, foras, extra terram captivitatis, populum, scilicet Judaeorum.

Jer. 5: audi popule stulte etc..

Omnes gentes.

Hic excludit divinitatis consortium.

Et primo ostendit aliorum deorum falsitatem per modum iudicii, ponens gentium ad idola consensum: congregatae sunt, in unum errorem. Ps. 13: omnes declinaverunt etc., petens divinitatis signum. Quis ex vobis; id est, quis deorum vestrorum? vel loquitur ad idola, et petit testimonium. Dent testes, et justificentur: id est juste dicantur dii; et testes audiant, ab eis futura, et dicant, pro vobis testimonium. Supra 41: non est annuntians neque praedicans etc.. Secundo ostendit suae divinitatis veritatem: et primo quantum ad scientiam; secundo quantum ad potentiam, vos testes etc.. Circa primum duo. Primo dat testimonium: assignans homines in testimonium: vere

vos testes etc.; servus, populus Jacob, vel Christus. Act. 1: eritis mihi testes etc.: ponens cognoscendi modum, ut sciatis, quantum ad ea quae per naturales rationes de Deo sciri possunt, et credatis, quantum ad ea quae supra rationem sunt et sic, intelligatis: quia nisi credideritis, non intelligetis, Sup. 8, secundum aliam litteram. Ponens etiam testium dictum, quod ipse sit solus Deus: quia ego solus, sum, Deus.

Formator, vel (formatus), scilicet idolum, Deut. 32: videte quod ego sim solus etc., et quod sit solus Dominus, ego sum, singulariter, ego sum, excellenter, etc., Act. 4: salus non est in aliquo alio etc.. Secundo dat divinitatis signum. Ego annuntiavi etc., non fuit, a quo scire possetis. Ps. 80: Israel, si me audieris etc..

Vos testes etc..

Hic ostendit veritatem divinitatis quantum ad potentiam: et primo dat testimonium, vos testes etc., joan. 8: ego principium etc.. Secundo dat potentiae signum in puniendo: et non est qui de manu, ut Deut. 32, iob 10; et in operando operabor etc., supra 14: Dominus exercituum decrevit etc.; haec dicit Dominus etc.. Hic ponit dilectionis signum: quia pro eis Babylonios in navibus gloriantes, propter multitudinem aquarum, destruxit. Emisi, scilicet iram, Ier. 51: cogitavit Dominus et fecit etc.. Haec dicit Dominus qui dedit etc.. Hic commemorat praeterita beneficia, ad confirmandam spem de futuris.

Et circa hoc duo facit. Primo commemorat praeterita beneficia quando egressi sunt de Aegypto, in eorum gubernatione. In mari, rubro, Exod. 14: in aquis torrentibus, in Arnon, numer. 21: in jordane, Josue 3. Et quantum ad hostium destructionem, qui eduxit quadrigam, currus Pharaonis etc., Exod. 15: electi principes ejus etc.; quasi linum, in momento succisum. Secundo promittit futura multo majora: et circa hoc tria facit. Primo ostendit futurorum beneficiorum magnitudinem ex priorum comparatione: ne memineris; quasi: non sunt digna ut in memoria habeantur comparatione futurorum Phil. 3: ea quidem quae retro sunt obliviscens etc., ex eorum novitate: ecce facio nova, inaudita. Apoc. 21: ecce nova facio omnia. Et ex eorum determinatione: ponam in deserto, idest in terra Judaeorum, quae prius deserta, viam, euntium ad festivitates: flumina, consolationis. Psalm. 106: posuit desertum in stagna etc.. Et si exponantur haec ad litteram de liberatione de captivitate Babilonis, dicuntur majora quam liberatio de Aegypto; non propter majora miracula; sed quia reges de quorum potestate liberavit, potentiores Pharaone fuerunt; vel quia de loco magis distante venerunt.

Si autem referantur ad liberationem factam per Christum, constat quod nihil ita admirabile praecesserat in saeculis praeteritis. Secundo ostendit beneficiorum utilitatem in gentibus: et glorificabit bestia agri, idest gentilis bestialiter vivens conversi ad Christum, vel videntes quomodo Judaeos libero. Psal. 148: bestiae et universa pecora etc.; et in Judaeis, ut darem potum, doctrinae et consolationis, Deut. 7: te elegit Dominus etc.. Tertio assignat rationem, populum istum mihi, in laudem meam. Proverb. 16: universa propter seipsum etc.. Non me invocasti. Hic excludit merita Judaeorum ad consequenda tanta beneficia: et circa hoc tria. Primo excludit meritum; secundo dat responsioni locum, reduc me etc., tertio removet quemdam respondendi modum, pater tuus etc.. Circa primum tria. Primo excludit meritum, non me invocasti, et haec omnia dicuntur quia non toto corde haec Deo offerebant, sed partim Deo, partim idolis; vel quia Deo nihil conferebant; vel quia spe temporalis retributionis faciebant, vel quia post adventum Christi accepta non fuerunt. Malach. 3: quis est in vobis qui claudat Ostia etc., Psal. 49: numquid manducabo etc.. Secundo ostendit ipsorum reatum, verumtamen servire; quasi: servilem me ostendistis, dum me offendentes non puniebam. Supra 1: facta sunt mihi molesta etc.; loquitur more humano. Tertio ostendit datum gratis beneficium, ego sum etc., psalm. 24: propter nomen tuum propitiaberis etc., Ez. 36: non propter vos ego faciam etc.. Reduc me etc.. Hic dat responsioni locum. Reduc; quasi: recogita quae tibi fecerim; narra si quid habes, ad te excusandum, vel me accusandum, ut justificeris, idest ut iudicaris justus.

Iob 33: si habes quid loquaris etc.. Pater tuus. Hic removet quamdam viam respondendi. Possent enim allegare patrum innocentiam; sed contra haec dicit. Pater, Adam, Gen. 3, Abraham petens signum de promissione Dei, quasi dubitans, genes. 15: interpretes, Moyses et Aaron ad aquas contradictionis, Num. 21: contaminavi, idest contaminari permisi, ad internecionem: quia omnes in deserto mortui sunt, excepto caleb et Josue. Psal. 105: peccavimus cum patribus nostris etc.. (collationes cap. 43)p Dominus liberat sanctos ab igne: carnalis temptationis, iob 31: ignis est usque ad consumptionem etc., temporalis tribulationis, Ps.: igne me examinasti, aeternae damnationis, Matth. 25: ite maledicti, divinae indignationis, Deut. 32: ignis succensus est etc..

In quo uruntur: lascivientes, 1 Cor. 7: melius est nubere etc., impatientes, supra 13: facies combustae etc., impaenitentes, Ps.: flamma combussit peccatores, superbientes, ibid.: montium fundamenta etc., liberat etiam ab aquis: voluptatis, Prov. 9: aquae furtivae etc., in quibus suffocantur per luxuriam; cupiditatis, Exod. 15: submersi sunt quasi plumbum etc., in quibus per avaritiam; adversitatis, Ps.: intraverunt aquae usque ad animam etc., in quibus per impatientiam; mundanae potestatis, Apoc. 17: aquae super quas sedet etc., in quibus per superbiam.

Reduc Deum in memoria quantum ad: mirabilia quae fecit ad venerandum, Ps.: mementote mirabilium eius etc., beneficia quae dedit ad regratiandum, Eccli. Ult.: memoratus sum misericordiae etc., tormenta quae sustinuit ad compatiendum, Thren. 3: recordare paupertatis etc., praecepta quae dedit ad observandum, Ps.: ut memores sint etc..

Et nunc audi Iacob etc.. Hic tertio confortat eos ex idolorum vilitate, ne forte crederent per ea posse divinas promissiones impediri. Et dividitur in duo. In prima excludit timorem; in secunda ostendit idolorum vilitatem, ibi, haec dicit Dominus rex etc.. Circa primum tria. Primo excitat attentionem: audi Iacob quem elegi, reprobato esau. Mal. 1: Iacob dilexi etc.. Secundo excludit timorem: haec dicit Dominus etc., formans te.

Infra 49: haec dicit Dominus, formans me etc., rectissime, quod sonat hoc nomen Israel, quantum ad veram significationem; sed quasi per etimologiam dicitur vir videns Deum.

Is vir, rac videns, hel Deum. Tertio ponit promissionem, ibi effundam enim etc.. Et primo promittit divinum beneficium quantum ad temporalia: effundam aquas, idest consolationes. Ezech. 36: effundam super vos aquam etc.; quantum ad spiritualia, effundam spiritum etc., benedictionem, quantum ad donorum multiplicationem. Joel. 2: effundam de spiritu meo etc.. Secundo ponit beneficii fructum quantum ad bona temporalia, et germinabunt, scilicet multiplicabuntur ex abundantia prosperitatis, sicut arbor ad multitudinem aquae. Supra 35: germinans germinabit etc., Ps. 1: erit tamquam lignum etc.. Ponit etiam effectum donorum spiritualium. Iste dicit, quia quilibet se Deo subjectum confitebitur: scribet, cantica, Domino, idest ad honorem Domini. Vel Domini scilicet, ego sum portans Scripturam, quod pertineat ad cultum Dei. Assimilabitur, alienigena in colendo Deum; vel erit strenuus sicut Iacob. Jer. 3: patrem vocabis etc..

Haec dicit Dominus etc.. Hic ostendit idolorum vilitatem: et circa hoc tria facit. Primo ostendit idolorum defectum; secundo ex hoc revocat eos ad suum cultum, memento horum etc.; tertio promittit colentibus se liberationis beneficium, haec dicit Dominus redemptor etc.. Circa primum duo.

Primo arguit contra idola ex divina operatione; secundo ex idolorum formatione, ibi, quis formavit etc.. Circa primum duo. Primo proponit suae divinitatis singularitatem, ego primus etc., Apoc. 1: ego sum alpha etc.. Secundo adhibet probationem, quis similis etc.. Et circa hoc tria facit. Primo proponit divinum actum in annuntiando futura, et ordinem praeteritorum: vocet, praedestinando etc.. Eccl. 23: Domino Deo antequam crearentur etc.. Secundo assignat suae divinitatis signum testibus confirmatum, nolite timere; quasi: ne sollicitemini pro me, quasi deficiam in probatione meae divinitatis, infra 48: audita feci tibi nova etc.. Tertio concludit idolorum defectum, numquid est etc., et primo proponit quaestionem, absque me, deuter. 32: videte quod ego sum solus etc.; secundo ostendit testium inidoneitatem: plastae idoli, idest factores eorum, nihil sunt, nullius potentiae supra 40: omnes gentes quasi non sint etc., vel quia intentionem suam non consequuntur, volentes suis manibus Deum fingere; sicut etiam idolum nihil est. 1 Cor. 8, iob 18: habitent in tabernaculo etc., amantissima, idola, quae sunt vel magis veneranda, vel ex pretiosiori materia.

Tertio ostendit testimonii falsitatem: ipsi testes, qui non vident, scilicet idolorum, dicentes ea esse deos. Prov. 19: testis falsus etc..

Quis formavit etc.. Hic ostendit quod non sunt dii ex eorum formatione: et circa hoc duo facit. Primo proponit formationem ad excludendam divinitatem; secundo formationis modum ad ostendendum vilitatem, faber ferrarius etc.. Circa primum duo. Primo proponit formationem, intendens hanc rationem. Quod factum est ab homine, non est Deus, etc.. Quis? quasi dicat, nullus; ad nihil, aliud, utile. Baruch ult.: ipsi qui ea faciunt etc.. Secundo praedicat operantium confusionem: ecce omnes participes idolorum cultus, cum venient ad iudicium, stabunt, quasi iudicandi. Ex hominibus, idest de numero hominum. Psal. 96: confundantur omnes qui adorant etc.. Faber ferrarius etc.. Hic ostendit eorum vilitatem, ut non solum non sint dii, sed quaedam vilia: et primo proponit modum quantum ad idola quae fiebant de metallis, in brachio fortitudinis, idest fortes ictus percutiens. Esuriet et deficiet; quasi diceret: Deus quem facit non potest sibi succurrere, qui tamen factori suo maxime tenetur. Supra 41: confortavit faber etc.. Secundo quantum ad ea quae fiebant de lignis.

Artifex lignarius. Et primo ostendit idoli vilitatem, ponens causam efficientem cum instrumentis suis: normam, regulam ad rectificanda ligna, runcina, instrumentum recurvum ex latere ad cavandum ligna in angularibus, idest in figura quadrangula: vel est instrumentum ad huiusmodi figuras faciendas: circino, idest torno. Quantum ad causam formalem, et fecit imaginem etc.; quantum ad materialem, succidit cedros etc., qua etiam ad viles usus utitur. Jerem. 10: lignum de saltu praecidit etc.. Secundo ostendit artificis caecitatem, nescierunt. Pars ejus, ligni de quo factum est idolum, iam est cinis, quia combustum. Forte forsitan in dextera mea, idest in operatione. Sap. 13: non erubescit loqui etc..

Memento horum etc.. Hic revocat eos ad suum cultum: et primo assignat rationem, proponens servitutis debitum: memento horum, idest recogita vilitatem idolorum, servus etc., jer. 51: non sicut haec, pars Jacob etc.; et quantum ad praestitum beneficium, vel promissum: delevi, vel (delebo), ut nubem, idest facile.

Sap. 2: transiet vita nostra etc.. Secundo ponit revocationem, revertere etc., jer. 3: revertere ad me etc.. Tertio pro reversione invitat totam creaturam ad gratiarum actionem: jubilate extrema etc., Psal. 68: laudent illum caeli et terra, mare etc.. Haec dicit Dominus. Hic revertentibus ad se, promittit liberationis beneficium: et circa hoc duo facit. Primo ostendit liberantis potestatem per beneficia quae eis contulit: redemptor, a malis, et formator, in bonis. Infra 49: haec dicit Dominus formans me etc.; quantum ad creaturas, quas fecit, ego sum Dominus etc., jerem. 10: facit terram in fortitudine etc.; quantum ad sapientes, quos infatuavit; quorum quidam profitebantur se scire divina, irrita faciens. Jer. 50: gladius ad divinos etc., quidam de rebus mundanis, convertens sapientes etc., 1 Cor. 1: nonne stultam fecit Deus etc.; etiam quantum ad promissorum impletionem.

Suscitans, implens: servi, prophetae vel Moysi vel Christi. Eccli. 36: suscita praedicatores etc.. Secundo promittit liberationem, primo quantum ad urbium reaedificationem: qui dico jerusalem, etc., Psal. 68: aedificabuntur civitates etc.; secundo quantum ad hostium destructionem: qui dico profundo, idest mari, scilicet Babylo. Unde supra 21: onus deserti maris.

Supra 19: arescet aqua de mari etc..

Tertio quantum ad liberantis exaltationem: qui dico Cyro: pastor, pascens oves meas. Ezech. 34: et pascet eas et erit eis etc.; quarto quantum ad templi reintegrationem: qui dico jerusalem etc., fundaberis: quia ejus tempore sola fundamenta jacta sunt. Ier. 30: aedificabitur iterum jerusalem etc.. (collationes cap. 44)p datur spiritus: incipientibus in principium vivificationis, Ez. 37: ingressus est in ea etc., in lavacrum renovationis, Tit. 3: per lavacrum renovationis etc., in privilegium adoptionis, Rom. 8: accepistis spiritum etc., proficientibus ad instruendum intellectum, ioh. 14: Paraclitus spiritus sanctus etc., ad reficiendum affectum, Eccli. 24: spiritus meus super mel etc., ad adiuvandum actum, Rom. 8: spiritus adiuvat infirmitatem etc., perfectis quasi beneficium libertatis, II Cor. 3: ubi spiritus Domini etc., quasi vinculum unitatis, Eph. 4: solliciti servare etc., quasi pignus haereditatis, Eph. 1: signati estis etc..

Sancti sunt: electi per praedestinationem, Eph. 1: elegit nos etc., formati per gratiae infusionem, Gen. 1: formavit Dominus etc., recti per dilectionem, Cant. 1: recti diligunt etc., servi per debitum operationis, Luc. 16: servi inutiles etc..

|+45 Capitulus 45

Haec dicit Dominus Christo meo etc.. Postquam confortavit eos ad firmam expectationem divinatorum promissorum, in parte ista incipit prosequi divinas promissiones, ad eorum consolationem: et dividitur in duas. In prima promittit liberationem a malis; in secunda promittit salvationem in bonis. 56 cap.: haec dicit Dominus: custodite iudicium etc.. Prima in duas. In prima promittit eis liberationis beneficium; in secunda excludit omne liberationis impedimentum, cap. 50: haec dicit Dominus: quis est hic libellus etc.. Prima dividitur in tres. In prima praesignat eis liberatorem; in secunda praedicat captivantium et detinentium destructionem, cap. 46, contractus est bel etc.; in tertia promittit Judaeorum liberationem, cap. 48: audite hoc domus etc.. Prima in duas. In prima praenuntiat liberatorem; in secunda ostendit consequentem utilitatem, haec dicit Dominus sanctus Israel etc.. Prima in tres. In prima praedicat liberatoris potestatem; in secunda describit ipsius nativitatem, rorate caeli etc.; in tertia refellit incredulorum contradictionem, ibi, vae qui contradicit etc.. Circa primum duo. Primo ponit potentiae fastigium ad quod exaltatus fuit, contra tria quae solent evadere manus regis: vel propter multitudinem; et quantum ad hoc dicit, Christo, idest regi, non propter unctionem, sed propter regiam dignitatem: quia apud eos reges inungebantur. Apprehendi dexteram, quasi auxiliator operum ipsius, gentes, diversas etc., deuter. 28: dabit Dominus inimicos etc.. Vel propter fortitudinem; et quantum ad hoc dicit: ego ante te ibo, parans victoriae tuae locum, immittendo terrorem tuum in adversariis: gloriosos, potentes supra alios, sicut Babyloios: portas aereas, potentissimas civitates. Psal. 106: qui contrivit portas aereas etc.. Vel propter absconsionem; et quantum ad hoc dicit: et dabo tibi thesauros, diversorum regum, quorum civitates cepit. Job 12: revelat profunda de tenebris etc.. Secundo ponit huius beneficii fructum: et primo in ipso: secundo in aliis, ut sciant hi qui ab ortu etc.. Circa primum duo. Primo ponit potestatis fructum a Deo requisitum in Cyro, scilicet suae cognitionis: ut scias quia ego etc., Rom. 4: qui vocat ea quae non sunt etc.; et populi liberationis, propter servum meum etc., ut scilicet liberes eum de captivitate, esther 3: quis novit an idcirco ad regnum etc.. Secundo ostendit istud beneficium ex parte ipsius Cyri, ex parte esse frustratum: et vocavi, praedicando nomen tuum: assimilavi, in hoc aliis sanctis meis, quorum nomina prius a Domino praedicta sunt: non cognovisti me, esse tantum Deum verum, permanens in idolatria. Accinxi, fortitudine etc., Prov. 1: vocavi et renuistis etc.. Ut sciant.

Hic ostendit fructum in aliis: et primo ostendit quod in aliis quaerit suae cognitionis fructum. Qui ab ortu, idest habitantes per totum mundum. Quod completum fuit in hoc quod Cyrus epistolis suis laudem Dei scripsit ubique; vel quia omnes Deum collaudaverunt videntes Judaeorum liberationem. Psal. 82: sciant quoniam nomen tibi etc.. Secundo proponit suae divinitatis argumentum, quo cognosci potest in hoc quod potest affligere et liberare, ego Dominus etc.. Lucem, diem vel consolationem: malum, poenae.

Amos 3: si est malum in civitate etc., Eccli. 42: omnia fecit Deus duplicia, etc.. Rorate.

Hic describit nativitatem Cyri sub metaphora fructus arboris, ad cuius generationem requiritur humor terrae et pluvia et ros de caelo; ita in nativitate Cyri concurret divina misericordia, intendens populum suum per eum liberare; et inferior natura, quae significatur.

Unde tria facit. Describit ortum, rorate: nativitatis fructum, et justitia oriatur: et primum nativitatis principium, ego Dominus etc.. Pluant justum, neutraliter vel masculine: vel per caelum et nubes, prophetae et alii justi qui ipsum praenuntiando, et lacrymis a Deo poscendo, quodam modo ipsum pluerunt. Psal. 71: descendet sicut pluvia etc..

Vae qui contradicit. Hic excludit infidelium contradictionem: et primo sub metaphora artificis lutum fingentis: quia sicut lutum non contradicit figulo, ita nec Judaei deberent Deo contradicere, non credentes aliquem posse consurgere qui Babyloios superaret.

De Samiis, vasis fictilibus, quia hujusmodi ars in samos civitate inventa est, absque manibus, quasi absque recta operatione manus, vel sicut lagenae manus habent. Supra 29: quasi si lutum contra figulum etc., Rom. 9: numquid dicet figmentum etc..

Secundo sub metaphora patris generantis, vae qui dicit, quasi: ego sum pater procreans Cyrum, et sicut mater concipiens ipsum in proposito; et ideo non debetis in hoc mihi contradicere, sicut nec matri generanti.

Infra 66: numquid ego qui alios parere etc.; vel loquitur contra illos divinos qui ex ortu Cyri multa pronuntiabant mala futura, dicentes melius esset si non nasceretur. Vel contra illos de Judaeis qui dicebant: ad quid generamus filios, ut in captivitate nascantur? haec dicit Dominus etc.. Hic ponit liberatoris utilitatem: et primo quantum ad liberationem Judaeorum; secundo quantum ad conversionem gentium, quia haec dicit Dominus etc.. Circa primum tria.

Primo ostendit suam ad praedicendum futura auctoritatem: eius, scilicet Cyri, plastes, factor, super filios, Judaeos, liberandos, vel alios quoscumque volo nascituros, et non idola. Supra 8: numquid non populus etc.; sed Glossa legit ironice. Secundo praedicat liberationem, ostendens suam potestatem, qui promittit, ego feci. Militiae eorum, scilicet caelorum, mandavi, praefigendo cuilibet suum officium et naturam. Supra 40: qui educit in numero militiam eorum etc.; et exequentis directionem: ego suscitavi, ad dignitatem, eum, Cyrum, (praeteritum pro futuro) ad justitiam, faciendam de chaldaeis. Proverb. 3: in omnibus viis tuis cogita etc.; et promittit liberationem: ipse, scilicet Cyrus, aedificabit, promittens, et dans expensas ad aedificium. Infra 52: gratis venumdati estis etc.. Tertio ibi haec dicit Dominus etc., promittit liberatorum exaltationem quantum ad tria. Primo quantum ad alienorum adhaesionem, ponens adhaesionem: labor Aegypti, divitiae ipsorum, et ipsi quantum ad multos qui eos secuti fuerunt, Zach. 8: apprehendent decem homines etc., vel loquitur de his qui Christo adhaeserunt, labor, in idolis cessabit. Negotatio, terrena.

Et adhaerentium subjectionem: post te ambulabunt, tibi subjecti, vincti manicis, idest vinculis manuum, quasi ita humiliati coram te sicut hi qui taliter ligati sunt, vel vinculis praeceptorum Christi.

Infra 40: venient curvi ad te etc.; et ponens etiam veritatis confessionem, tantum in te, scilicet haec dicentes. Absconditus, non visibilis sicut dii nostri; salvator, non imbecillis. Psalm. 17: posuit tenebras latibulum suum etc.. Secundo ostendit eorum exaltationem quantum ad hostium confusionem, confusi sunt etc., michaeae ultim.: videbunt gentes etc.. Tertio quantum ad Judaeorum perpetuam salutem: Israel salvatus usque in saeculum. Nisi peccaverit, vel de spirituali Israel.

Soph. 3: rex Israel Dominus etc.; quia haec dicit Dominus.

Hic ponit aliam utilitatem quantum ad conversionem gentium: et circa hoc tria facit. Primo inducit quinque rationes inducentes ad conversionem; quarum prima sumitur ex rerum creatione, ipse Deus formans etc., psalm. 145: qui fecit caelum et terram etc.; secunda ex hominum dilectione, quia dedit eis terram in habitaculum non in vanum etc., (psalm. 113): caelum caeli Domino etc.; tertia ex veritatis praedicatae manifestatione, non in abscondito, quasi ea quae naturalis ratio dictat facienda; vel de praedicatione fidei christianae. Joan. 18: ego palam locutus etc.; quarta ex praeceptorum utilitate, non dixi semini etc., psalm. 18: in custodiendis illis etc.; quinta ex praeceptorum aequitate, ego Dominus etc., infra 63: ego qui loquor justitiam etc.. Secundo ibi congregamini, injungit Judaeis gentium vocationem, commemorans eorum salutem: congregamini, quasi ad audiendum praeceptum meum, qui salvati, liberati ex captivitate gentium. Infra ult.: mittam ex eis qui salvati etc.; ponens etiam vocandi necessitatem, errorem, scilicet gentium, nescierunt qui levant, baruch ultim.: videbitis in Babylonia deos etc.; injungens suae laudis Annuntiationem, annuntiate; in quo injungit officium, consiliamini, qualiter debeatis alios convertere.

Psalm. 95: annuntiate inter gentes etc., quis auditum, in quo docet eos suae divinitatis argumentum, ad alios convertendum, scilicet ex praecognitione futurorum: et ponit rationem, et conclusionem ibi numquid non, ergo etc., Eccl. 42: annuntians quae praeterierunt etc.. Tertio invitat gentes ad conversionem: et primo ponitur invitatio, convertimini etc., Zach. 1: convertimini ad me etc.. Secundo praedicat conversionem eorum, ponens signum adorationis, in memetipso: quia non habeo majorem per quem jurem. Hebr. 6: non revertetur, sine effectu. Infra 55: sic erit verbum etc.. Curvabitur, a christianis, qui est modus adorandi redemptorem, secundum Damascenum, Phil. 2: in nomine Jesu etc.; ponens etiam signum jurationis, et jurabit: quia unusquisque jurat in Deo suo. Psalm. 62: laudabuntur omnes qui jurant etc.; ponens etiam signum verae confessionis: ergo in Domino, idest in persona Domini, meae, scilicet Dei: Apoc. 1: ipsi gloria et imperium, vel meae, scilicet ecclesiae, justitiae, legis Judaeorum figurae. Tertio praedicat incredulorum confusionem: ad eum venient, quasi judicandi, qui non venient quasi credentes, in die iudicii. Quarto credentium salutem: in Domino justificabitur omne semen, non solum secundum carnem, sed secundum fidem. Ps. 108: qui insurgunt in me confundantur etc.. Mystice, rorate, de Christi nativitate. In quo tria; nativitatis principium, nascentis ortum, et nativitatis fructum. Principium triplex. Primum caelum rorans, quasi principium effectivum, scilicet operatio trium personarum, propter quod pluraliter caeli. Pater filium mittendo.

Gal. 4: quando venit plenitudo etc., filius carnem assumendo. Phil. 2: humiliavit semetipsum etc., spiritus sanctus conceptionem faciendo.

Matth. 1: quod enim in ea natum est etc.. Secundum principium est nubes pluens, quod est principium praeparativum; in quo accipitur annuntiantis Angeli officium.

Job 37: nubes spargunt etc., Luc. 1 prophetarum vaticinium. Ps. 17: tenebrosa aqua etc., Rom. 1: ante promiserat per prophetas etc., justorum desiderium.

Psalm. 103: ponis nubem ascensum, Malach. 3: statim veniet etc.. Tertium principium est terra germinans, quod est susceptivum, scilicet beata virgo; de quo in Psal. 84: terra nostra dabit etc.; cujus aperiatur affectus ad inveniendum gratiae privilegium.

Luc. 1: ne timeas maria etc., Prov. Ult.: multae filiae congregaverunt etc., intellectus, ad credendum Angeli verbum. Luc. 1: beata quae credidisti etc., uterus, ad concipiendum Dei filium. Ecce concipies in utero etc., Luc. 1: sed ortus comparatur rori, pluviae, et germini. Quia Christus est ros ad refrigerandum. Supra 18: sicut nubes roris etc., pluvia ad fecundandum.

Psalm. 71: descendet sicut pluvia etc., infra 55: quomodo imber et nix etc., germen ad fructificandum. Jer. 23: suscitabo David etc.. Fructus est justitia, quae cum illo oritur triplex: quam opere implevit: Matth. 3: sic decet nos etc., quam sermone docuit: infra 63: ego qui loquor etc., quam in munere dedit. 1 Cor. 1: factus est nobis sapientia et sanctificatio et justitia etc..

|+46 Capitulus 46

Confractus est bel etc.. Hic praedicit destructionem hostium eos captivantium, scilicet Babyloniorum, quantum ad duo in quibus gloriabantur. Primo quantum ad idolorum destructionem; secundo quantum ad regni cessationem, infra 47: descende, sede in pulvere.

Prima in duas. In prima praedicit idolorum Babylonis destructionem quantum ad confractionem statuarum confractus est. Ezech. 6: demoliar aras vestras, et quantum ad asportationem metallorum: quia Persae frusta auri et argenti secum detulerunt. Ponens ex parte asportantium, lassitudinis incommodum, bestiis et jumentis, scilicet equis et camelis, in quibus metalla gravia deferebant.

Ier. 10: portata tollentur, vel cultoribus vestris, qui sunt bestiae, imagines bestiarum adorantes. Jer. 16: servietis ibi diis alienis etc.; ponens subventionis defectum ex parte idolorum, contabuerunt, idest defecerunt, scilicet idola. Portantem, scilicet bestiam, vel colentem hominem se. Sap. 14: quod factum est cum illo etc.; ponens etiam captivitatis opprobrium, nomina eorum, scilicet idolorum, metaphorice, idest numen eorum; vel gentilium, quia idola sicut animam suam amabant. Oseae 10: siquidem et ipse in Assur etc.. Secundo revocat Judaeos ad suam venerationem, relictis idolis, audite me: et primo revocat eos ad suum cultum; secundo revertentibus promittit liberationis beneficium, annuntians ab exordio etc.. Circa primum tria.

Primo ostendit eis suam dilectionem ex affectuosa supportatione. A meo utero; idest, ita supportavi vos in mea misericordia affectuose, in deserto, et in aliis locis in quibus contra me peccastis, sicut mater filium. Prov. 31: quid dilecte mi etc., job 38: de cujus utero etc., Hebr. 1: portans omnia verbo etc.; ex supportationis continuitate, usque ad senectam, vestram, idest usque in finem mundi. Psal. 70: usque ad senectam et senium etc.; ex supportationis ratione, ego feci etc., dignum est ut qui fecit conservet. Deut. 32: expandit alas suas etc.. Secundo ostendit idolorum vilitatem, ostendens operantium idola fatuitatem; et quantum ad intentionem, quia volunt aliquid aequale Deo facere, cui assimilastis, supra 40: idem; et quantum ad operationem, quia conducebant artifices ad faciendum Deum ex auro; quod sicut avari in sacculis reposuerant, qui confertis etc., jerem. 10: opus manus artificis etc.; ostendens etiam operum, scilicet idolorum ipsorum, imbecillitatem, quia per se nec moveri nec stare possunt: portant illum etc.. Baruch ult.: videbitis in Babylonia deos etc.; ostendens etiam eorum inutilitatem: sed et cum clamaverint etc., sapien. 13: pro vita quidem mortuum deprecatur etc.. Tertio concludit revocationem: mementote istud praedictum de dilectione mea et vilitate idolorum, prioris saeculi, in quo multa vobis beneficia contuli. Psalm. 76: cogitavi dies antiquos etc..

Annuntians ab exordio etc.. Hic promittit conversis ad ipsum liberationem a captivitate. Et circa hoc duo facit. Primo promittit liberationem, ponens praenuntiandi potestatem, annuntians novissimum, quodcumque futurum in novissimis temporibus.

Eccl. 42: annuntians quae praeterierunt etc.; ponit etiam praenuntiationis firmitatem, dicens, stabit, implebitur, voluntas, beneplaciti. Eccl. 21: consilium ejus sicut fons vitae etc., Psal. 113: omnia quaecumque voluit etc.; et ponit liberationis ordinem. Vocans ab oriente, avem, Cyrum, propter velocitatem victoriae, vel Christum.

Supra 41: quis suscitavit ab oriente etc.. Secundo ibi, audite me, promittit liberationis propinquitatem, ponens primo eorum indignitatem, ne suis meritis ascribant: duri corde, ad bene operandum, longe, per multitudinem peccatorum.

Eccl. 3: cor durum male etc.; secundo praedicit propinquitatem: prope feci, faciam (praeteritum pro futuro) justitiam, de Babyloniis pro vobis per Cyrum, vel justitiam Christi.

Infra 56: juxta est salus mea etc.; tertio ponit loci determinationem: dabo in sion etc., gloriam, beneficia, unde gloriosus apparebo: vel Christum, qui est gloria patris. Aggaei 2: magna erit gloria hujus domus etc.. (collationes cap. 46.

Peccatum fatigat: propter sollicitudinem in excogitando, Prov. 4: non enim dormiunt etc., propter laborem in exequendo, Sap. 5: lassati sumus in via etc., propter confusionem in recogitando, Rom. 5: quem ergo fructum etc., propter frustrationem in expectando, Prov. 11: expectatio iustorum etc..

Redite ad cor: quasi ad iudicii solium, ut te discutias, Ps.: meditatus sum nocte etc., quasi ad vitae principium, ut custodias, Prov. 4: omni custodia etc., quasi ad divinae locutionis auditorium, ut diligenter attendas, Os. 2: ducam eam in solitudinem etc., quasi ad divinorum eloquiorum thesaurum, Ps.: in corde meo abscondi etc., quasi ad divinae pacis et refectiois cenaculum, Ps.: loquetur pacem in plebem etc..

|+47 Capitulus 47

Descende sede etc..

Hic praedicat regni Babylonis deiectionem: et circa hoc tria facit. Primo comminatur deiectionis poenam; secundo ostendit culpam, iratus sum etc.; tertio aufert evasionis fiduciam, sta cum incantatoribus etc.. Circa primum tria. Primo praedicat eorum deiectionem quantum ad gloriam, quam amiserunt: descende, de altitudine tuae potentiae, sede, sicut vilis et abjecta, virgo, quia non ante vastata; vel propter teneritudinem deliciarum. Solium, dignitas regia, mollis etc., sicut reginae solent esse. Esther ult.: prae teneritudine corpus suum etc., quasi: non eris ulterius regina. Luc. 1: deposuit potentes etc., supra 23: Dominus cogitavit ut detraheret etc.. Secundo quantum ad ignominiam, quam incurrit: tolle molam, quod erat opus ancillarum, quasi: ancilla eris, vel significat coitum, sicut Iud. 16 de Samson: denuda turpitudinem, idest membra turpia, vel ad libidinem hostium, vel transiens pedibus tuis flumina. Osee 4: gloriam eorum in ignominiam etc.; et ostendit hujus ignominiae auctorem, ultionem capiam, quamvis sis potens. Redemptor, vox populi de ejus servitute liberati. Supra 35: Dominus ultionem adducet etc.. Tertio quantum ad confusionis verecundiam, sede, sicut ille qui erubescit non audet loqui, nec coram hominibus apparere. 1 Reg. 2: impii in tenebris conticescent etc..

Iratus sum etc.. Hic ponit eorum culpam, quae est causa talis poenae: et ponit tres culpas. Primo dominii crudelitatem circa Judaeos, ponens concessam potestatem: iratus sum, propter peccata eorum, valens eos punire: contaminavi, a te contaminari permisi, hereditatem, populum Israel. Supra 19: hereditas mea Israel. Jerem. 12: reliqui domum meam etc.; et ponit potestatis abusionem: non posuisti etc..

Super senem, qui etiam hostibus miserendus. Thren. 4: facies senum etc.. Secundo cordis elationes: et dixisti, ponens superbam cogitationem: in sempiternum, Apoc. 18: in corde suo dicit: sedeo regina etc.; ponens etiam superbiorum fatuitatem, quia non recogitabant futura: non posuisti haec, quae tibi supervenient. Eccl. 11: in die bonorum etc., 7: in omnibus operibus tuis etc.; et ponit spei frustrationem. Et nunc audi. Vidua, per privationem regis; sterilitatem, id est amissionem populi, qui in me natus est subito, ex insperato. Supra 30: subito dum non speratur etc., Osee 9: da eis Domine etc.. Tertio maleficiorum multitudinem, universa.

Et ponit tria. Primo maleficia quibus intendit, maleficiorum: quia hujusmodi artes ibi abundabant.

Deut. 18: non sit in te qui divinos consulat etc.. Secundo errorem quem ex his incurrit, scilicet poenae immunitatem ab his qui negabant divinam providentiam, et fiduciam, ut secure peccares. Non est, Deus, qui videat me, peccantem ut puniat. Job 24: oculus adulteri etc.; et potentiae aeternitatem a divinis, qui hoc promittebant. Sapientia tua, quantum ad eos qui de divinis se intromittebant; scientia tua, quantum ad illos qui de humanis. Jerem. 10: stultus factus est omnis homo etc.. Tertio ponit poenam quam ex hoc promeruit: veniet super te cuius ortum: loquitur more astrologorum, qui docent considerare ortus regnorum secundum ortus planetarum. 1 thessal. 5: cum enim dixerint, pax et securitas etc..

Sta cum incantatoribus etc.. Hic excludit evasionis fiduciam; et circa hoc duo.

Primo excludit spem de sapientibus, excludens eorum auxilium, quantum ad maleficos: sta cum incantatoribus, ab adolescentia, a quo condita fuit, artibus magicis plena fuit. Supra 8: cum dixerunt ad vos: quaerite etc.. Et quantum ad astrologos, stent, contra hostes, si possint: his enim artibus etiam abundabat. Jerem. 10: a signis caeli nolite etc.; et comminatur etiam sapientibus incendium: ecce facti sunt, illos sapientes vobiscum. Non sunt prunae, quibus calefiant; sed quibus tota civitas comburatur; vel quia tempore frigoris combusta fuit civitas, ut simul frigore et igne punirentur.

Vel non sunt in te prunae divinae sapientiae.

Eccli. 21: stupa collecta etc.. Secundo excludit spem de negotiatoribus, negotiatores, quibus etiam abundabat; vel magi, qui sibi mendacia pro veritate vendebant. Supra 13: unusquisque ad populum suum etc..

|+48 Capitulus 48

Audite hoc domus Iacob etc.. Hic promittit populi liberationem. Et dividitur in duas. In prima promittit liberationem; in secunda exequitur liberationis ordinem, infra 49: audite insulae etc.. Prima in duas. In prima excitat attentionem, commemorans tria in quibus gloriabantur; scilicet dignitatem generis, quia ex sanctis patribus: de aquis, idest semine.

Contra quod Matth. 3: ne velitis dicere etc.; privilegium divinae cognitionis: qui juratis, invocantes nomen ejus, recordamini, quantum ad cognitionem ipsius, in veritate, cordis, neque in justitia, operis. Supra 29: populus hic labiis me etc.; cultum sacrae religionis: de civitate, scilicet jerusalem, in qua cultus sacrificiorum, vocati, ierosolymitae, 2 machab. 5: non propter locum gentem etc.. Secundo promittit liberationem: priora ex tunc, et circa hoc tria facit. Primo ostendit Dei promittentis maiestatem; secundo Ciri exequentis prosperitatem: congregamini omnes vos etc.; tertio promittit liberationem: accedite ad me etc.. Circa primum duo. Primo ostendit Dei maiestatem ex praenuntiatione futurorum; secundo ex creatione rerum: audi me Iacob etc.. Circa

primum tria. Primo assignat praenuntiationis quorundam futurorum rationem, ponens ipsam praenuntiationem: priora, quae scilicet jam praeterierunt, ex tunc, quando adhuc erant futura, repente, quantum ad alios quibus non sunt praenuntiata. Eccli. 42: annuntians quae praeterierunt etc.; ponens etiam hujus rationem quae sumitur ex eorum conditione: quam primo ponit, scivi enim, ab aeterno. Durus ad resipiscendum a malis; cervix, idest cervicositas proprii sensus; nervus ferreus, qui non potest flecti, frons tua, propter inverecundiam. Act. 5: dura cervice etc., deuter. 31: ego scio contentionem etc., jerem. 3: frons meretricis etc.; et deinde ex hoc elicit rationem, praedixi etc., quasi: quia pronus eras ad idolatriam, praedixi tibi, ne beneficia mea idolis ascriberes. Oseae 2: vadam post amatores etc.; ponens etiam praenuntiatorum manifestationem, quae audisti, a me praedicta tibi, vide, impleta. Psalm. 47: sicut audivimus sic vidimus etc.. Secundo assignat rationem absconsionis quorundam futurorum, ponens primo ipsam absconsionem. Sicut dictum est, quaedam futura tibi praedixi; sed quaedam futura conservata sunt, in mea praescientia, quae nescis, quia non tibi revelavi. Nunc, idest in tempore, creata sunt, idest in effectu producta, et non ex tunc, quando praescivi ea; et ante diem, impletionis ipsorum, et non audisti, nec a me, nec ab idolis. 4 Reg. 4: Dominus celavit a me etc.. Assignat etiam hujus rationem, ne forte; quasi: ideo non revelavi ut sentires defectum tuum, et deorum tuorum, in hoc quod de futuris non potes praescire, nisi quae tibi revelo. Cognovi, propria industria, neque audisti, ab idolis, aperta a me. Psal. 63: accedet homo ad cor altum etc.. Ponit etiam eorum conditionem, ex qua dicta ratio elicitur, scio enim. Ex ventre, idest a tempore quando portabam te per desertum sicut in ventre. Exod. 32: cerno quod populus iste etc., supra 24: praevaricatione transgressorum etc.. Tertio excludit quamdam objectionem, propter nomen meum. Posset enim aliquis quaerere: ex quo tam duri sunt, quare ergo eis bona promittis, et fecisti? et hujus objectionis primo ponit responsionem, commemorans tria beneficia eis exhibita: propter nomen, non propter meritum tuum, longe faciam, vel feci, liberando a poenis. Ezech. 36: non propter vos faciam etc., et laude, idest obligavi te ad caeremonias et laudes meas, ne sacrificia idolis offerens interires. Psalm. 31: in camo et freno etc.. Ego excoxi, volens purgare per tribulationes, sed non quasi argentum, quod purgatur. Tu autem non correptus es. Jerem. 6: frustra conflavit etc.. Elegi, purgans scilicet te per paupertatem, puniens te spoliatione rerum. Gregorius: quos infirmitas morum vulnerat, medicina paupertatis sanat. Et hoc paterne corrigendo. Secundo ponit responsionis expositionem: propter me ut non blasphemem, quasi impotens salvare populum quem mihi elegi; et gloriam, ut scilicet idola me fortiora judicentur. Supra 42: gloriam meam etc.. Audi me.

Hic ostendit divinam majestatem ex creatione rerum. Vocabo, imponens unicuique proprium opus: stabunt, parati ad obediendum. Supra 40: quis appendit tribus digitis etc..

Congregamini etc.. Hic praedicat ipsius Ciri prosperitatem; et primo ostendit hujus facti aliis absconsionem, quis de eis? scilicet idolis; quasi: nullus. Supra 41: quis annuntiavit ab exordio etc.. Secundo ipse praedicat ipsius prosperitatem: Dominus dilexit eum, scilicet Cyrum, promovens ipsum in regnum, in Babylone, capiens ipsam, brachium, idest per virtutem suam interficiens eos. 1 Reg. 27: et quidem faciens etc.. Tertio assignat prosperitatis rationem ex divino auxilio: ego ego etc.; directa, non simpliciter, sed ad hoc quod Babylonem destrueret; alias non posset exponi de Cyro, sed tantum de Christo, ut dicit Hieronymus, quia ille idolatra fuit. Psalm. 106: deduxit eos in viam etc..

Accedite ad me etc.. Hic promittit liberationem: et circa hoc tria facit.

Primo excitat attentionem, ponens divinam auctoritatem: in abscondito, sed cunctus populus videbat voces: Exod. 20. A principio, legis datae.

Ex tempore, praeterito, antequam fierent, quae praedico, ibi eram, praesens illis futuris, per idem nunc aeternitatis manens in tota successione temporis. Vel in persona filii, ibi eram, scilicet in patre secundum divinitatem, Prov. 8: quando appendebat fundamenta etc.; ponens prophetae veritatem; qui a Deo missus, et nunc me.

Isaiam, vel me Christum hominem factum, Deus, pater, unde tres personae designantur. Infra 61: spiritus Domini super me etc.. Secundo, ibi, haec dicit Dominus, ponit captivitatis rationem, ostendens ex parte Dei paratum auxilium. Docens, contra ignorantiam, et gubernans in via, operum, contra infirmitatem operandi. Psal. 31: intellectum dabo tibi, et instruam etc.; ostendens etiam ex culpa Judaeorum damnum. Utinam attendisses, servans ea, sicut flumen abundans, sicut gurgites. Idem, Psal. 80: si populus meus audisset etc.. Tertio ibi, egredimini, praedicat liberationem: et circa hoc tria facit. Primo indicit eis a captivitate exitum, ita certus de liberatione ac si esset praesens. Egredimini etc., Apoc. 18: exite de illa etc.; et indicit quod annuntiet Dei beneficium. Annuntiate etc., jer. 50: vox fugientium, et eorum qui evaserunt etc.. Secundo designat liberatis consolationis praestitum beneficium, non sitierunt: idest, ita in omnibus Dominus eis providebit sicut quando egressi sunt de Aegypto. Psal. 77: percussit petram, et fluxerunt etc., Num. 21.

Tertio aufert impiis pacis solatium, non est pax, infra 57, 4 Reg. 9: quid tibi et paci etc.. (collationes cap. 48) paupertas confert: peccatorum recognitionem: si fuerint vincti etc., virtutum conservationem, Eccli. 10: pauper gloriatur etc., cordis quietem, Tob. 5: sufficebat nobis etc., desiderii impletionem, Ps.: desiderium pauperum etc., divinae dulcedinis participationem, Ps.: parasti in dulcedine etc., exaltationem, 1 Reg. 2: suscitans de pulvere etc., caelestem haereditatem, Matth. 5: beati pauperes etc..

Verba Dei utilia: ad intellectus illustrationem, Prov. 6: mandatum lucerna etc., ad affectus delectationem, Ps.: quam dulcia faucibus etc., ad amoris accensionem, Ier. 20: factum est in corde etc., Ps.: eloquium Domini, ad operis rectitudinem, Ps.: dirige me in veritate etc., ad gloriae adeptionem, Prov. 3: custodi legem, ad aliorum instructionem, 2 Tim. 3: omnis doctrina divinitus etc..

|+49 Capitulus 49

Audite insulae etc..

In parte ista exequitur magis in speciali liberationis ordinem: et circa hoc duo facit. Primo populus confitetur accepta beneficia; secundo accipit promissionem de futuris, ibi, ego dixi: in vacuum etc.. Circa primum quatuor beneficia confitentur.

Primo privilegium divinae electionis; et continuatur cur indixerat supra propheta populo, ut annuntiaret. Unde statim subjungitur vox populi annuntiantis, et dicentis, audite. Ab utero, eligens me in ipsis patribus. Ps. 21: de ventre matris meae Deus etc.. Secundo efficaciam orationis: et posuit os, orationem, quasi gladium, penetrantem usque ad aures Dei et viscera misericordiae ipsius, Eph. Ult.: gladium spiritus etc.. Tertio auxilium divinae protectionis: in umbra, idest sub protectione potentiae suae, sicut sagittam electam, sagittarius abscondit ad conservandum. Psal. 16: sub umbra alarum tuarum etc., Psal. 26: abscondit me in tabernaculo suo etc.. Quarto gloriam divinae virtutis: et dixit mihi: in te gloriabor; per magnalia in te ostensa gloriosus apparebo.

Supra 43: omnem qui invocat nomen meum etc.. Secundum alios haec est vox Cyri, cujus nomen praenuntiatum ab Isaia supra 45: antequam nasceretur, cujus verba comminatoria quasi gladius erant, et protectus est ne avus suus eum interficeret, et servatus quasi electa sagitta ad tempus statutum; cui annuntiatum est, populum Israel Dei servum esse. Aliter exponitur de Christo; cujus nomen ab Angelo praenuntiatum; verbum praedicationis, gladius penetrans corda; protectus pro infirmitate carnis a potentia divinitatis, et electus inter omnes ad salutem generis humani implendam.

Et dicitur Israel, quia ex populo Israel secundum carnem natus est. Ego dixi: hic Dominus promittit futura beneficia: et primo promittit prophetae Isaiae exaltationem; secundo populo liberationem, haec dicit Dominus redemptor etc.. Circa primum duo. Primo ponitur prophetae allegatio proponentis laborem suum in praedicando, quamvis ex culpa audientium non sit fructus secutus: et concludit: ergo iudicium meum, pro me, cum Domino, coram ipso, et opus meum, quasi gratum ipsi. Jer. 6: frustra conflavit conflator etc.. Secundo ponit Dei responsionem: et nunc haec dicit Dominus: et primo significatur allegationis acceptatio, ut reducam, quasi dicat: ad hoc me ex ventre matris eligens, ut revocem populum suum ad ipsum. Et tamen Israel non usquequaque congregabitur, ad ipsum per meam praedicationem. Et tamen glorificatus sum etc., Habac. 3: Deus Dominus fortitudo mea etc.. Secundo ponitur ipsa responsio, et dixit: parum est, quasi dicat: intantum ministerium tuum honorificabo ut non solum in Judaeis, sed in omnibus gentibus per te salus mea annuntietur. Roman. 3: an Judaeorum Deus tantum? etc.. Hoc etiam plane de Christo exponitur, qui sua praedicatione et mortis consumptione parvum fructum in Judaeis fecit, sed gentes illuminavit et salvavit. Similiter etiam de Cyro, licet magis extorte, qui per beneficia secundum intentionem Domini populum ad Dei cultum revocavit et tamen non profecit, cui a Deo datum est dominium super multas gentes.

Haec dicit Dominus redemptor etc.. Hic promittit liberationem: et circa hoc duo facit. Primo promittit liberationem: secundo excludit eorum dubitationem, et dixit sion etc.. Circa primum tria.

Primo liberationem praecedentia, scilicet Judaeorum veneratio, quae fuit causa liberationis; commemorans pristinam despectionem: contemptibilem, propter populi imbecillitatem, abominandam, propter cultus singularitatem, servum, propter subjectionem diversis gentibus supra 18: ad gentem divulsam etc.; et ponit ipsam venerationem: reges videbunt magnalia mea quae pro te ostendam, et adorabunt, sicut, ad litteram, Nabuchodonosor Dan. 2 et Cyrus, et alii principes ejus honoraverunt esdram. Aliud praeambulum est regis liberantis exaltatio, scilicet Cyri: in tempore placito, et non determinat exaltationis tempus: placito, quando placuerit mihi salvare populum meum, exaudivi, exaltans te in regnum, secundum desiderium tuum, et exaltationis fructum: et servavi etc., in foedus implendum populi mei.

Revelamini, idest illuminamini. Vel de Christo, qui fuit in passione contemptus, et quasi servus iudicatus. Infra 53: vidimus eum despectum etc., sed postmodum a regibus ad litteram adoratus.

Psal. 71: adorabunt eum omnes reges etc., in tempore placito, scilicet tempore gratiae. 2 corinth. 6: ecce nunc tempus etc.. Secundo ponit liberationem consequentia, promittens liberatis bonorum copiam: super vias pascentur; idest, ita abundanter consolationibus perfruentur sicut oves pascuis, quando etiam in via praeter solitum invenirentur.

Ezech. 34: requiescent in herbis etc., quantum ad malorum carentiam, et defectus, non esuriet etc., et nocenti illati, aestus, tribulationis; et sol, tyrannus faciens ipsam.

Psal. 120: per diem sol non uret etc.; et assignat utriusque causam. Quia miserator etc., aquarum, consolationum.

Psal. 22: Dominus regit me.

Tertio promittit ipsam liberationem, ponens viarum praeparationem: et ponam omnes montes; idest, principes auxiliabuntur vobis ad revertendum.

Supra 40: omnis vallis implebitur, etc.; ponens etiam captivorum reversionem: ecce isti de longe, ab oriente, mari, occidente. Jer. 31: adducam eos ab Aquilone etc.; ponit etiam gratiarum actionem: laudate caeli etc., psalm. 68: laudent illum caeli etc..

Et dixit sion etc.. Hic excludit eorum dubitationem: et primo illam quae oriebatur ex divina indignatione; secundo illam quae ex eorum dejectione, et dices in corde etc.; tertio illam quae ex hostium potestate, ibi, numquid tolletur etc.. Circa primum duo. Primo ponit dubitationem, dereliquit, sine auxilio; et ideo non possum sperare liberationem. Baruch 4: derelicta sum etc.; secundo excludit eam per similitudinem matris: numquid potest etc., Ier. 31: si filius honorabilis etc.; tertio adhibet promissionem de civitatis restauratione: et primo quantum ad reaedificationem murorum, ponens divinum propositum, ecce in manibus; quasi: ita teneo te in memoria sicut qui scribit, aut facit aliquod signum in manu sua, ut sit memor alicujus rei. Muri tui; quasi, jam video reaedificationem murorum tuorum.

Iob 37: in manibus abscondit etc., psalm. 89: mille anni ante oculos etc.; et expletionis modum: venerunt structores, idest reaedificatores, scilicet zorobabel, et Jesus, et alii, jam in oculis meis, dissipantes, chaldaei. Zach. 4: manus zorobabel etc.. Secundo quantum ad habitationem virorum: et circa hoc tria facit. Primo civium adunationem: leva in circuitu etc., baruch 4: circumspice, jerusalem etc.. Secundo civitatis rehabitationem, ostendens quod habitabitur. Vivo ego, modus juramenti, velut ornamento, sicut sponsa vestibis, sic urbs ornatur civibus. Infra 61: induit me vestimento salutis etc.; ostendens quod habitatoribus implebitur: quia deserta, quantum ad habitatores, solitudines, quantum ad cultores; ruinae, quantum ad muros destructos.

Zach. 2: absque muro habitabitur etc.; ostendit etiam quod hostibus vacuabitur: et longe etc.. Tertio praedicit habitatorum multitudinem: adhuc dicent filii sterilitatis, idest qui nati sunt quando te sterilem credebas, vacuata habitatoribus. Infra 54: dilata locum tentorii etc.. Et dices in corde etc.. Hic excludit secundam dubitationem: et primo ponit admirationem, et dices, prae admiratione: sterilis, quia non erant in me viri, qui filios generarent; destituta, divino auxilio. Infra 66: quis audivit unquam tale etc.. Secundo excludit dubitationem, ponens modum multitudinis habitatorum: haec dicit Dominus: quantum ad quatuor. Primo quantum ad divinam inspirationem: ecce levabo manum, quasi innuens, supra 11: levabit signum in nationibus etc.. Secundo quantum ad honorificam reductionem: et afferent in ulnis, in quo significatur auxilium quod a gentibus habuerunt. Reges nutritii, providentes tibi in necessariis. Baruch 5: adducet Dominus illos ad te etc.. Tertio quantum ad liberatorum exaltationem: vultu in terra, hoc praecipue tempore Machabaeorum, infra 40: venient ad te curvi etc.. Quarto assignat huius rationem: et scies quia ego etc., Psal. 70: in te Domine speravi, non confundar etc..

Numquid tolletur. Hic excludit tertiam dubitationem: et primo ponit ipsam, a forti, Nabuchodonosor; Matth. 12: aut quomodo potest quis intrare etc.. Secundo excludit eam: quia haec dicit, primo ponens liberationis beneficium, captivitas, scilicet Judaeorum. Job 29: conterebam molas iniqui etc.; secundo liberationis modum, ponens hostium destructionem. Eos vero, scilicet chaldaeos, judicaverunt, injuste. Soph. 3: ego interficiam etc.; et ponit poenae determinationem, et cibabo: vel propter dissensionem, sicut supra 9: unusquisque carnem brachii etc., vel propter mortuorum multitudinem, dum os unius cadebat super sanguinem alterius, ac si vellet bibere: vel propter famem. Tertio ponit liberationis fructum: et sciet omnis caro etc., supra 40: videbit omnis caro etc..

|+50 Capitulus 50

Haec dicit Dominus: quis est hic etc.. Hic incipit remove impedimenta liberationis: et primo removet impedimenta; secundo apponit remedia, cap. 53: quis credidit auditui etc.. Circa primum removet tria impedimenta. Primo defectum divinarum beneficiorum; secundo abjectionem personarum, cap. 51: audite me qui sequimini etc.; tertio inopiam rerum, cap. 52: consurge, consurge etc.. Circa primum tria. Primo excludit impedimentum; secundo ponit seipsum in exemplum: Dominus dedit mihi etc.; tertio concludit salubre consilium, quis ex vobis timens etc.. Circa primum duo. Primo excludit defectum divinarum beneficiorum ex parte divinae voluntatis, secundo ex parte divinae potestatis: numquid abbreviata etc.. Circa primum tria. Primo excludit divinae voluntatis defectum, quasi non vellet ex seipso Deus benefacere: excludens duplicem modum alienationis; scilicet modum alienandi uxorem, qui erat per libellum repudii, sicut dicitur Deut. 24: quod quidem eis permissum est ad duritiam cordis ipsorum, Matth. 19: quis est hic etc..

Sed contra. Jer. 3: pro eo quod moechata esset etc.. Et dicendum, quod Dominus, quantum est in se non repudiavit eos; sed ipsi per peccata sua Deum dimiserunt.

Excludit etiam modum alienandi possessionem: aut quis est creditor etc., quasi: vos qui estis mea hereditas. Supra 19: ei vendiderim, non habens aliud quid solvam, unde patet quod ex quo non alienavi vos a meo dominio, quod paratus sum benefacere quantum ex me est. Secundo ostendit humanae voluntatis peccatum: ecce enim in iniquitatibus, Rom. 7: ego enim homo carnalis sum, venumdatus sub peccato. Tertio ponit argumentum: quia veni, per inspirationem; vocavi, per prophetas. Prov. 1: vocavi, et renuistis.

Numquid abbreviata? hic excludit defectum ex parte divinae potestatis, excludens primo potestatis defectum, abbreviata, ut etiam longinquos non subjicere mihi possim: parvula, contra potestates. Infra 59: ecce non est abbreviata manus Domini. Secundo ponit divinae potentiae signum, ecce. Primo in aquis: in increpatione, idest jussione, faciam, si volo, sicut feci in exitu Israel de Aegypto: Exod. 14, ponam flumina, sicut Arnon, numer. 21,

et jordanem, Josue 4: computrescent, sicut Exod. 7, quando aquae versae sunt in sanguinem. Psalm. 105: increpuit mare rubrum et exsiccatum est.

Secundo ostendit signa potentiae suae in caelis: induam caelos, aereos, tenebris; sicut in Aegypto, Exod. 10. Psal. 146: qui operit caelum nubibus.

Dominus dedit. Hic ponit seipsum in exemplum: et primo quantum ad beneficii percepti gratiam; tum quantum ad eloquentiam: linguam eruditam, sustentare, confortationibus: job 4: vacillantes confirmaverunt; tum etiam quantum ad sapientiam, erigit, ad attendendum, mane, a principio praedicationis meae, vel a principio aetatis.

Vel quia tunc solitus erat orare. Psal. 62: in matutinis meditabor in te. Aperuit, ad intelligendum.

Psal. 84: audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Matth. 23: Magister vester unus est, Christus. Secundo ponit seipsum in exemplum quantum ad obedientiam, ponens perfectam oboedientiam: ego autem non contradico, sed recipio, et accepto ipsius inspirationem, retrorsum non abii, a bono proposito.

Supra 45: vae qui contradicit factori suo. Ponit etiam obediendi constantiam, quia obedientiam pro nullo periculo dimisit: corpus meum dedi; idest, exposui me ut talia paterer. Vel forte ad litteram haec passus est. Sed in Christo plene impletum, Matth. 26 et 27. Jer. 12: dedi dilectam animam meam in manus inimicorum. Tertio ponit seipsum in exemplum quantum ad fiduciam quam in Deo habebat, primo ponens paratam defensionem: Dominus Deus auxiliator, jer. 20: Dominus mecum est tamquam bellator fortis.

Secundo fiduciae securitatem: et posuit, ut timore vel rubore non moverer. Ezech. 3: ut adamantem et silicem dedi te. Tertio assignat securitatis rationem ex potestate adjuvantis: juxta est qui justificat, scilicet Deus. Quis contradicet? verbis.

Stemus simul. Job 17: pone me, Domine, juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Adversarius, factis. Condemnet, falsis judiciis. Rom. 8: Deus qui justificat, quis est qui condemnet? iterum ex infirmitate impugnantis: ecce omnes quasi vestimentum, vetustate, in quo naturalis defectus; tinea, in quo violentus. Job 13: qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea. Ac si diceret: ex omnibus his sicut ego post accepta beneficia Deo obedio, et in ipso confido, ita et vos.

Quis ex vobis? hic concludit ex exemplo suo salubre consilium: et primo ponit consilium; secundo ponit consilii contemptum, ecce omnes vos.

Consilium autem dat ut in Deo confidant: unde tria facit. Primo requirit confidentium idoneitatem, quae est ex timore et obedientia, servi, Isaiae, vel cujuscumque alterius. Psalm. 24: quis est homo qui timet Dominum? secundo ostendit confidentiae necessitatem: qui ambulavit in tenebris, erroris, vel adversitatis. Joan. 11: qui ambulat in nocte, offendit. Tertio ponit ipsum consilium: speret in nomine, supra 10: residuum Israel etc.. Ecce omnes. Hic ponit consilii contemptum, ponens tria. Primo culpam: accedentes, peccatis vestris, ignem, vobis merentes, accincti, quasi ligati in peccatis vestris: vel expediti ad peccatum. Supra 1: erit fortitudo vestra ut favilla stupae. Secundo ponit poenam, ambulate, quasi dicat, recipite poenam. Ps. 9: in laboribus manuum suarum comprehensus est peccator. Tertio ponit punientis potentiam, de manu, scilicet potentiae Dei. Dormietis, somno mortis.

Nota super illo verbo, in iniquitatibus venditi estis, quod homo pro peccato vendit multa. Primo animi virtutem. Thren. 1: dederunt pretiosa quaeque pro vili. Secundo caelestem hereditatem. 3 Reg. 21: propitius sit mihi Dominus, ne vendam hereditatem patrum meorum. Tertio animae libertatem. Eccl. 10: nihil est iniquius quam amare pecuniam. Quarto divini amoris honorem. Oseae 3: diligit Dominus.

Item super illo verbo, ego autem non contradico, nota quod Deo contradicunt primo infideles divinae veritati. Eccl. 4: ne contradicas verbo veritatis. Secundo impatientes divinae correptioni.

Job 9: quis contradicit ei (etc.); tertio impenitentes divinae bonitati.

Supra 41: et erunt quasi non sint: quarto inoboedientes divinae auctoritati, Oseae 4: populus tuus.

Item super illo verbo, in doloribus dormietis, quod peccatores dolent in morte. Primo propter corporalium amissionem. Job 27: dives cum dormierit, nihil secum afferet. Secundo propter conscientiae contradictionem. Sap. 5: poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes.

Tertio propter futurae gloriae desperationem. Thren.

Ult.: cecidit corona capitis nostri. Vae nobis, quia peccavimus. Quarto propter poenae timorem.

Psal. 47: ibi dolores ut parturientis etc..

|+51 Capitulus 51

Audite me qui sequimini.

Hic excludit secundum impedimentum liberationis quod posset credi ex ipsa oppressione et humiliatione Judaeorum. Et dividitur in tres. In prima excluditur impedimentum dejectionis ex eorum paucitate; in secunda ex opprimentium potestate, audite me; in tertia ex poenarum gravitate, ego sum. Circa primum tria. Primo excitat attentionem, ponens eorum idoneitatem: qui sequimini, bonis operibus, et quaeritis, recta intentione. Psalm. 33: divites egerunt et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Secundo excludit paucitatis timorem.

Tertio ponit promissionis firmitatem, levate in caelum. Circa secundum tria. Primo ponit exemplum: attendite ad petram, scilicet Abraham, propter ejus senectutem, excisi, quasi violenter, non secundum cursum naturae;

cavernam, scilicet Saram, cui desierant fieri muliebria. Gen. 18, Rom. 4: non consideravit corpus suum, cum esset iam emortuum. In quo ostenditur quod Deus potens est fecundare.

Quia unum vocavi. Gen. 12.

Ez. 33: unus erat etc.. Et concludit divinae consolationis beneficium, consolabitur, quantum ad reedificationem civitatum, omnes ruinas. Ezech. 14: consolamini super malo quod induxi in jerusalem in omnibus. Quantum ad culturam agrorum, et ponet desertum, idest terram vestram, quae prius erat deserta. Ier. 31: erit anima eorum; et quantum ad laetitiam hominum, gaudium. Supra 30: canticum erit vobis. Tertio (ponit) executionis modum. Attendite ad me. Et primo ponit divinam intentionem, lex, praeceptum Cyri de liberatione populi, iudicium, ex justitia Domini promulgatum, in lucem, consolationem.

Supra 9: habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis. Secundo ponit iudicii propinquitatem: prope est justus, scilicet Cyrus, vel Christus.

Egressus, jam in praesentia mea. Supra 46: prope feci justitiam.

Tertio ponit iudicii utilitatem: brachia, potentes, mea, virtute, Cyrus et Darius. Insulae, diversae gentes in me sperabunt, videntes populi liberationem. Supra 42: ponet in terra iudicium. Levate in caelum.

Hic ostendit divinae promissionis firmitatem per comparationem ad creaturarum mutationem.

Unde primo ponit creaturae mutabilitatem, liquescent, quantum ad figuram, et quantum ad substantiam. 1 Cor. 7. Et similiter dicendum de aliis. Psal. 101: initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli. Secundo divinae promissionis firmitatem: salus, quam promitto, vel quia hoc ex me numquam deerit, quin sim paratus salvare, et justitiam facere. Luc. 21: caelum et terra transibunt, verba autem mea non transient. Audite me. Hic excludit impedimentum quod timeri poterat ex oppressione, quantum pertinet ad potestatem opprimentium: et circa hoc duo facit. Primo ponitur Domini confortatio; secundo prophetae disceptatio, consurge.

Circa primum quatuor. Primo excitat attentionem: qui scitis justum, idest justitiam, quam in iudiciis meis vobis revelavi. Psal. 147: non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis.

In corde, in cognitione. Prov. 4: ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui.

Secundo excludit timorem: nolite timere; hominum, qui vos contemptui habent, de sua potentia gloriantes. Prov. 21: ego sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis. Tertio ostendit eorum fragilitatem: sicut enim vestimentum, job 13: qui quasi vestimentum quod comeditur a tineis. Quarto divini auxilii firmitatem: salus autem, supra 45: Israel salvabitur in Domino.

Nota super illo verbo, ponet desertum ejus quasi delicias, quod sancti habent duplices delicias. Primas gloriae, quae consistunt primo in plena Dei visione.

Job 22: tunc super omnipotentem deliciis affluens.

Secundo in perfecta dilectione. Tertio in copiosa refectione. Quarto in eminenti auctoritate.

Secundas gratiae, quae consistunt primo in perceptione divini luminis. Psal. 138: nox illuminatio mea in deliciis meis. Secundo in proposito vel sollicitudine boni operis. Eccl. 5: non recordabor dierum. Tertio in ornatu virtutum.

Cant. 7: quam pulchra es, et quam decora in deliciis. Quarto in quiete cordis. Infra 58: vocaberis sabbatum delicatum.

Consurge. Hic proponitur prophetae ad Deum disceptatio, quasi: non contenderim quod hostes populi aliter quam divina fortitudine confundantur vel consumantur.

Unde primo ponitur prophetae petitio; secundo Domini responsio, ego ego.

Circa primum duo. Primo ponit suam petitionem, in qua invocatur divinae potentiae brachium: et brachium Domini, idest virtus Dei, consurge, quasi a somno. Psal. 43: exurge, quare obdormis, Domine; induere, sicut miles arma bellica, ad hostes nostros impugnandum. Psal. 92: induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtute.

Job 40: si habes brachium sicut Deus. Allegat etiam divinae fortitudinis signum in occisione Pharaonis: numquid non tu percussisti superbum, draconem, Pharaonem, de quo Ez.: 29 draco magne etc.; et in divisione maris: numquid etc., iob 26: in fortitudine eius etc..

Secundo annuntiat populo suae petitionis exauditionem; nunc, sicut fuit in exitu de Aegypto, qui redempti, de captivitate Babylonis: Bar. 4: quia reducit eos Dominus etc..

Ego ego. Hic ponitur Domini responsio ad populum colloquentis: et primo promittit consolationem, consolabor. 2 Cor. 1: benedictus Deus, et pater Domini nostri et infra et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Secundo excludit hostium timorem, ponens eorum fragilitatem. Quis es tu? quasi fenum. Supra 40: omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Et Dei protegentis potestatem: et oblitus, Deut. 32: Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui? et hostis insultationem, ubi est; tribulantis, Nabuchodonosor vel Sennacherib.

Job 20: si ascenderit in caelum superbia tua, (Abd.) inde detraham te. Tertio ostendit consolationis ordinem: cito veniet, scilicet Cyrus, ad aperiendum, carcerem captivis, non interficiet vos, sicut alii reges chaldaeorum, nec

deficiet, vobis, panis, sustentationis ipsius. Supra 33: panis ei datus est. Supra 42: dedi te in foedus populi mei. Ego autem.

Hic excludit impedimentum quod posset putari ex eorum dejectione quantum pertinet ad poenarum magnitudinem: et primo ponit Dei confortantis potestatem: ego sum qui conturbavi mare, contra peccatores diversas tribulationes immittens.

Psal. 10: sciant quoniam justus Dominus, et justitias dilexit. Secundo prophetae concessam auctoritatem: posui verba, o Isaias. Caelos, idest plantandos praedicas majores de populo, terram, minores; vel plantes, tuis doctrinis. Tertio promittit a poenis liberationem, elevare: et circa hoc duo facit. Primo ostendit praeteritam afflictionem; secundo promittit liberationem. (idcirco) circa primum tria. Primo ostendit poenae cumulum: usque ad fundum, quasi ad ultimum poenarum perpessa: soporis, idest mortis.

Psal. 74: calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Secundo excludit omne humanum remedium: scilicet defensionis: non est qui sustentet; liberationis, non est qui apprehendat; compassionis, duo: in rebus vastitas, cujus effectus est fames; in personis contritio, cujus ultimum est gladius occidens. Jer. 15: qui ad gladium, ad gladium.

Et consolationis, quis consolabitur? Thren. 1: non est qui consoletur eum ex omnibus caris ejus.

Eccl. 4: vidi calumnias etc.. Tertio ostendit hujus rationem: filii tui projecti, a terra sua, in captivitate; viarum, quiescentes in via, quando ducebantur in captivitate: sicut orix, orix oricis animal immundum, mus aquaticus, vel animal multum dormiens, scilicet lira, vel quaedam avis quae in Africa; vel orix origis, animal mundum simile capreo, de quo Deut. 14. Secundum septuaginta: beta, quae est quaedam herba cito solis ardore deficiens, vel genus olerum vilissimum.

Nah. 3: parvuli eius allisi etc.. Idcirco.

Hic promittit liberationem: et circa hoc duo facit. Primo eorum liberationem, ebriamini, et non a vino, sed amaritudine poenarum. Thren. 3: replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio. Qui pugnavit, in exitu de Aegypto, Exod. 14: Dominus enim pugnabit pro vobis. Secundo hostium punitionem, et ponam illum. Dixerunt animae tuae, incurvare, sub potestate nostra, adeo te viliter tractantes, sicut lutum quod conculcatur. Psalm. 93: populum tuum, Domine, humiliaverunt, et hereditatem tuam vexaverunt.

Ier. 49: ecce quibus non erat iudicium etc..

|+52 Capitulus 52

Consurge, consurge.

Hic excludit tertium impedimentum liberationis, quod poterat dubitari, ex inopia rerum, promittens eis gratuitam liberationem. Et dividitur in duas partes: primo enim praedicat liberationem Judaeorum a Babyloniis; secundo liberationem gentium a peccatis, ecce intelliget.

Circa primum duo. Primo praedicat liberationem; secundo liberationis ordinem, parabit Dominus: circa primum tria. Primo promittit liberationem gratuitam; secundo assignat liberationis causam, quia haec dicit Dominus Deus; tertio indicat liberatis laetitiam, quam pulchri.

Promittitur autem eis liberatio tribus modis.

Primo ab oppressionem hostium quantum ad bona quae recuperaverunt. Consurge, a debilitate, qua hostibus resistere non poterat; et ideo dicit: induere fortitudine, sicut armis militaribus, sion, in qua erat arx ad defensionem civitatis. Consurge, a miseria quam incurristi, spoliatis hostibus; et ideo dicit: induere vestimentis gloriae tuae. Gloria civitatis est frequentia civium, pulchritudo viarum, opulentia rerum. Baruch 5: exue te, jerusalem, stola luctus et vexationis tuae, et indue te decorem et honorem ejus quae a Deo est tibi, in sempiternam gloriam. Et quantum ad hostes quos evaserunt: quia non adjiciet ut pertranseat, quasi vastans vel dominans, incircumcisus, quantum ad hostes gentiles; immundus, quantum ad proditores ex eodem populo supra 35: via sancta vocabitur etc.. Apoc. 21: non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Secundo promittit liberationem a vilitate inhabitantium, quia derelicti sunt de pauperibus terrae, sicut dicitur 4 Reg. Ult., et jer. Ult. Excudere de pulvere, vilitatis, consurge, resistens adversariis tuis, et tunc deinde sede, quieta. 1 Reg. 2: suscitans de pulvere egenum.

Tertio promittit liberationem a detentione captivorum, praedicans liberationis beneficium. Solve vincula, idest exi de captivitate. Levit. 26: confregi catenas tuas.

Et ostendit liberationis modum: quia haec dicit Dominus, gratis venundati estis: quasi dicat: nulla beneficia vobis praestiterant qui vos captivaverunt. Redimimini, a captivitate Babylonis per Cyrum. Supra 45: captivitatem meam dimittet etc., Psal. 43: vendidisti populum tuum sine pretio. Quia haec dicit. Hic assignat liberationis duas causas: scilicet calumniam populi, et blasphemiam Dei. Et primo allegat calumniam: in Aegyptum... In principio, in patribus: Gen. 46 et 47: ut colonus, et ita aliquod jus habebant opprimendi eos ex beneficiis impensis.

Et Assur, sub quibus etiam chaldaei includuntur, absque ulla causa, nulla beneficia eis praestans.

Si ergo liberationem abegit, quid mihi est? idest, quid impedit quod modo non liberem jerusalem? secundo sententiam pronuntiat: quia ablatus est, de terra sua. Dominatores, qui sibi dominium usurpaverunt, scilicet chaldaei. Et quoniam jugiter, blasphematur, quasi non possim populum meum liberare. Ezech. 36: sanctificabo

nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes. Propter hoc in die illa, liberationis, qui loquebar, promittens, adsum, ad explendum. Baruch 3: post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Heb. 1: multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio: si exponatur mystice de adventu Christi. Quam pulchri.

Hic indicit liberatis laetitiam: et primo describit laetitiam, quantum ad receptionem nuntiorum, qui venientes de chaldaea eam nuntiaverunt. Pulchri, quia pulchrum et delectabile erat populo talia annuntiantes audire, super montem, ut multi audiant, praedicantis, publice, pacem, a Cyro restitutam, bonum, subsidii promissi, salutem, a captivitate.

Regnabit, quasi ultra tantum Deus in te regnabit, quia ipsum coles in templo reparato.

Nah. 2: ecce super montes etc.. Secundo describit laetitiam quantum ad inspectionem speculatorum, qui inde redeuntes videbant, ponens exultationis vocem, vox, laetitiae resonabit. Act. 4: unanimiter elevaverunt vocem ad Deum. Et laetitiae rationem: quia oculo, quasi, oculis suis videbunt captivos venientes. Supra 33: oculi tui videbunt, jerusalem.

Tertio quantum ad perversionem captivorum, gaudete. Supra 35. Laetabitur deserta, et exultabit solitudo.

Nota super illo verbo, induere vestimentis, quod sancti habent vestimenta virtutum de quibus gloriantur: et ista primo sunt ad protegendum. Infra 61: induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiae circumdedit me. Secundo ad calefaciendum. Prov. Ultim.: non timebit domui suae a frigidibus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti duplicibus. Tertio ad ornandum.

Apoc. 3: vestimentis albis.

Haec vestimenta primo debent esse candida in honestate operis.

Eccle. 9: omni tempore vestimenta tua sint candida. Secundo munda in rectitudine intentionis.

Supra 9: vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem; tertio odorifera per famae divulgationem. Cant. 4: odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Item super illo verbo, solve vincula, nota quod sunt vincula a quibus solvit Deus, primo mundanae sollicitudinis. Job 39: quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit? secundo carnalis amoris. Eccle. 7: inveni amariorem morte mulierem, tertio perversae actionis. Psalm. 106. Eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum dirupit. Quarto pravae consuetudinis.

Supra 5: vae qui trahitis iniquitatem ad iniquitatem, et quasi vinculum plaustrum peccatum.

Item sunt vincula a quibus Deus non solvit: primo caritatis. Oseae 11: in funiculis caritatis traxi eos. Secundo divinae legis. Jerem. 2: a saeculo confregisti jugum. Tertio divinae instructionis. Eccli. 6: subjice humerum tuum, et porta illam, et ne accideris vinculis ejus.

Parabit Dominus. Hic exequitur liberationis ordinem: et primo ponit manifestum Dei auxilium.

Brachium, scilicet virtutem suam, quam omnes in hoc facto advertere potuerunt. Psalm. 97: viderunt omnes fines terrae salutare Dei nostri.

Secundo indicit captivis egressum, recedite, scilicet de Babylonia, pollutum, nolite inter eos pollutos conversari. Apoc. 18: exite de illa populus meus.

Tertio docet egrediendi modum, quantum ad puritatem, mundamini, sacerdotes; quantum ad securitatem, (non) in tumultu exhibitis, scilicet belli, sicut de Aegypto; Ps. 104: eduxit populum suum; quantum ad ductorem, praecedit, quasi dux, et congregabit, quasi pastor. Ezech. 36: tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et reducam vos in terram vestram. Ecce intelliget.

Hic praedicat liberationem gentium a servitute peccati, per filium Dei factam: et primo describit liberatorem quantum ad gratiae eminentiam: intelliget, quantum ad sapientiae plenitudinem; servus, secundum naturam assumptam, Christus. Philip. 2: formam servi accipiens. Prov. 14: acceptus est etc., et 1: intelligens gubernacula etc..

Exaltabitur, quantum ad virtutum operationem. Psalm. 20: exaltare, Domine, in virtute tua. Elevabitur, quantum ad ascensionem. Psal. 8: quoniam elevata est magnificentia tua super caelos. Ephes. 4: qui descendit, ipse est et qui ascendit. Et sublimis, sedens ad dexteram patris. Supra 4: erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis. Et quantum ad passionis ignominiam: sicut enim obstupuerunt, exemplis, miraculis et doctrinis: Matth. 12: stupebant omnes turbae super doctrina ejus, et miraculis quae faciebat. Inglorius, in passione, et forma, species sive decor. Psalm. 21: ego sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis. Secundo praedicat liberationem, quantum ad peccatorum remissionem, iste asperget, aspersione sanguinis, 1 Petri 1 et aqua baptismi. Hebr. 10: aspersi corda, etc.; quantum ad ipsius venerationem, super ipsum, tacentes, ad auscultandum, non praesumentes ad secreta ipsius tractandum. Job 29: principes cessabant loqui. Et quantum ad veritatis cognitionem: quia quibus, scilicet gentibus, non erat, per prophetas, videbunt, corde, audierunt ipsum personaliter praedicantem. Infra 65. Ecce ego ad gentes quae nesciebant me et quae non invocabant nomen meum.

Quis credit? hic incipit ponere remedia, contra dicta impedimenta: et primo contra peccatum promittit Christi passionem; secundo contra depressionem promittit exaltationem, cap. 54: lauda sterilis; tertio contra paupertatem promittit gratuitam rerum fruitionem, (cap. 55), omnes sitientes.

Circa primum duo. Primo ostendit altitudinem mysterii, quia nec auditui facile creditur.

Auditui, de his quae de Christo a te audivimus. (Abd.): auditum audivimus, etc., Habacuc 3: Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Nec facile videtur, et brachium, id est filius Dei, Dei virtus. Job 40: si habes brachium sicut Deus. Secundo prosequitur ordinem facti: et primo proponens similitudinem, quantum ad ipsius exaltationem: et ascendet, ex ventre matris nascendo, ex morte resurgendo, de mundo in caelum ascendendo, et in fidem gentium, sicut virgultum, quod in altum crescit, et in latum multiplicatur.

Supra 11: egredietur virga de radice jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et quantum ad ipsius humanitatem: et sicut radix de terra sitiens, id est de terra sine humore, quae prae siccitate indecora videtur; sic etiam ipse ortus est de matre absque virili humore. Apoc. Ult.: ego sum radix David.

Secundo ponit similitudinis expositionem, non est.

Et primo quantum ad humiliationem; secundo quantum ad exaltationem, de angustia. Circa primum duo. Primo describit Christi humilitatem; secundo humiliati mansuetudinem, oblatum est.

Circa primum tria. Primo describit humilitatis officium; secundo humiliati contemptum, et quasi absconditus; tertio humiliationis fructum, ipse autem vulneratus.

Circa primum duo. Primo ostenditur ejus humilitas quantum ad absconsionem majestatis: non est ei species, quantum ad affluentiam interiorum bonorum, neque decor, quantum ad affluentiam exteriorum: species enim proprie respicit pulchritudinem quantum ad commensationem membrorum; sed decor quantum ad convenientiam coloris, et aliorum circumadjacentium.

Habebat siquidem speciem, quia speciosus forma prae filiis hominum, (psalm. 44); sed latebat propter infirmitatem assumptam. Habebat decorem, quia fortitudo et decor indumentum ejus, Prov. Ult.; sed latebat propter paupertatem servatam. Unde Cant. 2: sonet vox tua in auribus meis.

Et ideo nos qui tunc increduli, et postea conversi, in quorum persona loquitur, vidimus eum, corporaliter, et non erat aspectus, magnificus, secundum quod dicitur, quod species Priami digna est imperio. Secundo ostenditur ejus humilitas quantum ad ostensionem infirmitatis: et desideravimus eum, cum desiderio expectantes quasi magnum redemptorem.

Aggaei 2: ecce veniet desideratus cunctis gentibus. Et in dignitate, contra quod vidimus eum despectum, inglorium, novissimum virorum, propter turpissimum genus mortis. Sap. 2: morte turpissima condemnemus eum.

Prov. 30: stultissimus sum virorum. Magnum etiam in prosperitate; contra quod invenimus eum virum dolorum, quasi miserum, doloribus plenum.

Thren. 1: o vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. Magnum etiam in potestate; contra quod invenimus eum scientem infirmitatem, per experimentum. 2 Cor. Ult.: nam si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit virtute Dei. Et quasi absconditus. Hic ostendit humiliati contemptum: et primo quantum ad majestatem absconsam in subtractione honoris, quasi absconditus, latens majestas sub infirmitate carnis. Unde nec reputavimus debitum honorem non impendendo. Supra 45: vere tu es Deus absconditus. Secundo quantum ad infirmitatem ostensam, ponens infirmitatis signum: vere, sicut verus homo, languores, infirmitates, sicut famem, sitim, tulit, sustinuit, dolores, sensibiles in passione, et tristitiam, vel languores, peccata, abstulit a nobis, vel loco nostri, poenas sustinuit. 1 Petr. 2: peccata nostra pertulit super lignum. Ponens etiam contemptum: et nos reputavimus quasi leprosum, immundum et peccatorem, et ideo percussus a Deo, pro peccatis suis quantum ad poenas, et humiliatum, quantum ad ignominias. Job 22: propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas. Et 39: abominantur etc..

Nota super illo verbo. Et brachium Domini cui revelatum est? quod Christus est brachium primo ad flagellandum Daemones. Psal. 88: in brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos. Secundo ad supportandum debiles. Supra 40: in brachio suo levabit agnos. Tertio ad defendendum fideles.

Sap. 5: dextera sua reget eos.

Item super illo, virgultum, quod Christus est virga primo ad percutiendum. Num. 24: orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel; secundo ad sustentandum. Psalm. 22: virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Tertio ad dirigendum. Psal. 44: virga directionis tuae.

Item super illo radix de terra, quod Christus est radix primo propter absconsionem. Eccli. 1: radix sapientiae cui revelata est? secundo propter nutrimenti ministrationem. Jerem. 17: erit tamquam lignum quod ad humorem mittit radices. Tertio propter totius arboris sustentationem.

Rom. 11: non tu radicem portas.

Ipse autem vulneratus.

Hic ponit humiliationis sive passionis fructum: et primo assignat rationem moventem: ipse autem, non sicut putavimus, sed vulneratus spinis, clavis, lancea, propter iniquitates nostras, tollendas. Attritus, flagellis et alapis. Vel vulneratus, quantum ad id quod dicit percussus; attritus, quantum ad id quod dicit humiliatum. Thren. 4: spiritus oris nostri Christus Dominus.

Secundo ostendit utilitatem consequentem in reconciliatione pacis, disciplina pacis; idest, ipse pro nobis disciplinam correptionis sustinuit: per quam pacem habemus accessum ad Deum.

Rom. 5: si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, et in restitutione perditae sanitatis, livore, quem ex virgis habuit. 1 Petr. 2: cujus livore sanati estis.

Psalm. 102: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Tertio ostendit necessitatem imminens ex parte nostra, quia omnes infirmi: unde omnes medico indigent, et nullus alius sufficiens remedium praebere poterat.

Rom. 3: non enim est distinctio Iudaei et Graeci: omnes enim peccaverunt, et egent paenitentia. Omnes nos quasi oves, 1 Petri 2: eratis aliquando sicut oves non habentes pastorem. Oblatus est.

Hic ostendit patientis mansuetudinem; et primo proponit ipsam mansuetudinem, et primo quantum ad voluntariam sui oblationem: oblatus est, Deo patri pro nobis hostia, Psal. 53: voluntarie sacrificabo tibi.

Secundo quantum ad patientem passionem: et non aperuit os suum, quasi contradicens et contendens: etiam coram Herode nihil respondit, Luc. 23. Thren. 4: ex ore altissimi etc..

Secundo ponit similitudinem: sicut ovis ad occisionem, quia sine resistentia occisus, et quasi agnus, sine contradictione injuriam passus. Jerem. 11: ego quasi agnus qui portatur ad victimam.

Nota super illo verbo, novissimum, quod Christus fuit novissimus, primo propter doloris acerbiteriam.

Thren. 1: o vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. Secundo propter mortis turpitudinem.

Sapient. 2: morte turpissima condemnemus eum. Tertio propter impositi criminis magnitudinem. Proverb. 30: stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum.

Item super illo virum dolorum, quod Christus fuit plenus doloribus primo propter morbi necessitatem. Supra 1: a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Secundo propter gratiarum effusionem. Joan. 1: de plenitudine ejus omnes accepimus gratiam; tertio propter nostram obligationem. 2 corinth. 5: in hoc Christus mortuus est, etc..

De angustia. Posita humilitate passionis, hic incipit ponere exaltationis gloriam, quae est passionis praemium, sicut dicitur Phil. 2: propter quod Deus exaltavit illum.

Et primo quantum ad evasionem periculorum; secundo quantum ad ultionem hostium, et dabit impios; tertio quantum ad justificationem hominum, si posuerit, quarto quantum ad victoriam rebellium, ideo dispertiam.

Circa primum duo. Primo ponit praemium: de angustia, passionis, de judicio, injusto, quo ab aliis judicatus est, sublatus est, in resurrectione.

Proverb. 11: justus de angustia liberatus est.

Secundo ponit meritum, ponens patientis dignitatem, ut ex conditione personae meritum passionis pensetur: generationem, aeternam qua de patre sine matre, vel temporalem qua de matre sine patre, quis? quasi nullus naturali ratione, etsi aliquantulum inspiratione divina. Eccl. 43: quis vidit eum et enarrabit? ponens etiam illatam passionem: quia absconditus est, per mortem a Judaeis, de terra viventium, de hac vita. Jerem. 12: venite, mittamus lignum in pane ejus, et eradamus eum de terra viventium. Ponens etiam ex parte Dei patris passionis acceptationem: propter scelus percussis, percussis permisi. 1 Petri 3: Christus semel pro peccatis nostris, etc.. Et dabit impios. Hic ponit secundum, scilicet vindictam persequentium: et primo ponit praemium: et dabit impios. Judaeos in manus Romanorum, pro sepultura, quia ipsum in sepulcro custodiri fecerunt. Prov. 21: pro iusto dabitur, etc.. Secundo ponit meritum quantum ad vitae innocentiam: eo quod iniquitatem non fecit, quantum ad peccatum operis, in ore, quantum ad peccatum oris. 1 Pet. 2: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Et quantum ad mortis obedientiam: et Dominus, pater voluit.

Et ipse obediens fuit patri usque ad mortem. Phil. 2: factus obediens usque ad mortem. 1 Cor. 1: quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

Si posuerit. Hic ponit tertium, scilicet quod per ipsum completa est hominum justificatio: et primo ponit praemium contra mortis dolorem, si posuerit, propria voluntate: joan. 10: ego pono animam meam: videbit semen longaevum: usque ad finem mundi filios sibi regenerari ex virtute mortis ejus. Joan. 12: nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Et voluntas dirigetur, implebitur, in manu, in opere ejus. 1 thessal. 4: haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Et contra doctrinae laborem: pro eo quod laboravit, praedicando et discurrendo, videbit, gentes ad se conversas, et saturabitur, quasi habens quod intendit. Joan. 4: cibum habeo manducare quem vos nescitis. Secundo ponit meritum quantum ad exercitium praedicationis, in scientia, idest doctrina. Roman. 5: justificati gratis ex fide. Joan. 6: Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes. Et quantum ad tormentum mortis, iniquitates, idest poenas pro iniquitatibus. Supra 46: ego feci, ego feram. Ideo dispertiam.

Hic ponit quartum, scilicet victoriam de hostibus: et primo ponit hostium subjectionem: ideo dispertiam, quasi partem suam ei dabo, plurimos, qui credent in ipsum, et spolia fortium, idest captivos a Daemonibus, dividet, discipulis suis, diversos diversis gentibus praeponens. Oseae 13: ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.

Ps. 67: rex virtutum, dilecti dilecti, et speciei domus dividere spolia. Secundo ponit subjectionis rationem quantum ad mortem: pro eo quod tradidit: et quantum ad genus mortis, et cum sceleratis. Luc. 23: et crucifixi

sunt cum eo duo nequam. Psalm. 87: aestimatus sum cum descendentibus in lacum. Tertio subjectorum salvationem. Non enim quasi tyrannus sibi subdidit ad vexandum, sed ad salvandum. Et ipse peccatum multorum, efficienter, quamvis omnium sufficienter, tulit, abstulit, et pro transgressoribus oravit. Luc. 23: pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

|+54 Capitulus 54

Lauda sterilis.

Hic contra rerum dejectionem promittit exaltationis remedium: et primo promittit multitudinem contra paucitatem; secundo honoris restitutionem contra confusionem, noli timere; tertio prosperitatem contra pristinam adversitatem, pauperula.

Circa primum tria. Primo praedicat filiorum multitudinem, indicens gratiarum actionis laudem: o sterilis, jerusalem, quae non paris, quia derelicta, deserta, lauda, Deum, pro concessis beneficiis. Laudantium jucunditatem: decanta laudem: est enim canticum, mentis exultatio in vocem prorupta; et jucunditatis magnitudinem: hinni, in modum equi prae magnitudine vocem ad exprimendum formare non potens. Jer. 31: exulta in laetitia, Jacob. Ps. 146: Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio. Et promittens filiorum multitudinem, quoniam multi; quasi, magis multiplicabuntur filii tui, quamvis sis deserta, quam illarum civitatum quae viros habent ad generandum. 1 Reg. 2: donec sterilis peperit plurimos, et quae multos habebat filios infirmata est. Secundo exhortatur ad loci ampliacionem sub metaphora tentorii: dilata locum, quantum ad solum quo extenditur; pelles, quibus tegitur; funiculos, quibus paxilli ligantur; clavos, quibus tabulae junguntur, vel ipsos paxillos. Et haec leguntur fuisse in tabernaculo foederis: Exod. 26, et 36.

Hac pro multitudine hominum oportet majorem habitationem quaerere, quam sit terra promissionis.

Supra 49: adhuc dicunt filii sterilitatis, etc..

Tertio praedicat exhortationis impletionem: ad dexteram enim, quasi, undique te dilatabis: quod impletum fuit tempore Machabaeorum, quando appositae fuerunt quaedam civitates de regione Samariae et de aliis regno Judaeorum. Gen. 24: possideat semen tuum portas inimicorum tuorum. Noli timere.

Hic promittit pristini honoris restitutionem, contra confusionem quam prius sustinuerant. Secundo promissionis firmitatem: sicut in diebus Noe. Circa primum duo facit. Primo promittit pristinae confusionis oblivionem: non confunderis, interius, non erubescas, exterius.

Pudebit, ex consideratione tuae turpitudinis; oblivisceris, prae abundantia gloriae; adolescentiae quando peccasti in deserto, viduitatis, quando fuisti a Deo separata in captivitate Babylonis. Supra 45: non confundemini, neque erubescetis. Sopho. 3: in die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis. Secundo promittit pristini honoris restitutionem: et primo ponit restitutionem quantum ad dominium, quia dominabitur; supra 26: Domine possederunt nos; et quantum ad conjugium, mulierem derelictam. Jerem. 3: si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum; numquid revertetur ad eum ultra? secundo promittit honoris ampliacionem quantum ad honorum multitudinem: dixit Dominus, in modico, pauca passa es respectu eorum quae tibi miserando tribuam. 2 corinth. 4: id enim quod in praesenti est, momentaneum est. Et quantum ad durationem, in momento; quasi dicat: brevi tempore iram meam sensisti respectu ejus in quo tui miserebor. Supra 26: abscondere modicum. Haec autem omnia quae dicta sunt, mystice exponuntur de vocatione gentium: quia gentilitas prius sterilis, postmodum multos filios congregavit, secundum Glossam. Sicut in diebus. Hic ostendit promissionis firmitatem.

Et primo ex prioris promissionis similitudine: iuravi, firmiter statui, si tamen in praeceptis meis permanseris. Gen. 9: statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos. Eccli. 44: testamenta saeculi.

Secundo ex creaturarum stabilium operatione: montes enim, quasi dicat: facilius est montes et colles immutari, quam verba mea cassari. Vel per montes et colles, mundi potentes. Ps. 45: non timebimus dum turbabitur terra.

Nota super illo verbo, lauda sterilis, quod est sterilitas primo perversae actionis. Job 15: congregatio hypocritae sterilis. Secundo sacrae contemplationis. Genes. 29: Rachel erat sterilis.

Tertio temporalis tribulationis. Supra 49: adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis.

Item nota super illo dilata tentorium, quod dilatandum est cor primo propter hospitis magnitudinem.

Jerem. 23: numquid non caelum et terram ego impleo, dicit Dominus. Secundo propter munerum multitudinem. Infra 60: videbis, et afflues, et dilatabitur cor tuum. Tertio propter viae expletionem. Psalm. 118: viam mandatorum tuorum cucurri.

Item super illo in miserationibus magnis, quod misericordiae futurae magnae sunt, primo quia intrinsecae. Rom. 8: existimo quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.

Secundo quia aeternae. 2 Cor. 4: quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna. Tertio quia perfectae. Luc. 1: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quarto quia in plures extensae.

Luc. 14: homo quidam fecit caenam magnam, et vocavit multos. Quinto quia integrae. Apoc. 21: absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum.

Pauperula.

Hic promittit prosperitatem contra adversitatem: et primo commemorat adversitatem pristinam: pauperula, jerusalem spoliata bonis, tempestate, adversitate. Supra 18: ad gentem convulsam et dilaceratam mittam te. Secundo promittit prosperitatem futuram, et quantum ad affluentiam bonorum, proponens metaphoram: ecce ego sternam, quasi in pavimento, per lapides, pretiosos, significans homines virtutibus eminentes, per ordinem, unumquemque in ordine suo: Tob. 13: portae ierusalem; et explanans ipsam quantum ad scientiae divinae doctrinam, universos, jer. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum Scribam eam. Quantum ad pacis abundantiam, multitudinem. Psalm. 118: pax multa diligentibus legem tuam. Et quantum ad operum justitiam, et in justitia. Supra 1: sion in iudicio redimetur; et reducent eam in justitiam. Secundo quantum ad carentiam malorum, promittens primo periculorum evasionem, recede, idest recedes, quia calumniam non patieris. Ps. 71.

Humiliabit calumniatores. Secundo extraneorum adhaesionem. Ecce accola, quia multi adhaeserunt de gentibus exeuntibus de captivitate. Infra 56: non dicat filius advenae, qui adhaeret Domino, dicens: separatione dividet me Dominus a populo suo. Tertio promittens hostium destructionem, ecce ego. Et primo ostendit promittentis potestatem, proponens similitudinem, fabrum, persecutorem qui sufflat in igne tribulationis vasa contrarios secundum voluntatem suam: job 41: halitus ejus prunas; et exponens ipsam, ego creavi. 1 Reg. 2: Dominus mortificat et vivificat. Secundo ponit promissionem, omne vas, idest omne fictum dissipabit, quantum ad impugnantes factis, et omnem linguam, quantum ad impugnantes verbis. Supra 41: et erunt quasi non sint.

|+55 Capitulus 55

Haec est hereditas.

Hic adhibet tertium remedium, promittens rerum abundantiam contra pristinam penuriam. Et dividitur in duas partes: in prima ponit promissionem; in secunda ostendit promissionis firmitatem, et quomodo descendit.

Circa primum tria facit. Primo ostendit eorum quibus promittitur, conditionem: haec est hereditas; idest, haec quae sequuntur, debentur servis Domini, qui ei filii sunt, quasi hereditario jure, et justitia, quasi justa merces.

Ps. 15: hereditas mea. Secundo proponit promissionem, promittens futuram copiam in necessariis: omnes sitientes, idest vos ex Judaeis, qui prius prae inopia sitientes eratis, emite, sine pretio, comedite, panem, et alia necessaria. Joan. 7: si quis sitit, veniat ad me, et bibat... Et de ventre ejus fluent aquae vivae. Et in deliciis: venite, emite, quasi, ac si emeritis accipite, vel absque argento, idest minus quam justo pretio, can. 5: bibi vinum meum cum lacte meo. Et commemorans pristinam inopiam.

Quare appenditis? quasi dicat: quare hactenus argentum dabatis, et panem inde emere non poteratis? Aggaei 1: seminastis multum, et intulistis parum.

Haec autem mystice exponuntur de aqua divinae sapientiae, quae gratis sitientibus datur, secundum Glossam. Tertio indicit praeparationem ad consequendum dictum promissionem: audite audientes: et primo excitat attentionem: secundo ponit exhortationem, quaerite Dominum. Excitat autem attentionem triplici promissione. Primo promittens attendentibus bonorum copiosam fruitionem: comedite, idest reficiam vos diversis bonis, si me audiat, in crassitudine, quantum ad copiam. Supra 1: si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis.

Ier. 31: animam sacerdotum.

Secundo promittens mortis evasionem, inclinate. Psal. 118: vivet anima mea, iterum Ps. 118: in aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.

Tertio promittens potestatem. Et primo ponit similitudinem: et feriam: id est sicut David veras promissiones feci, ut in sempiternum semen suum permaneret: sic et vobiscum faciam.

Secundo explicat ipsam, ostendens quid David fecerit: ecce testem, psalm. 17: populus quem non cognovi, servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi. Et quid eis facturus sit, ecce gentes vocabis, ad praeceptum tuum implendum, non tuis viribus, sed propter Dominum. Supra 49: adorabunt propter Dominum Deum tuum qui elegit te. Quaerite Dominum.

Hic indicit eis praeparationem ad consequendam dictam promissionem: et primo dat quaerendi divinum consilium: quaerite Dominum dum inveniri potest, antequam adversitas vel mors veniat.

Ps. 104: quaerite Dominum, etc., Prov. 1: mane consurgens, etc.. Secundo docet quaerendi modum: derelinquat impius, peccans in Deum, iniquus, peccans in proximum. Supra 1: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Tertio ponit reversionis fructum, scilicet misericordiam: et revertatur, quoniam multus, idest multiplicis misericordiae, ad ignoscendum. Joel. 2: convertimini ad Dominum Deum vestrum. Quarto excludit misericordiae impedimentum: non enim cogitationes, quasi: vos impii, ego pius; vos ultionem cogitatis, ego misericordiam.

Ezech. 18: numquid viae meae non sunt aequae, domus Israel, et non magis viae vestrae pravae sunt? et quomodo.

Hic ostendit promissionis firmitatem: et primo ostendit divini verbi efficaciam, ad me vacuum, idest sine fructu.

Sap. 1: sermo obscurus, Oseae 6: veniet quasi imber temporaneus et serotinus.

Secundo ponit continentiam quantum ad laetam remissionem de Babylone, quia in laetitia.

Ps. 104: eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in laetitia. Quantum ad aliorum congratulationem, montes et colles, potentes et populares, laudantes in vobis Dominum. Vel est hyperbole. Terra vestra, vestrae reversioni congratulans.

Quantum ad bonorum multiplicatam restitutionem: pro saliunca, idest, priora pauca erant respectu futurorum. Aggaei 2: erit gloria domus hujus novissimae, plus quam primae. Supra 41: dabo in solitudine.

Saliunca, a saliendo dicta, quae cardus leporinus dicitur. Tertio ponit consequentem Dei gloriam, et erit Dominus nominatus, undique et semper gloriosus pro liberatione vestra, in signum aeternum, ad quem confugient sicut ad signum salutis. Supra 49: ecce ego levabo ad gentes signum meum.

Nota super illo verbo, omnes sitientes venite ad aquas, quod divina doctrina primo dicitur aqua; et hoc primo quia infirmos sanat. Eccl. 15: aqua sapientiae salutaris potavit eum. Secundo quia inquinatos mundificat. Ezech. 36: effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Tertio quia sitientes satiat. Joan. 4: si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum. Secundo dicitur vinum; et hoc quia primo pungit arguendo.

Supra 1: vinum tuum mixtum est aqua.

Secundo quia incendit exhortando. Psal. 104: eloquium Domini inflammavit eum. Tertio quia inebriat consolando. Infra ult.: inebriamini ab uberibus consolationis vestrae. Tertio dicitur lac; et hoc primo propter pulchritudinem. Gen. 49: Nephtalim cervus emissus dans eloquia pulchritudinis. Secundo propter dulcedinem.

Can. 2: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. Tertio propter sumendi facilitatem. 1 Petri 2: quasi modo geniti infantes lac concupiscite.

|+56 Capitulus 56

Haec dicit Dominus.

Hic postquam promiserat liberationem a malis, incipit promittere salutem in collatione bonorum.

Et dividitur in partes tres. In prima ponitur salutis praeparatio; in secunda salutis promissio, cap. 60: surge illuminare; in tertia salutis collatae multa discretio, cap. 63: quis est iste.

Prima in duas. In prima ponitur praeparatio ex parte salutem suscipientis; in secunda ex parte ipsius salvantis, c. 59: ecce non est abbreviata. Prima in duas. In prima dat praeparationis salubre consilium; in secunda excludit inane remedium, (c. 58): clama, ne cesses. Prima in duas. In prima ponit consilii recipientium diversitatem, quantum ad constitutionem praemiorum; in secunda quantum ad evasionem periculorum, cap. 57: justus perit.

Prima in tres. In prima ponit consilium; in secunda in recipientibus consilii fructum, beatus vir qui facit; in tertia in contemnentibus salutis defectum, omnes bestiae. Circa primum duo. Primo consulit debitam praeparationem: custodite iudicium, vos praelati, quorum est iudicare; facite iustitiam, vos subditi, idest omnem virtutem, secundum quod ad alterum conformatur praeeptis legis. Michaeae 6: indicabo tibi, o homo, quid sit bonum.

Secundo promittit salutis propinquitatem: quia iuxta, idest prope, salus mea, quia a me salvabimini post captivitatem, et iustitia mea, quantum ad hostes, de quibus vos vindicabo. Supra 46: prope feci iustitiam meam. Beatus vir. Hic ponit fructum consilii in his qui suscipiunt: et primo ponit utilitatem, ponens impletionis fructum: beatus vir qui facit, opere explens, apprehendet, strenue aggrediens.

Psal. 111: beatus vir qui timet Dominum; et implendi modum, quantum ad caeremonialia, custodiens sabbatum: sabbati namque observatio erat moralis quantum ad hoc quod quies in Deo ponetur, et quod aliquando divinis rebus vacetur ab aliis abstinendo; sed caeremonialis quantum ad temporis determinationem.

Fuit autem determinatus eis dies septimus, propter opus creationis, quo adhuc nullum dignius praecesserat. Nobis dies primus, sive octavus, propter mysterium resurrectionis, quo natura condita in melius reparatur. Exod. 20: memento ut diem sabbati sanctifices.

Ier. 17: custodite animas vestras. Et quantum ad moralia, custodiens manus. Ps. 25: lavabo inter innocentes manus meas. Secundo ponit utilitatis universalitatem, et non dicat: et primo excludit quorundam, qui videbantur indigni, desperationem, vel propter defectum generis, quia non erant de genere Israel. Qui adhaeret, servans praeepta ejus. Separatione, non faciens me participem salutis eis promissae. Roman. 10: non enim est distinctio Judaei et Graeci: nam idem Dominus omnium. Vel propter defectum generativae virtutis: et non dicat eunuchus: lignum aridum, impotens ad generandum, sicut lignum aridum ad germinandum. Prov. 11: justus quasi virens folium. Secundo ponit promissionem: quia haec dicit Dominus. Et primo ipsis specialiter quantum ad eunuchos: custodierint, quantum ad cultum religionis, elegerint, quantum ad obedientiam legis, tenuerint, quantum ad observantiam promissionis abstinendi a malis: in muris, idest habitationem in muros civitatis meae, nomen melius, quod servi mei et sancti vocabuntur, et filiis, idest quasi multos filios generassent.

Sap. 3: spado qui non operatus est. Et quantum ad extraneos: et filiis, idest dabo privilegia in quibus Judaei gloriantur, ut colant, quantum ad specialem cultum, et diligant, quasi filii, ut sint in servos, et gloriantur in ipsius dominio.

Supra 19: colent Dominum.

Et haec quidem fuerunt impleta in reversione populi de captivitate; sed plenius in conversione gentium ad fidem Christi, sicut exponit Glossa.

Secundo quantum ad omnes generaliter: omnem custodientem. Et circa hoc duo facit. Primo ponit promissionem, qua promittit sacri loci restitutionem, in montem sanctum. Scilicet sicut supra 1: venite, ascendamus ad montem Domini. Et quantum ad sacrificiorum acceptationem, holocausta. Malach. 3: placebit Deo sacrificium Judae et jerusalem. Secundo ponit expletionis ordinem: et primo quantum ad templi venerationem: quia domus mea. 2 Mach. 3: templum per universum, joan. 2 et Matth. 21: domus mea domus orationis vocabitur.

Secundo quantum ad populi congregationem: ait Dominus, ad eum; Israel congregat, gentes ei adhaerentes. Psal. 146: aedificans jerusalem Dominus dispersiones Israelis congregabit.

Nota super illo verbo, et dabo nomen melius, quod sancti habent nomen primo ex praedestinatione.

Supra 49: Dominus ab utero vocavit me; secundo ex divina adeptione. 1 joan. 3: videte qualem dilectionem vel caritatem dedit nobis Deus pater, ut filii Dei nominemur et simus.

Tertio ex gratiae infusione. Apoc. 2: nomen habes et tenes nomen meum.

Quarto ex mentis renovatione. Eodem: Apoc. 2: dabo calculum.

Item nota, quod nomen Dei est diligendum, primo quia magnum ad timendum. Malach. 1: magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus.

Secundo quia sanctum ad venerandum. Lucae 1: fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Tertio quia dulce ad meditandum.

Supra 26: nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae. Quarto quia copiosum ad miserendum. Cant. 1: oleum effusum nomen tuum. Quinto quia efficax ad impetrandum.

Joan. 15: quodcumque petieritis patrem in nomine meo, det vobis. Sexto quia virtuosum ad salvandum. Act. 4: non est aliud nomen sub caelo, in quo oporteat nos salvos fieri. Septimo quia occultum ad sciendum. Prov. 30: quod nomen ejus.

Omnes bestiae agri. Hic comminatur contemnentibus salutis defectum: et primo designat occisionis poenam: omnes bestiae ad devorandum, eorum cadavera; Ez. 39: dic omni volucris universis. Secundo ponit culpam: et primo praelatorum quantum ad defectum in regimine et praevisione periculorum. Speculatores: positi sunt enim praelati ad cavendum populo a periculis, sicut speculator ab hostibus: nescierunt, pericula praevidere. Matth. 15: sinite illos: caeci sunt duces caecorum. In correptione vitiorum, universi canes. Latrare, contra vitia. Psal. 37: ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.

In admonitione agendorum, videntes vana, promittentes eis prospera, cum imminerent adversa; et ita in peccatis nutrientes. Ezech. 22: prophetae ejus liniebant eos. In spoliatione rerum, et canes impudentissimi; quasi, sine aliquo pudoris freno subditos bonis suis spoliantes et nunquam satiantur. Psalm. 58: famem patientur ut canes. Et quantum ad defectum in scientiae perfectione: ipsi pastores; intelligentiam, legis et prophetarum. Proverb. 1: intelligens gubernacula possidebit. Psal. 81: nescierunt neque intellexerunt; in tenebris ambulant.

Secundo culpam subditorum, vel communiter omnium: et primo quantum ad propriam voluntatem, quod pertinet ad superbiam: omnes in viam suam, jerem. 16: unusquisque ambulat.

Secundo quantum ad eorum cupiditatem, quod pertinet ad avaritiam: unusquisque, jer. 6: a minimo usque ad majorem omnes avaritiae student.

Tertio quantum ad voluptatem, quod pertinet ad carnis concupiscentiam: venite. Et erit; idest, si hodie laetamur in talibus, cras multo amplius.

Supra 22: et ecce gaudium et laetitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum.

|+57 Capitulus 57

Iustus perit.

Hic ostendit diversitatem obedientium divinis consiliis ab illis qui non obediunt, quantum ad evasionem periculorum: et primo assignat diversitatem; secundo ponit utriusque partis confirmationem, qui autem habet fiduciam.

Circa primum duo. Primo promittit justis a periculis quietem; secundo aufert impiis evasionis spem, vos autem accedite.

Circa primum duo facit. Primo ponit justorum tribulationem, quia sine aliqua reputatione occiduntur: colliguntur, a praesenti vita, et a terra sua captivi, ac si non essent justis, a facie malitiae, idest a praesentia malorum. Habac. 1: quare respicitis contemptores, vel a facie malitiae, idest ne in malitiam mutarentur. Sapient. 4: raptus est, ne malitia mutaret cor ejus. Secundo promittit eis quietem: veniet pax in cubili; idest, in domo sua securus erit, vel in quiete cordis sui.

Job 5: scies quoniam pacem habeat habitaculum tuum. Vos autem accedite.

Hic aufert injustis evasionis spem: et primo arguit ipsorum culpam; secundo aufert evasionis fiduciam, ego autem annuntiabo.

Circa primum duo. Primo arguit peccati perversitatem; secundo in peccato obstinationem, in multitudine. Circa primum duo. Primo arguit in eis blasphemiam, ponens peccati consuetudinem, in quantum in hoc patres suos imitantur, filii auguraticis, quae contra meum praeceptum auguriis intendebat, adulterae, in quantum me

derelicto idolis adhaerebat, Oseae 2: iudicate matrem vestram, iudicate. Ponens etiam peccati speciem: super quem lusistis? quasi dicat, super Deum, blasphemantes ipsum. Supra 37: cui exprobrasti.

Secundo arguit in eis idolatriam: et primo ponit consuetudinem: numquid non, supra 1: vae genti peccatrici, populo nequam, filiis sceleratis.

Secundo ponit peccati speciem, qui consolamini.

Aggravat autem in eis peccatum idolatriae ex tribus.

Primo ex locorum diversitate; secundo ex divini foederis violatione, quia juxta me; tertio ex peccandi aviditate, dilexisti stratum. Diversitas autem locorum in quibus sacrificabant ostenditur tripliciter.

Primo quantum ad loca amoena; secundo quantum ad loca sublimia, super montem; tertio quantum ad loca familiaria, et post Ostium. Circa primum quatuor. Primo describit locorum amoenitatem, vel ex umbris arborum, quia consolamini: jer. 2: sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix: vel ex ubertate aquarum: immolantes parvulos, idest filios tuos.

Ezech. 16: tulisti filios tuos et filias tuas quas generasti mihi, et immolasti eis ad devorandum, Ps. 105: effuderunt sanguinem.

Secundo peccati dilectionem: in partibus torrentis pars, quasi: hoc sortem tuam reputasti. Sap. 2: ubique relinquamus signa laetitiae nostrae: quoniam haec est pars nostra.

Tertio sacrificii oblationem: et ipsis effudisti libamen, quantum ad humida; sacrificium, quantum ad sicca. Supra 1: confundimini ab idolis vestris. Quarto justam Dei indignationem: numquid, jerem. 5: numquid non super his visitabo? dicit Dominus. Super montem. Hic ponit loca sublimia, in quibus immolabant. Cubile: loquitur ad similitudinem meretricis, quae se amatoribus prostituit. 4 Reg. 17: fecerunt sibi statuas.

Et post Ostium. Hic designat loca familiaria, quia juxta introitum domorum idola ponebant, ut in magna memoria haberent. Ezech. 8: adduxit me in visione.

Quia juxta me. Hic aggravat peccatum ex divini foederis violatione, quo Deo quasi sponsa conjuncta erat; et loquitur sub similitudine adulterae, quae ampliat lectum, ut iuxta virum, adulterum suscipiat, et cum eo facit pactum de contrahendo, dimisso viro; in quo significatur quod in templo idola coluit. Ezech. 16: facta es quasi mulier adultera, quae super virum suum inducit alienos. Dilexisti.

Hic aggravat peccatum ex peccandi solitudine: et primo quantum ad pronitatem peccandi, manu aperta, idest sine aliquo impedimento. Jer. 3: frons meretricis facta est ei, noluit erubescere.

Ez. 16: nec sic es satiata.

Secundo quantum ad studium placendi, quia ornabat se: et ornasti te, idest thymiana meum proponens in eorum cultum. Prov. 7: aspersisti cubile tuum thymiana. Tertio quantum ad sollicitudinem invitandi: misisti legatos, quia etiam a longinquis terris diversa idola congregabat; et sic usque ad inferos, idest usque ad profundum peccatorum. Ezech. 23: insanivit super eos. In multitudine.

Hic ostendit in peccatis obstinationem.

Primo, quia non revocabantur peccati labore, in multitudine, idest in multiplici cultu idolorum.

Sap. 5: lassati sumus in via iniquitatis et perditionis.

Secundo quia non revocabantur temporali prosperitate. Vitam manus, idest, ad manum habebas unde posses vivere; et ideo non rogasti me, sed sollicita, pro divitiis tuis, idola timuisti, mei oblita. Job 21: ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.

Tertio quia non es revocata divina expectatione: et mei non es. Tacens, dissimulans, expectans te ad misericordiam. Sap. 11: dissimulans peccata propter poenitentiam.

Supra 42: tacui, semper silui.

Ego autem annuntiabo justitiam tuam, quam facis, vel quam suscipere debes: opera, idola. Congregati, ex diversis gentibus.

Deut. 32: surgent, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant. Qui autem.

Hic confirmat diversitatem: et primo quantum ad justos; secundo quantum ad injustos: impii autem.

Evasionem autem bonorum a periculis confirmat ex tribus. Primo ex divina mansuetudine, promittens evasionem quantum ad patriae restitutionem.

Qui confidunt in idolis, opera eorum non proderunt eis. Qui autem terram promissionis. Ps. 36: mansueti autem hereditabunt terram. Et quantum ad viae expeditionem: et dicam, scilicet principibus medorum: viam facite, liberando, praebete iter, dando licentiam repatriandi, declinate, ut nos non impediatis, auferte, ut nec alii.

Jerem. 50: tollite de via lapides, Ps. 21: tu autem in sancto habitas laus Israel.

Et quantum ad divinam pietatem: et cum contrito. Psalm. 50: cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.

Secundo assignat rationem, ex culpae purgatione promittens remissionem: non enim in sempiternum, psalm. 102: non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur. Et subjungit rationem, ponens expletam in puniendo justitiam, propter iniquitatem. Abscondi, ut non adjuvarem. Abiit vagus, quasi ovis sine pastore.

Job 22: propter peccata tua plurima, et infinitas iniquitates tuas. Promittens in salvando misericordiam: vias ejus vidi, oculo misericordiae, ipsi, quantum ad principes, lugentibus, quantum ad populum; vel ipsi, quantum ad Judaeos, aut quantum ad advenas adiunctos; vel quantum ad terram et habitatores. Psalm. 102: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Tertio confirmat ex prophetarum praenuntiatione:

creavi, quasi ex nihilo eos restituens, labiorum, prophetarum qui haec praedixerunt, qui longe, in captivitate dispersi sunt. Ephe. 2: et veniens evangelizavit pacem his qui prope, et his qui longe. Impii autem.

Hic confirmat quod dixerat de malis per quamdam similitudinem: et primo ponit ipsam.

Fervens, idest semper fluctuans, redundant, ad littus ubi lutum faciunt, et conculcantur.

Iob 41: fervere faciet. Et concludit propositum: non est pax, ut scilicet salventur.

Supra 48 idem.

Nota super illo verbo, justus perit, et non est qui recogitet, quod in passione Christi homo debet recogitare primo dilectionem, ad reamandum. Can. 8: pone me ut signaculum super cor tuum.

Secundo amaritudinem, ad compatiendum. Thren. 3: recordare paupertatis et transgressionis meae, et absynthii et fellis. Tertio fortitudinem, ad fortiter patiendum. Heb. 12: recogitate eum qui talem pro vobis sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem ut non fatigemini animis vestris deficientes. Quarto utilitatem, ad gratias agendum. Can. 7: ascendam in palmam, et accipiam fructus ejus.

|+58 Capitulus 58

Clama, ne cesses.

Hic excludit inutile remedium, quo se praeparare ad salutem volebant: et primo indicit denuntiationis officium, ponens denuntiandi modum, ut alte, sine timore deprimente: clama. Supra 40: exalta in fortitudine tua vocem, qui evangelizas sion. Ut continue, ne cesses. Infra 62: super muros tuos, jerusalem, constitui custodes; tota die et nocte non tacebunt. Ut clare et aperte, quasi tuba. Oseae 8: in gutture tuo sit tuba. Et denuntiationis verbum, annuntia scelera, quantum ad majora; peccata, quantum ad communia. Supra 16: his qui laetantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas. Secundo propheta excludit in persona Domini inutile remedium: me etenim. Et circa hoc duo facit. Primo excludit remedium in quo confidebant; secundo hortatur ad ea in quibus deficiebant, nonne hoc est.

Circa primum duo. Primo ostendit confidentiae eorum praesumptionem quantum ad tria in quibus confidebant: scilicet in sacrae scientiae inquisitione: me etenim quaerunt, in Scripturis, vias, praecepta et voluntates meas, quasi gens, idest ac si essent parati ad faciendum. Ez. 33: dicunt unus ad alterum. Iterum in oratione: rogant me iudicia, idest ut iudicem pro eis contra adversarios, appropinquare, ore. Supra 29: appropinquat populus iste ore suo.

Iterum confidebant in jejuniorum observatione: quare jejunavimus, et non aspexisti, quasi gratum; humiliavimus, quantum ad circumstantia jejunium, in exteriori humiliatione, nescisti, scientia approbationis, Malach. 3: vanus est qui servit Deo: et quod emolumentum, quia servavimus praecepta ejus? secundo ostendit bonorum dictorum reprobationem: et primo reprobationis causam, quae est culpa voluptatis: ecce in die; voluntas in his quae carni placent. Eccl. 18: post concupiscentias tuas non eas. Item culpa crudelitatis: et omnes debitores, ad litteram, ut diu possent insistere causis agendis, vel ad ejus consecutivum. Iac. 4: litigatis et belligeratis.

Item culpa vanitatis: nolite jejunare ut audiatur, propter laudem hominum. Matth. 6: tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso Ostio ora patrem tuum. Vel ut audiatur; idest si vultis quod oratio vestra a Deo exaudiatur. Ps. 101: Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te perveniat.

Secundo ostendit bonorum insufficientiam: numquid tale, quia Deus non eligit per se poenam vestram, neque ad afflictionem carnis: quod tangit in hoc quod dicit: per diem, totam, affligere. Neque quantum ad abjectionem exterioris humilitatis; quod tangit in hoc quod dicit, quasi circumlum; scilicet, caput ad pedes inclinare, vel circumducere sicut monachi faciunt, non in quantum ordinatur ad virtutem mentis. Matth. 6: cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritae tristes.

Joel. 2: scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Nonne hoc est.

Hic adhibet utile consilium: et primo quantum ad studium pietatis in proximum; secundo quantum ad cultum religionis in Deum, si averteris. Circa primum duo facit. Primo ponit pietatis consilium, ut cedant calumniae: colligationes, falsas causas, quibus astute pauperes obligabant sicut usurarii, fasciculos, idem, deprimentes, quantum ad poenas ad quas obligabant.

Qui confracti, longa servitute, onus, servitutis.

Matth. 23: alligant onera gravia et importabilia; digito autem suo nolunt ea movere.

Et ut intendat misericordiae, exhortans ad misericordiam quantum ad famelicos, frange; idest si modicum habeas; quantum ad vagos, et egenos; quantum ad nudos, cum videris, iob 31: si negavi quod volebant. Et ponit exhortationis causam, et carnem, quia scilicet est ejusdem speciei tecum. Job 5: visitans speciem tuam. Secundo ostendit consilii fructum, et erumpet. Et primo quantum ad efficaciam meritorum. Tum quantum ad opera virtutum: quasi mane lumen tuum; scilicet, merita tua clare patebunt in praemiis, quae modo a Domino non aspecta conquereris. Colliget, de captivitate, vel in misericordiae protectione. Psal. 36: educet quasi lumen justitiam tuam.

Tum quantum ad suffragia orationis, tunc invocabis. Supra 30: ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. Secundo quantum ad consecutionem bonorum: et primo resumit meritum: si abstuleris catenam, qua pauperes opprimis, digitum extendere, detrahendo et comminando: cum effuderis, per compassionem, repleveris, per necessariorum subventionem. Secundo promittit praemium: oriatur. Et primo quantum ad

bonorum multiplicationem, ponens liberationem a malis: orietur in tenebris, adversitas in lucem prosperitatis, ignorantia in lucem scientiae, vel peccatum in lucem scientiae mutabuntur, quantum ad spiritualia. Et requiem, quantum ad mala temporalia, 2 Cor. 4: Deus qui dixit de tenebris.

Multiplicationem bonorum interiorum spiritualium: implebit splendoribus, scilicet virtutibus vel consolationibus, et ossa tua, quantum ad corporalia.

Eccli. 30: splendidum cor et bonum; et bonorum exteriorum: et eris quasi hortus, propter prosperitatem, vel omnium bonorum indeficientiam.

Num. 24: quam pulchra tabernacula tua, Jacob. Secundo quantum ad patriae reaedificationem: et aedificabuntur, post reditum de captivitate, saeculorum, civitates, scilicet desertae in pristinis saeculis, suscitabis, supraaedificando antiquis fundamentis. Supra 44: qui dico jerusalem, habitaberis; et civitatibus Juda, aedificabimini. Tertio quantum ad famae restitutionem: et vocaberis aedificator sepium, idest impedimentorum peccati, iniquitatum, vel in quietem, scilicet semitas, peccati, in quietem convertens.

Oseae 2: sepiam vias tuas spinis.

Si averteris. Hic ponit consilium, quantum ad cultum religionis in observatione sabbati: et primo ponit consilium, pedem, ne opera prohibita facias. Vocaberis sabbatum, idest celebrans hujusmodi sabbatum, quantum ad exercitium bonorum operum. Exod. 20: memento ut diem sabbati sanctifices. Alia littera: vocaveris; et est sensus idem. Secundo ponit fructum: tunc delectaberis, quantum ad bona spiritualia; sustollam, reducendo in terram tuam, quae montuosa est; cibabo, quantum ad fruitionem bonorum terrae. Job 22: tunc super omnipotentem deliciis afflues.

Nota super illo verbo, quasi tuba exalta, quod praedicatio est tuba, primo quia excitat ad vitae statum. 1 corinth. 15: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti. Secundo quia hortatur ad bellum. 1 corinth. 14: si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? tertio quia nuntiat viri incessum. Supra 27: clangetur in tubis. Quarto quia vocat ad consilium.

Oseae 8: in gutture tuo sit tuba. Quinto quia invitat ad festum. Psal. 80: buccinate in Neomenia tuba.

Item nota super illo, si abstuleris de medio tui catenam, quod est catena. Primo pietatis.

Eph. Ult.: pro quo legatione fungor in catena ista. Secundo iniquitatis. Sap. 17: una enim tenebrarum catena omnes erant colligati.

Tertio paupertatis. Job 36: si fuerint vincti; quarto servitutis.

Jer. 28: catenas ligneas; quinto carceris. Eccl. 4: de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum.

|+59 Capitulo 59

Ecce non est abbreviata.

Hic ponit praeparationem ad salutem percipiendam ex parte ipsius salvantis: et primo ponit salutis necessitatem; secundo praeparationem, et vidit Dominus.

Circa primum duo. Primo in persona Domini necessitatem salutis ostendit, miseriam populi ostendens; in secunda respondet populus miseriam suam recognoscens, propter hoc elongatum.

Circa primum duo facit. Primo ostendit miseriam causam; secundo ipsam miseriam, vastitas et contritio. Circa primum duo. Primo excludit causam falsam, vel ex defectu virtutis Dei, vel ex defectu cognitionis ipsius, quia praeceps non audiret: neque aggravata, supra 50: numquid abbreviata.

Secundo astruit causam veram, scilicet ipsorum culpam. Primo tangens ipsam in generali: sed iniquitates, quantum ad majora, diviserunt, quasi murus, vel nubes sint posita, peccata, quantum ad communia. Deut. 32: ait: abscondam faciem meam ab eis. Secundo prosequitur in speciali: manus enim vestrae: et tangit specialiter peccata in proximum: peccata enim in Deum tetigerat supra 57, et peccata in seipsum supra 56. Tangit autem primo injustitiam per quam alios opprimebant, quantum ad operationem: manus vestrae sanguine: innocentum, quos occidistis, digiti, quantum ad minores injustitias, vel quantum ad diligentiam operationis.

Supra 1: manus enim vestrae sanguine plenae sunt. Quantum ad locutionem: labia vestra locuta... Iniquitatem, ut addatur iniustitiae deformitas supra deformitatem mendacii, job 6: non invenietis in lingua mea iniquitatem. Et quantum ad justitiae omissionem: non est qui iudicet, quantum ad praelatos, quorum est iudicare. Jer. 5: quaerite in plateis ejus an invenietis virum facientem iudicium.

Secundo tangit astutiam per quam decipiebant: et primo tangit ipsam, in quantum per astutiam intendebant sui promotionem: sed confidunt in nihili, in vanis consiliis, vel in idolis, et loquuntur, vanitatem cordis verbis exprimentes. Amos 6: qui laetamini in nihili. Et in quantum per ipsam intendebant aliorum oppressionem: conceperunt laborem; idest, ita laborare excogitaverunt vias nocendi; vel aliis laborem inducendum; pepererunt, in expletionem operis. Psal. 7: concepit dolorem, et peperit iniquitatem. Secundo adaptat quamdam metaphoram: et primo ponit ipsam quantum ad ipsam astutiam. Et quantum ad aliorum depressionem: ova aspidum, idest consilia venenosa ruperunt, in publico, opera scilicet perducentes.

Deut. 32: fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. Et quantum ad suam promotionem, et telas, idest cogitationes inutiles ad sui promotionem. Oseae 8: quoniam in aranearum tela erit vitulus Samariae. Ponit iterum metaphoram quantum ad effectum astutiae, quantum ad primum: qui comederit, consentiens factis, de ovis, consiliis, confotum, diu praeparatum sollicitate, in regulum, quasi a longinquis etiam interficiet

quodammodo volentem. Supra 14: de radice colubri; et quantum ad secundum, telae eorum; idest, sicut telae aranearum non valent ad vestimentum, ita eorum consilia ad nihil valent eis, nisi promoveantur. Supra 19: confundantur qui operantur linum, plectentes, et textentes qui operantur subtilia. Secundo exponit; et primo quantum ad eorum operationem: opera eorum inutilia, quantum ad unam partem, opus iniquitatis, quantum ad aliam. Supra 57: opera eorum non proderunt eis. Secundo quantum ad cogitationes: pedes eorum, idest affectiones quantum ad unam partem. Prover. 1: pedes eorum ad malum currunt: cogitationes, quantum ad aliam. Michaeae 2: vae qui cogitatis inutile. Vastitas.

Hic ostendit eis eorum miseriam: et primo ponit miseriae magnitudinem: vastitas, quantum ad damnum rerum, et contritio, quantum ad damnum personarum, in viis eorum; idest pro viis malis suis ab hostibus imminet eis.

Secundo miseriae aequitatem, ut scilicet talia patiantur qualia aliis faciunt: viam pacis, qua alios in pace ponerent: non est iudicium: rectum, et ideo semitae eorum, idest ea quae cogitaverunt, incurvatae, idest curvae eis factae sunt, quia quod aliis praeparabant, ipsi patientur. Omnis qui calcat, prosequendo, ignorat, scientia experimenti. Psal. 13: contritio et infelicitas in viis eorum.

Propter hoc elongatum est. Hic populus confitetur: et primo confitetur miseriam quantum ad hostium opprimentium iniustitiam: elongatum est iudicium, quia Deus non iudicat nos de nostris adversariis: contrarium supra 46: prope feci iustitiam meam. Quantum ad tribulationum angustiam, sub metaphora tenebrarum ponens ipsam tribulationis obscuritatem, expectavimus lucem, divinam consolationem, tenebrae, tribulationis. Supra 5: aspiciemus in terram; et consiliorum difficultatem, palpavimus, quasi nescientes quid facere. Supra 42: quis caecus nisi servus meus? et periculorum laesionem: impingimus meridie, in his in quibus erat clara via ad evadendum, in caliginosis, idest in dubiis. Job 5: per diem incurrent tenebras.

Confitentur etiam miseriam quantum ad cordis tristitiam: rugiemus quasi ursi, propter crudelitatem, quasi columbae, propter lasciviam. Nahum 2: gementes ut columbae. Et quantum ad salutis absentiam: expectavimus iudicium, pro nobis.

Ier. 8: expectabimus pacem. Secundo confitetur culpam: et primo culpae manifestationem quantum ad Deum: multiplicatae... Coram te: in evidentia tua. Heb. 4: omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. Et quantum ad ipsum populum: et peccata nostra responderunt in poenis, nobiscum quia non satisfacimus, nec correximus.

Supra 3: agnitio vultus eorum. Secundo peccatorem diversitatem contra Deum: peccare, opere, mentiri, locutione, aversi, omissione. Et contra proximum locutione: ut loqueremur calumniam, contra proximum. Et contra legem. Transgressionem.

Matth. 15: de corde exeunt cogitationes malae. Et quantum ad operationem, conversum iudicium, Dei ad salvandum nos. In platea, in publico iniustitias faciebant.

Qui recessit: non enim solum faciebant mala, sed nolentes facere depraedabantur. Os. 4: non est misericordia, Sap. 2: circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris. Et vidit Dominus.

Hic ponit salutis praeparationem ex parte salvantis: et primo ponit praeparationis divinae modum, loquens de Deo secundum humanum modum, ponens ipsius compassionem: et vidit Dominus, oculo misericordiae, iudicium, alicujus salvantis.

Vir, salvans Judaeos, aporiatum, contristatus vel angustiatum. Ez. 22: et quaesivi de his virum.

Ponens etiam armorum assumptionem: et salvabit sibi brachium, idest virtus, ut nihil contra patiat, vel populum ad cultum suum: iustitia confirmabit, ut ultionem constanter exequatur.

Indutus est iustitia: sicut enim miles confirmatur armis, ita opus suum confirmatur iustitia, et proposito salvandi. Ps. 97: salvavit sibi brachium.

Sap. 5: induet pro thorace iustitiam.

Ponens etiam vindictae executionem: insulis, diversis gentibus, vicem, pro malis quae Judaeis fecerunt. Dan. 6: timeant et paveant omnes Deum Danielis. Secundo ponit salvationis vel ultionis ministerium. Cum venerit quasi fluvius, propter magnitudinem virtutis et fortitudinis; vel Christus minister. Psalm. 45: fluminis impetus laetificat civitatem Dei. Tertio firmitatis pactum: hoc foedus meum, spiritus prophetiae.

Seminis tui, quantum ad alios prophetas et apostolos in quibus ejus spiritus, quasi hereditas per successionem seminis vadens. Joel. 2: effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae.

Nota super illo verbo, iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum, quod peccatum dividit primo a proximo per dissensionem. Luc. 11: omne regnum in seipsum divisum desolabitur. Secundo a seipso per contrariam affectionem. Oseae 10: divisum est cor eorum, nunc interibunt.

Tertio a Deo per aversionem. Jerem. 2: me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas. Quarto a regno per exheredationem, Luc. 12: dividet eum, etc.; quinto a sanctorum collegio per dissimilitudinem. Supra 56: separatione dividet me Dominus a populo suo.

Item nota super illo semitae eorum incurvatae, quod est curvitas primo culpae. Supra 51: incurvare, ut transeamus. Secundo miseriae. Ps. 37: miser factus sum ego, et incurvatus sum. Tertio tristitiae.

Baruch 2: anima quae tristis est super magnitudine mali, et incedit curva. Quarto fraudulentiae.

Eccli. 12: si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo. Quinto iustitiae. Job 9: Deus cuius irae nemo resistere potest, sub quo curvantur qui portant orbem.

Item nota super illo quasi fluvius violentus, quod Christus est fluvius violentus primo propter aquarum multitudinem. Psalm. 64: flumen Dei repletum est aquis. Secundo propter amoris fervorem. Daniel. 7: fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Tertio propter cursus velocitatem: psalm. 45: fluminis impetus laetificat civitatem Dei. Quarto propter originis altitudinem. Apoc. 22: ostendit mihi fluvium altum, etc..

|+60 Capitulus 60

Surge illuminare.

Hic incipit ponere salutis promissionem: et primo quantum ad prosperitatem; secundo quantum ad jucunditatem, cap. 61: spiritus Domini; tertio quantum ad gloriae honorem, cap. 62: propter sion.

Circa primum duo. Primo ponit consolationem in generali sub metaphora luminis, ponens ipsius luminis ortum: surge, de pristina miseria, illuminare, lumine consolationis ejus resplende. Gloria Domini, beneficia in quibus gloriosus apparet. Baruch 4: ambula per viam ad splendorem ejus contra lumen ejus. Vel jerusalem, ecclesia; lumen, Dei filius. Ponens discretionis in percipiendo lumine iudicium: quia ecce tenebrae, tribulationis populos, Babylonis, et alios hostes; super te autem orietur, quasi sol illuminans te. Sap. 17: solis illis superposita erat gravis nox, et imago tenebrarum.

Vel tenebrae, infidelitatis et peccatorum, populos, infideles. Orietur, quasi sol justitiae: vel ad litteram, ejus gloria, miracula ejus. Ponit etiam luminis effectum: et ambulabunt gentes, ad cognitionem et devotionem Dei, videntes beneficia tibi a Deo data, in splendore ortus tui, quasi oriens, rutilans sicut stella. 2 Mach. 3: cum sancta civitas. Vel in lumine, in fide Christi.

Apoc. 21: ambulabunt gentes.

Secundo exequitur consolationem per partes: et primo promittit multiplicem prosperitatem; secundo justitiae observationem, et ponam.

Circa primum duo. Primo ponit prosperitatis statum; secundo restitutionis modum, quo scilicet in prosperitate restaurabunt, qui sunt isti. Circa primum tria. Primo promittit prosperitatem quantum ad congregationem filiorum, qui primo in diversas partes per captivitatem dispersi erant. Leva in circuitu...

De latere, de regionibus propinquis lateribus.

Baruch 5: surge jerusalem, et sta in excelso, et circumspice ad orientem, et vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem.

Vel referendum est ad congregationem diversarum gentium sub unitate ecclesiae. Filii, in fide fortiores, filiae, debiliores, de latere, Christi in cruce aperto, unde sacramenta salutis emanaverunt.

Vel lac sugent, rudioris doctrinae. Secundo quantum ad servitium populorum: tunc videbis...

Quando conversa, serviens tibi in mercimoniis, multitudo maris, scilicet negotiatores maris, fortitudo, reges et principes, tibi pacem ministrantes, et munera. Vel de conversione gentium ad ecclesiam.

Job 22: tunc super omnipotentem deliciis afflues. Tertio quantum ad copiam divitiarum: et primo quantum ad mercimonia ponens jumenta: inundatio, idest abundantia ad similitudinem aquae, camelorum, quibus mercimonia ferebantur; in quibus mystice divites ad fidem conversi, qui portant onus divitiarum et gibbum peccati: supra 30: portantes super humeros; dromedarii, animal camelo minus, sed velocius; in quo gentes ad fidem velociter conversae: Madian et epha, regiones ultra mare talibus abundantes.

Ponit etiam pretiosa mercimonia: omnes de Saba, civitas in extremis Aethiopiae. Quod etiam impletum est tempore Christi: Matth. 2. Psal. 71: reges tharsis et insulae munera offerent.

Secundo quantum ad munda animalia, secundum quod cedebant in usum ciborum: omne pecus cedar, filius Ismaelis, unde terra nomen habet, pecoribus abundans, nabajot, alius filius, ministrabant, cedentes in usum tuum, venditi populo qui est in te.

Et secundum quod cedebant in usum sacrificiorum: offerentur super placabili, idest in quo ego placer. Per altare significatur fides; per arietes duces gregis, apostoli et ecclesiarum praelati; per pecus simplices. Aggaei 2: implebo domum istam.

Nota super illo verbo, illuminare jerusalem, quod ecclesia illuminatur lumine, primo sacrae doctrinae.

Proverb. 6: mandatum lucerna est, et lex lux. Secundo spiritualis intelligentiae. 2 Cor. 4: Deus qui dixit lumen in tenebris splendere, tertio gratiae. 1 joan. 1: si autem in luce ambulamus sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem. Quarto gloriae. Psal. 35: in lumine tuo videbimus lumen.

Quinto laetitiae. Tobiae 5: quale gaudium est mihi qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video? sexto divinae substantiae. 1 Tim. Ult.: qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem.

Qui sunt isti. Hic ostendit modum veniendi in dictam prosperitatem: et primo quantum ad civitatis restorationem; secundo quantum ad populorum extraneorum subjectionem, et venient ad te; tertio quantum ad divitiarum multiplicationem: pro aere afferam aurum. Circa primum duo. Primo (ponit) restorationem civitatis quantum ad adunationem habitatorum, ponens veniendi modum sub admiratione. Ut nubes, quia velociter sine impedimento, et quasi columbae ad fenestras, idest ad foramina sua, propter idem. Vel referendum est ad gentes quae ad fidem velociter conversae sunt.

Psalm. 54: quis dabit pennas sicut columbae, et volabo, ut requiescam. Ponens etiam ad veniendum auxilium, quod a gentibus habuerunt: me etenim insulae, gentes diversae juxta mare, et etiam remotae, expectabant, quasi

subditae meae voluntatis arbitrio, a principio, loci in quo captivi detinentur: quia forte aliqui per mare redierunt, vel Dominus sic eos reducere poterat. Vel mystice insulae, diversae gentes, naves, ecclesiae, in principio, fidei. Supra 42: legem eius insulae. Ponens etiam venientium thesaurum, quem secum detulerunt, argentum. Nominis, idest ad gloriam et servitium nominis. Psalm. 104: eduxit eos cum argento et auro. Mystice argentum, eloquentia, aurum, sapientia conversorum ad fidem. Secundo ponit restaurationem civitatis quantum ad aedificationem murorum, et aedificabunt: et primo quantum ad aedificia civitatis; secundo quantum ad aedificia templi, gloria Libani.

Circa primum duo. Primo ponit civitatis reaedificationem: et aedificabunt, praebendo auxilium, reges, Cyrus et Darius, praebendo impensas, et licentiam aedificandi. Mystice gentiles ecclesias Dei aedificant et reges ecclesiae serviunt.

Supra 49: reges videbunt. Et adjungit rationem ex divina miseratione: in indignatione percussi, captivavi, misertus, liberando. Mystice percussi per excaecationem Judaeorum, vel tribulationibus; misertus, per conversionem gentium, vel in pace ecclesias restitutas. Supra 54: in momento indignationis abscondi parumper faciem meam. Secundo ostendit civitatis reaedificatae securitatem, et aperientur, cessante timore hostium, et propter necessitatem venientium ad adorandum in jerusalem; et hoc est ut afferatur.

Mystice portae, ministri qui alios in fidem et ecclesiam introducunt, parati in prosperis et adversis ad recipiendum conversos ad fidem. Apoc. 21: portae ejus non claudentur. Et assignat rationem. Gens enim.

Hoc non videtur impletum ad litteram, nisi intelligatur, illos Judaeos fuisse qui ejus dominium recognoscebant, et propterea a populo Dei venerabantur; sed mystice sensus patet.

Ier. 27: gens et regnum. Gloria Libani. Hic ponit reaedificationem aedificiorum templi: gloria Libani, quae est abies, locum, scilicet templum, pedum, in quo adoror, sicut reges ad pedes. Ez. 43: locus solii mei.

Mystice per locum ecclesia, per diversas arbores diversi fideles conversorum ad fidem.

Et venient.

Hic ostendit modum consequendi dictam prosperitatem quantum ad subjectionem populorum: et primo ponit ipsam subjectionem, et venient ad te: quod impletum est temporibus Machabaeorum, qui multos de vicinis hostibus subjugaverant. Mystice filii tyrannorum quondam ecclesiam persequentium, ecclesiae famulantur. Psalm. 109: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Supra 1: post hoc vocaberis.

Secundo ponit subjectionis rationem: pro eo quod fuisti, justum est ut post angustias consoleris, in superbiam, altitudinem, saeculorum, per multa saecula: quod etiam mystice ecclesiae convenit.

Tob. 3: post tempestatem tranquillum facit.

Tertio ponit subjectionis utilitatem: et suges; idest, pinguedo terrae ad te in mercimoniis deferetur, et oblationibus, mamilla, defensione, in auxilio, regum, tyri. Dan. 4. Per lac mystice simplicium doctrina, per reges apostoli. Supra 49: erunt reges nutritii tui. Pro aere. Hic ponit modum restaurationis quantum ad restaurationem divitiarum: quia multo majora a regibus templo offerentur, quam per Nabuchodonosor ablata sint. Mystice, qui prius erant viles, in ecclesia efficiuntur pretiosi. Supra 55: pro saluenda orietur.

Et ponam. Hic promittit justitiae observationem: et primo in praelatis; secundo in subditis, et complebuntur. Circa primum duo. Primo consolatur eos ex praelatorum rectitudine, tangens justitiam praelatorum, visitationem, visitatores et correptores. Mystice de Christo et apostolis. Jer. 3: dabo tibi pastores.

Ponens etiam justitiae effectum quantum ad absentiam malitiae: non audietur iniquitas, quia per aliquod tempus leges optime observabantur: 2 Mach. 3: vel iniquitas, idolatria. Mystice ad statum futurae beatitudinis. Psalm. 102: quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Et quantum ad absentiam miseriae vastitas, quantum ad res; contritio, quantum ad homines ab hostibus sic collisos; portas, in quibus populus conveniebat ad judicia. Hoc etiam mystice ad statum futurae beatitudinis, quando licet sol multo clarior sit quam modo et luna: tamen non sanctis, quia eorum splendore non egent.

Apoc. 21: tunc non egent splendore solis.

Ponit etiam gubernantis aeternitatem: non occidet sol, qui est Deus. Psalm. 101: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Et complebuntur.

Hoc quantum ad statum subditorum: et primo ponit tristitiae cessationem: et complebuntur luctus, captivitas. Mystice in futura beatitudine.

Apoc. 21: absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum. Supra 25: aufert lacrimam.

Secundo ponit justitiae observationem: populus autem; ad glorificandum me. Supra 43: omnem qui invocat nomen meum.

In perpetuum, quamdiu in justitia permanent.

Sed mystice planum est de sanctis beatis.

Tertio seminis multiplicationem: minimus, idest, ex uno tot per successionem nascentur, sicut ex Abraham una gens. Mystice unus de ecclesia in gentem, praeficietur in praelatum. Ps.: judicabunt sancti in nationibus. In tempore ejus, idest Christi, vel praefinito tempore. Subito, quasi non praevium, istud totum quod dictum est.

Nota super illo verbo, qui sunt isti qui ut nubes et quasi columbae, quod apostoli dicuntur nubes primo propter terrae fertilitatem, scilicet ex pluvia. Job 37: frumentum desiderant nubes.

Secundo propter luminis diffusionem. Eodem: nubes spargunt lumen suum; tertio propter motus velocitatem, eodem: quae lustrant cuncta per circuitum. Quarto propter divinae voluntatis impletionem. Eodem: quocumque voluntas gubernantis duxerit. Item dicuntur columbae primo propter cordis compunctionem.

Nahum 2: gementes ut columbae. Secundo propter vitae simplicitatem. Matth. 10: estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.

Tertio propter contemplationis altitudinem, vel velocitatem. Psal. 54: quis dedit mihi pennas sicut columbae et volabo, et requiescam; quarto propter conscientiae puritatem. Cant. 5: oculi tui sicut columbae. Cant. 4: oculi tui columbarum.

|+61 Capitulus 61

Spiritus Domini super.

Hic promittit populo jucunditatem. Et dividitur in duas partes. In prima gaudium promittit; in secunda populus promissionem suscipit, et gratias agit, ibi, gaudens gaudebo in Domino.

Circa primum duo. Primo officium ad annuntiandum gaudium accipit; secundo gaudii rationem seu materiam praedicat: et vocabuntur.

Circa primum duo. Primo tangitur prophetiae donum: spiritus Domini super me, Isaiam, unxerit, replens munere prophetiae. 2 Petri 1: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati loquuntur sancti Dei homines. Vel de Christo, de quo supra 11: requiescet super eum spiritus Domini.

Et in psalm. 44: unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis prae consortibus tuis.

Luc. 4: haec Scriptura hodie. Secundo tangitur prophetae vel Christi actus, qui est duplex: bonis praedicere praemia, ad annuntiandum: Jacobi 1: in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras: et miseris conferre remedia. Quantum ad illos qui sunt pusillanimitate dejecti: ut mederer, consolando, vel peccata remittendo, si de Christo.

Psal. 146: qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum. Et quantum ad illos qui erant captivitate detenti, quibus annuntiat liberationis beneficium: et praedicarem captivis, ad litteram; vel sub diabolo, et propriis erroribus.

Supra 49: ut diceris his qui vincti sunt, exite.

Et liberationis tempus: et praedicarem annum placabilem, quantum ad liberationem Judaeorum, ultionis, quantum ad chaldaeos. Vel tempus gratiae, in quo de diabolo ultionem accepit ejus potestatem reprimens. Joan. 12: nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.

Ps. 64: benedices coronae, et Ps. 101: quoniam venit tempus.

Et quantum ad eos qui sunt tristitia absorpti, quibus annuntiat gaudium: ut consolarer omnes, generaliter, ut ponerem, specialiter.

Eccl. 48: spiritu magno vidit ultima. Et gaudii signum, dum signa tristitiae vertuntur in signa laetitiae, et hoc est, et darem eis. Supra 28: in die illa erit Dominus corona gloriae. Et vocabuntur.

Hic praedicat gaudii materiam: et primo quantum ad aedificiorum reparationem ponens reaedificantium conditionem: vocabuntur in ea, scilicet jerusalem, praecepto et permissione Cyri, fortes justitiae, ad faciendum justitiam constantes, non commoti comminationibus adversariorum; vel apostoli. Eccl. 39: quasi rosa plantata.

Et aedificiorum reparationem et aedificabunt, praedicti viri, vel apostoli. Supra 58: et aedificabuntur in te deserta saeculorum.

Secundo quantum ad possessionum conservationem.

Et stabunt alieni. Hoc ad litteram potuit impleri, ut aliqui advenae in his vilibus servitiis occuparentur, sicut de gabaonitis: Os. 9: vivant et in usus. Vel mystice gentiles praedicatores postea simplices ecclesiae et custodiunt et excolunt ipsam ecclesiam meritis et doctrinis.

Nota super illo verbo, unxerit me, quod Christum ungit Deus pater primo oleo sacerdotalis dignitatis, quasi sacerdotem ad sacrificia offerendum.

Eccl. 45: unxit eum oleo sancto. Secundo regalis potestatis, quasi regem ad gubernandum. 2 Reg. 12: ego te unxi regem et principem populi mei. Tertio immensae fortitudinis, quasi pugilem ad pugnandum. 2 Reg. 1: quomodo abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul et jonathae, quasi non sit unctus oleo? quarto eminentis jucunditatis, quasi liberalem ad miserendum.

Psal. 111: jucundus homo qui miseretur et commodat. Psal. 44: unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis. Item Christum ungit servus devotus primo lacrymis compunctionis.

Matth. 6: unge caput tuum, et faciem tuam lava. Secundo unguento devotionis. Lucae 7: haec autem unguento unxit pedes meos.

Tertio oleo purae intentionis. Eccl. 9: omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat. Quarto oleo laudis et gratiarum actionis. Gen. 28: surgens Jacob mane sumpsit lapidem et erexit in titulum, fundensque oleum desuper etc..

Vos autem sacerdotes. Hic praedicat materiam gaudii quantum ad hominum gloriam: et circa hoc tria facit. Primo ostendit gloriae perfectionem, quia gloriosi in spiritualibus, sacerdotes, quasi vitam sanctam sacerdotio dignam ducentes. Sicut 2 Reg. 8: de filiis David, Sap. 5: quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors

illorum est. Gloriosi, etiam in temporalibus: fortitudinem, idest reficiemini, sustentabimini fortitudine Persarum et medorum.

Superbietetis, exaltabimini. Supra 60: quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Mystice apostoli sacerdotes, quasi gentium Magistri, et fortitudine martyrum delectati. Et assignat perfectionis rationem: pro confusione: quasi: ex defectu spiritualium et temporalium, confusionem habuistis. Laudabunt, vicini videntes, partem, recompensationem duplicium bonorum a Deo eis factam. Zachariae 9: hodie quoque annuntians, duplicia reddam tibi. Mystice ecclesia praemia in bonis animae et corporis recipit pro duplici confusione de gentium et Judaeorum infidelitate.

Secundo tangit gloriae durationem. Laetitia sempiterna. Verum est quamdiu in justitia permanserint, sicut exponitur jerem. 18. Supra 35: laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam obtinebunt. Et assignat rationem: quia ego Dominus. Et est sensus: per hoc quod Dominus diligit justitiam, dabit vobis ut sitis justii, ut sic placeat sibi; et faciet vobiscum pactum sempiternae laetitiae. Odio: Eccl. 34: qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium suum in conspectu patris sui.

Foedus perpetuum. Jer. 31: et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum. Tertio gloriae divulgationem, et scietur; quod est referendum vel ad Judaeos qui fuerunt famosi de cultu religionis, vel ad semen spirituale apostolorum.

Eccli. 44: usque in aeternum. Gaudens gaudebo.

Hic populus promissionem suscipit, et gratias agit. Et circa hoc duo facit. Primo exprimit in persona populi, vel ecclesiae, cordis gaudium, gaudens. Habac. 3: ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. Secundo confitetur divinum beneficium: et primo sub similitudine vestimentorum, inquantum divina beneficia protegunt a miseriis: quia induit me vestimentis salutis, supra 52: induere vestimentis jucunditatis tuae. Secundo sub similitudine ornamentorum, inquantum ornant: quasi sponsam, mystice quantum ad perfectos in ecclesia vicem Christi agentes, sponsam, quantum ad imperfectos.

Bar. 5: circumdabo te diploide. Tertio sub similitudine germinum, quantum ad fructum: sicut enim terra. Supra 35: germinans germinabit.

|+62 Capitulus 62

Propter syon.

Hic promittit populo gloriae honorem: et primo ponitur prophetae petitio; secundo Domini promissio: juravit Dominus. Circa primum duo. Primo ipse petit; secundo alios ad petendum inducit, qui reminiscimini. Circa primum duo. Primo ipse petit ad hoc salvatoris ortum.

Propter sion, scilicet utilitatem, vel amorem, non tacebo, a precibus apud Deum: salvator, Cyrus: ut splendor, in gloria regni. Mystice non tacebo, a praedicatione Christi propter contradictionem; sion, regis; jerusalem, sacerdotum; salvator, Christus. Dan. 10 facies eius ut species.

Secundo ostendit adventus fructum. Primo quantum ad civitatis gloriam, promittens ipsam gloriam in tribus. In dignitate regis: et videbunt, admirantes et venerantes, justum, Christum vel Cyrum.

Ps. 97: viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri. In novitate nominis, et vocabitur, more antiquorum, qui ex novis eventibus nova nomina imponebant. Et hoc nomen postea exprimet.

Mystice ecclesia, quae prius synagoga.

Apoc. 2: dabo illi calculum. In munimine divinae protectionis: eris corona gloriae: quia gloriabitur in te Deus tuus, sicut rex in corona regni in manu, idest in protectione sua.

Sap. 5: accipiens regnum speciei. Mystice ecclesia quasi corona Dei filius, a patre coronatur. Et excludit ignominiam, in quo etiam nomen novum exprimit, non vocaberis. Ez. 36: pro eo quod dicunt de vobis, etc.. Secundo quantum ad habitantium laetitiam: et quantum ad pueros, habitabit juvenis; et quantum ad viros perfectos, et habitabunt; et quantum ad conjugatos, et gaudebit. Ier. 33: adhuc audietur in loco, etc.. Mystice juvenis cum virgine, caste, sicut maria cum joseph; sponsus, Christus, sponsam, ecclesiam. Tertio quantum ad aedificiorum diligentem custodiam, quae exprimitur 2 esdrae 4: una manu aedificabant, et alia pugnabant. Super muros non tacebo: loquitur secundum similitudinem vigilum qui custodiunt civitatem: vel per metaphoram designat diligentiam principum, qui populum gubernaverunt, vel praedicatorum in ecclesia. Apoc. 4: requiem non habebant clamantia: sanctus, sanctus.

Qui reminiscimini.

Hic alios ad similem petitionem inducit.

Ne taceatis, ab oratione ei, Deo 1 Thess. 5: semper gaudete, sine intermissione orate.

Juravit.

Hic Dominus promittit implere petitionem: et primo quantum ad hostium propulsionem, si dedero: supple, non credatis mihi. Prov. 28: qui operatur terram, et non comedit fructum ex ea.

Secundo quantum ad captivorum liberationem. Quantum ad praeparationem viae, transite, vos nuntii Cyri et Darii; lapides, impedimenta. Jerem. 50: tollite de via lapides. Vel vos custodes murorum, praedicatorum. Quantum ad concessionem laetitiae, elevate signum, edictum Cyri ut omnes redirent, vel signum crucis.

Supra 11: levabit signum in nationibus. Et quantum ad retributionem justitiae: dicite filiae, plebi Judaeorum, salvator, Deus vel Cyrus, merces, ut vobis bona, et hostibus mala reddantur. Mystice de adventu Christi ad iudicium.

Supra 40 idem. Tertio, ibi, et vocabunt, ponit liberatorum honorem, qui in magna fama sanctitatis habebantur, propter beneficia eis praestita.

Supra 1: post hoc vocaberis.

Mystice de ecclesia et populo christiano.

Nota super illo verbo, propter sion non tacebo, quod sancti non tacent primo propter accensum desiderium. Jer. 20: et factum est in corde meo verbum Domini, quasi ignis aestuans. Secundo propter evidens verum. Act. 4: non enim possumus quae vidimus; tertio propter injunctum officium. 1 Cor. 9: necessitas mihi incumbit: vae enim mihi est, si non evangelizavero.

Quarto propter expectatum praemium.

Gal. Ult.: bonum enim facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.

Item super illo verbo, donec egrediatur ut splendor, quod Christus splendet primo patris imagine. Heb. 1: cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus. Secundo sanctorum lumine. Psalm. 109: in splendoribus sanctorum ante Luciferum genui te. Tertio gloriae plenitudine. Matth. 17: resplenduit facies ejus sicut sol. Quarto doctrinae rectitudine.

Supra 60: ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.

|+63 Capitulus 63

Quis est iste.

Hic incipit tangere discretionem malorum a bonis in consecutione promissae salutis. Et dividitur in partes tres. In prima introducit iudicem, quasi ad discernendum; in secunda proponit iudici petitionem, ibi, miserationum; in tertia iudex pronuntiat sententialiter discretionem, 65 cap.: quaesierunt me.

Circa primum duo. In prima movetur quaestio de persona iudicis; in secunda de qualitate habitus, quare ergo rubrum? circa primum duo. Primo ponit quaestionem; secundo responsionem, ego qui loquor.

Sciendum autem, quod omnes sancti communiter haec exponunt de Christo. Et quaestio ista est Angelorum, qui quidem ad plenum mysteria incarnationis Christi non intelligebant; et ideo quasi ignorantes quaesierunt, secundum quod dicit Hieronymus. Cui contrarium videtur dicere Augustinus super genes., ubi dicit, quod Angeli a principio creationis suae cognoverunt omnia quae ipse erat facturus, sive rerum rationes seminales rebus indiderit, sive apud se tantum retinuerit ut fierent, quamvis rebus inessent ut fieri possent. Et sic videtur quod huiusmodi mysteria cognoverint.

Ad quod solvit Glossa Eph. 3, super illud: mihi autem omnium sanctorum, etc.. Et dicit, quod majores cognoverunt; sed minores, quorum est vox ista, ignoraverunt. Dionysius tamen aliter videtur dicere, 7 cap. Caelest. Hier.; vult enim quod haec quaestio sit supremorum Angelorum, qui a Deo immediate illuminationes recipiunt. Unde eis immediate respondetur a Deo: ego qui loquor; quamvis ipsi propter reverentiam Christi, a se invicem quaerent, sicut discipuli expectantes Magistri responsionem.

Quamvis autem supremi Angeli sciverint huiusmodi mysteria quantum ad substantiam facti, tamen quantum ad particulares circumstantias non perfecte sciebant. Unde etiam minus videntur a superiori intellectu perfecto, scilicet divino, quam angelico, unde super hoc magis illuminari quaerebant, ut perfectius intelligerent. Mirantur autem tria. Primo victoriosum adventum: qui venit, in caelum, de edom, mundo, interpretatur enim sanguineus, vel terrenus; de bosra, inferno, prius munito custodia Daemonum. Bosra quandoque est nomen proprium cujusdam civitatis in terra Moab, quandoque nomen appellativum, et est idem quod terra vel urbs munita. Unde frequenter ponitur pro terra idumaea munita montibus; hic autem pro jerusalem, vel inferno. Vestibus, idest membris corporeis, tinctis, sanguine passionis. Supra 34: ecce super idumaeam descendet, et super populum interfectionis meae, ad iudicium. Secundo mirantur in ipso decorum aspectum: iste formosus, a forma calidum et sic est aliquis formosus qui propter calorem excitatur; vel a forma; et sic dicitur formosus, propter figuram, idest debitam commensurationem membrorum, in stola, habitu humanitatis. 1 Pet. 1: in quem desiderant Angeli prospicere. Tertio cunctantur virtuosum incessum, gradiens, in caelum, non auxilio angelico, sed sua virtute; quod hactenus inauditum. Heb. 1: portans omnia verbo virtutis suae. Ego. Hic ponit responsionem, et ostendit se iudicem: qui loquor justitiam, idest qui habeo auctoritatem iudicium gentibus proferendi: supra 42; doctorem, supra 45: ego Dominus loquens justitiam: et salvatorem: et propugnator, contra Daemones, ad salvandum, genus humanum. Exod. 15: fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

Eodem: Dominus quasi vir pugnatore, omnipotens nomen ejus.

Nota super illo verbo, iste formosus, quod Christus est formosus, primo quia rutilans splendore divinitatis. Heb. 1: cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus. Secundo quia figuratus conformitate unionis. Psal. 44: speciosus forma prae filiis hominum. Tertio quia distinctus diverso colore virtutis. Cantic. 5: dilectus meus candidus et rubicundus; quarto quia vestitus honestate conversationis. Job 40: esto gloriosus, et speciosus induere vestibus.

Quare ergo rubrum? hic ponit secundam quaestionem de habitu: et primo ponit quaestionem, quare ergo? ac si diceret: hujusmodi sanguinis insignia non justi, sed iniqui deferre consueverunt; non salvatores, sed potius occisores.

Quasi calcantium: est enim vinum rubrum in partibus illis, quod tingit in modum sanguinis.

Zach. 3: indutus erat.

Secundo ponit responsionem, torcular: et primo assignat ruboris rationem; secundo prosequitur totum rei ordinem, dies ultionis.

Circa primum tria. Primo narrat singularem victoriam: torcular, scilicet crucem in qua pondere passionis pressus, hostes, calcavi solus, patiens, et vincens; et de gentibus non est vir mecum, in auxilium, quia eo relicto omnes fugerunt. Et dicit signanter, vir, propter beatam virginem, in qua fides nunquam defecit. Can. 1: botrus cypri dilectus meus mihi in vineis engaddi.

Thren. 1: torcular calcavit. Secundo tangit hostium vindictam: calcavi eos, Daemones, vel Judaeos, furor, ira accensa. Ps. 90: super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Tertio quasi concludit ruboris causam: et aspersus est sanguis, meus, quia de corpore meo exiens, eorum, quia eorum potestati concessus ad effundendum. Loquitur secundum similitudinem victoris, cujus vestes caede inquinantur. Supra 9: vestimentum mixtum sanguine. Inquinavi, eorum reputatione.

Dies ultionis. Hic prosequitur totum rei ordinem: et primo ponit temporis congruitatem: ultionis, quantum ad Daemones retributionis, quantum ad justos, quorum merces usque tunc dilata erat. Supra 34: dies ultionis Domino. Secundo proponit salutis necessitatem: circumspexi, et non erat auxiliator, humano generi qui posset ipsum salvare, supra 59: vidit quia non est vir; vel non erat auxiliator, mihi in cruce. Job 19: fratres mei elongaverunt a me, et noti mei recesserunt a me. Ps. 141: considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me. Eccli. 51: circumdederunt me undique.

Tertio salutis impletionem: et salvavit, idest salutem resurrectionis fecit mihi, vel salutem humani generis, brachium, virtus.

Ps. 97: salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus. Quarto vindictae expositionem: et conculcavi populos, Judaeos per Romanos, inebriavi, replevi afflictione, eorum, Judaeorum, et Daemonum. Supra 23: Dominus exercituum tetigit hoc. Posset autem exponi totum ad litteram, ut induceretur Dominus metaphorice, quasi veniens ad delendos diversos populos hostes Judaeorum, et praecipue idumaeos, secundum modum metaphoricum qui habitus est. Supra 59: indutus est justitia ut lorica. Miserationum Domini. Hic propheta iudici qui justitiam locuturus et impleturus venit, petitionem porrigit: et primo inclinatur ipsum ad pietatem, (secundo) porrigit petitionem, 64 cap.: utinam dirumperes.

Prima in duas. In prima inclinatur ad pietatem commemorans pristina beneficia quae defecerunt; in secunda, pericula quae incurrerunt, quare errare. Circa primum duo. Primo proponit intentum, quae reddidit, pro nostris meritis, tam in bonis, quam in malis poenae, bonorum, quae gratis dedit. Eccli. 51: memoratus sum misericordiae tuae, Domine.

Secundo prosequitur propositum: et primo commemorat beneficia, quantum ad evasionem periculorum, commemorans singularem electionem: et dixit, scilicet Deus: verumtamen, quamvis ipsi contra me essent, non negantes, scilicet Abraham.

Vel non negantes, quia saltem fidem meam tenent.

Exod. 15: fortitudo mea et laus mea Dominus. Et quantum ad diligentem protectionem, in omni tribulatione. Et ipse est tribulatus, per compassionem: vel non est, statim, sed distulit etiam nunc, ut quasi corrigerentur: et Angelum faciei, idest faciem meam videns, salvavit, quasi dux eorum per desertum.

Exod. 32: duc populum istum, Ps. 90: Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis. Et quantum ad paternam dilectionem: in dilectione redemit, ab Aegypto; portavit, in deserto; levavit, idest extulit, super alios in terra promissionis.

Os. 11: puer Israel. Secundo tangit beneficia quantum ad remissionem culparum: et primo ponit culpam: ipsi autem afflixerunt spiritum ejus, scilicet Dei, vel sancti, Moysi, per diversa jurgia. Ps. 105: et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus. Secundo ponit poenam: et conversus est, scilicet Deus.

Thren. 2: factus est Dominus velut inimicus.

Iob 30: mutatus est mihi in crudelem.

Tertio ponit indulgentiam. Et recordatus, tandem Moysi, qui pro eis oravit. Exod. 32: aut dimitte eis, aut dele me de libro in quo me scripsisti.

Ps. 104: memor fuit in saeculum testamenti ejus, verbi quod mandavit in mille generationes.

Nota super illo verbo, torcular calcavi, quod de torculari crucis fluxit primo sanguis ad redimendum. 1 Pet. 1: non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine Jesu Christi. Secundo aqua ad emundandum. Ps. 77: eduxit aquam de petra. Ezech. 36: effundam super vos aquam mundam. Tertio oleum ad sanandum.

Job 29: petra fundebat mihi rivus olei.

Quarto mel ad consolidandum. Deut. 32: ut sugeret mel de petra. Quinto vinum ad confortandum.

Prov. 3: vino torcularia redundabunt.

Ubi est qui eduxit? hic plangit eadem beneficia eis subtracta: et primo plangit beneficiorum defectum: ubi est qui eduxit? Moyses, vel Deus, cum pastoribus, maria et Aaron. Sap. 10: deduxit eos in manibus. Ubi est.

Spiritus sancti sui? Moysi; quod legitur Num. 11: ad dexteram, prospere. Qui scidit, ubi est spiritus? Ps. 135: qui divisit mare rubrum in divisiones. Et ubi est qui eduxit, quasi equum scilicet sine impedimento; descendens, inoffenso curru, eius, populi. Sapient. 19: et in mari rubro via sine impedimento. Prov. 3: ambulabunt fiducialiter, Iud. 6: ubi sunt mirabilia eius. Secundo inclinatur iudicis affectum: et primo petit audientiam: attende de caelo. 3 Reg. 8: tu exaudies de caelo. Secundo provocat ad misericordiam.

Ubi est zelus? quo dilexisti nos. Ps. 88: ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine? iob 12: si continuerit aquas. Tertio proponit miserendi causam: tu enim pater noster, Abraham nescivit nos, adhuc vivus, quia nec nos tunc eramus. Vel etiam modo, nolens orare pro nobis, quia non invocamus ipsum. Vel, secundum Augustinum, quia mortui, etiam sancti, nesciunt quid agatur erga vivos. Sed hoc intelligendum est quantum ad virtutem cognitionis humanae, non quantum ad irradiationem divini luminis.

Deut. 32: ipse enim est pater tuus, qui possedit te, fecit te et creavit te. Quare errare? hic proponit mala quae incurrerunt. Et primo quantum ad mala culpae. Errare de viis, mandatis, fecisti, permittendo, non immittens gratiam, et non corrigens, indurasti, permisisti. Rom. 9: cuius vult miseretur, et quem vult indurat. Secundo proponit mala poenae: et primo petit misericordiam: convertere, de ira ad misericordiam, propter servos, patres nostros. Ps. 89: convertere, Domine, usquequo, et deprecabilis esto super servos tuos.

Thren. Ult. Convertite nos, Domine et convertemur; innova dies nostros sicut a principio.

Secundo proponit miseriam quantum ad servitutem: quasi nihilum, idest sine resistentia. Supra 26: Domine Deus noster, possederunt nos Domini absque te. Quantum ad sanctorum profanationem.

Et hostes nostri; 1 Mach. 2: sancta in manu; quantum ad honoris pristini amissionem, facti sumus, sine rege sine templo, in principio, in Aegypto, vel etiam ante vocationem Abrahae. Jer. 14: tu autem in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos: ne derelinquas nos, Domine.

|+64 Capitulus 64

Utinam dirumperes.

Hic porrigit petitionem et primo petit iudicis praesentiam; secundo petit misericordiam, ecce tu iratus. Circa primum duo.

Primo ponit petitionem; secundo petitionis impletionem, descendisti.

Circa primum duo. Primo petit iudicis adventum, dirumperes: figurative loquitur, quasi super caelos habitanti; vel exinanires temetipsum, despiciens majestatem, et carnem assumes. Ps. 143: inclina caelos tuos, et descende. Secundo ponit adventus effectum in creaturis insensibilibus, scilicet in montibus: a facie tua montes: quasi dicat, non sustinentes praesentiam tuam, si tibi placeret.

Vel montes, potentes, et superbi. Supra 34: tabescent montes. In aquis, aquae arderent, quia totus igneus es, si velles. Sapient. 16: quodam tempore aqua super virtutem ignis exardebat. Vel per aquas, populi. Apoc. 17. Aquae multae, populi multi. Secundo effectum in hominibus: et primo in gentibus, a facie tua. Ps. 64: turbabuntur gentes.

Ad litteram, commovebuntur. Vel referendum ad conversionem gentium post Christi adventum.

Secundo in Judaeis: cum feceris; non sustinebimus, idest nos, qui consueti sumus, videre, et audire prae stupore; sicut territi fuerunt, Exod. 20. Unde Hebr. 12: excusaverunt se, etc.. Vel non sustinebimus, adventum, credentes etiam visis miraculis. Descendisti.

Hic ponit petitionis impletionem: et primo quantum ad adventum, descendisti, ad iudicandum nos: praeteritum pro futuro. Vel in uterum virginis. Vel melius, secundum litteralem sensum, ponit effectus probationem; quasi dicat: si modo descenderes, haec contingerent quae etiam contigerunt quando descendisti ut liberares populum tuum de Aegypto. Exod. 4. Ps. 17: inclinavit caelos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus. Secundo quantum ad effectum. Primo in miraculis: a facie tua montes, scopuli Arnon, Num. 21. (Ps. 113) montes exultaverunt. Mystice Judaei, vel Daemones.

Secundo in beneficiis. Et primo ponit beneficiorum magnitudinem: a saeculo non audierunt: quia nunquam similia visa vel audita, qualia Deus Judaeis fecit: et sanctis in gloria faciet. 1 corinth. 2: oculus non vidit nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. Secundo quantum ad benefaciendi promptitudinem: occurristi laetanti, in auxilium, dum adhuc erat in petendo, vel veniendo ad te: laetanti, in te. Sap. 6: dignos se sapientia. Mystice simeoni. Luc. 2: ecce tu iratus. Hic ponit misericordiam: et primo ostendit petendi necessitatem; secundo porrigit petitionem, et nunc, Domine.

Circa primum duo. Primo ostendit necessitatem ex eminentia mali quantum ad culpam; tum ex malorum perpetratione: ecce tu iratus, et peccavimus: praeposterus ordo: ideo iratus, quia peccavimus: et tamen salvabimur, tua misericordia. Supra 59: scelera nostra.

Et quantum ad bonorum imperfectionem, et facti sumus. Universae justitiae: quia aliis peccatis involuti. Job 9: si lotus fuero quasi aquis nivis. Et quantum ad poenam, et cecidimus, interfecti: vel a statu dignitatis.

Abstulerunt, a terra nostra. Job 13: contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam. Secundo ostendit necessitatem quantum ad defectum auxilii: et primo humani: non est qui invocet, et teneat te, precibus.

Cantic. 3: teneo eum, nec dimittam. Secundo divini: abscondisti faciem tuam, misericordiae tuae, in manu, idest in opere; juxta illud: mors et vita in manu, Proverb. 18. Deuteron. 32: abscondam faciem meam ab eis.

Et nunc, Domine.

Hic ponit misericordiam: et circa hoc duo facit.

Primo petit misericordiam, assignans rationem: pater noster es tu. Jerem. 18: sicut lutum in manu figuli, sic nos in manu Dei. Job 10: memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me.

Et porrigit petitionem: ne irascaris satis, idest nimis, vel secundum quod merita nostra exigunt.

Ps. 78: ne memineris iniquitatumstrarum antiquarum; cito anticipent nos misericordiae tuae.

Secundo proponit miseriam: ecce, Domine, omnes nos; sumus, sancti, idest sanctuarii templi, scilicet jerusalem. Thren. 1: manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia. Et miratur patientiam: numquid super?, Habac. 1: quare respicis super iniquitates nostras? nota super illo verbo, quae praeparasti diligentibus te; quia Deus praeparat sanctis primo locum aeternae quietis. Joan. 14: si quominus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Secundo regnum aeternae dignitatis. Matth. 25: venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Tertio mensam divinae refectionis. Psal. 22: parasti in conspectu meo mensam. Quarto lucernam aeterni luminis. Ps. 131: paravi lucernam Christo meo.

Item nota super illo quasi pannus menstruae universae justitiae, quod opus justitiae immundatur inquinamento, primo mortalis maculae. Eccli. 47: dedisti maculam in gloria tua. Secundo commissae negligentiae. Jerem. 48: maledictus homo qui facit opus Domini negligenter.

Tertio intentionis perversae. Matth. 6: si oculus tuus; quarto insurgentis superbiae.

Supra 57: omnes eos auferet ventus.

|+65 Capitulus 65

Quaesierunt.

Hic iudex, scilicet Deus, dat sententiam de discretione malorum a bonis, in perceptione salutis promissae. Et dividitur in partes duas. In prima pronuntiat sententiam discretionis; in secunda determinat modum executionis, cap. 66: haec dicit Dominus. Circa primum duo. Primo promittit responsionem, ostendens respondendi opportunitatem, quaesierunt; quasi dicat: hactenus vos Judaei non quaerebatis a me, sed ab idolis. Ex quo quaeritis, respondebo. Mystice de conversione gentium.

Rom. 10: inventus sum a non quaerentibus.

Et ponit promissionem: dixi: ecce ego ad gentem: respondebo scilicet Judaeis, vel ad gentes conversas convertar. Cant. 6: ego dilecto meo, et dilectus meus mihi. Secundo sententiat discretionem, expandi manus: et primo sententiat discretionem malorum a bonis, propter peccata transgressionis; secundo propter peccata omissionis, et qui dereliquistis. Prima in duas. In prima comminatur malis supplicia; in secunda promittit bonis praemia, haec dicit Dominus.

Circa primum duo.

Primo arguit transgressionis culpam; secundo comminatur poenam: isti fumus erunt. Culpam ipsorum arguit ex tribus. Primo ex beneficiorum ingratitudine: expandi, dando multa beneficia, tota die, toto tempore ex quo eos mihi assumpsi. Mystice in cruce.

Jerem. 16: unusquisque ambulat.

Secundo ex peccandi continuitate: populus ante faciem, quia omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. Hebr. 4. Vel quia in templo idolum ponebant. Deuter. 32: ipsi me provocaverunt in eo qui non est Deus. Tertio ex peccatorum diversitate vel gravitate, quantum ad quatuor. Primo quantum ad cultum idolorum: qui immolant, idolis, in hortis, quia in locis voluptuosis idola colebant, super lateres, super altaria ex lateribus constructa, ut ignem sacrificii sustinere possent. Supra 1: confundentur ab idolis suis. Secundo quantum ad studium divinationum: qui habitant in sepulcris; ut habeant responsiones a mortuis, et delubris, templis idolorum a diluendo dictis, quia ibi putabant omnia abluui. Vel propter fontes qui ibi erant ad abluendas hostias. Et sacerdotes dormiunt, super pelles hostiarum ad divinandum. Ezech. 6: conterentur delubra vestra. Tertio quantum ad immunditiam ciborum: qui comedunt; et jus profanum, porcinum. Infra ult.: qui comedebant carnem suillam, et abominationem et murem simul consumentur. Quarto quantum ad contemptum justorum, qui dicunt, scilicet non adorantibus idola; Sap. 2: gravis est nobis; vel qui dicunt, Deo, job 21: qui dicunt Deo: recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Isti fumus erunt.

Hic comminatur poenam: et primo poenae diurnitatem, fumus; idest, sicut fumus igne consumitur, et incenditur ira mea. Deut. 32: ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. Secundo punishmentis certitudinem: ecce scriptum est: quia firmiter in memoria peccatum, et in praefinitione poena. Non tacebo, dissimulans. Jerem. 17: peccatum Judae scriptum est, supra 42: tacui, semper silui.

Tertio poenarum multitudinem, quia pro omnibus peccatis patrum: sed reddam. Exod. 20: ego sum Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios. Exprobraverunt, adorando idola in excelsis; et pro peccatis etiam juventutis ipsorum, et remetiar, quasi commensurabo poenam culpae.

Supra 40: recepit de manu Domini duplicitia.

Haec dicit Dominus. Hic promittit bonis praemia: et primo quantum ad conservationem a malis: granum, uvae, benedictio, idest placet Deo ut pro benedictione reservetur, propter servos, patres nostros, totum, genus Judaeorum. Supra 17: erit sicut congregans. Secundo quantum ad promotionem in bonis: et primo quantum ad seminis multiplicationem: et adducam de Jacob. Supra 1: nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi sodoma fuisset.

Secundo quantum ad hereditatis paternae restitutionem, et hereditabunt. Ezech. 36: hereditate possidebunt te, et eris hereditas eorum.

Tertio quantum ad pascuorum ubertatem: et erunt campestria et vallis Achor, ab illo denominata, qui ibi lapidatus, Josue 7. Osee 2: dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem.

Et vos qui dereliquistis. Hic discernit malos a consolatione bonorum, propter peccata omissionis: et primo comminatur malis supplicia; secundo bonis praemia, quia oblivioni. Circa primum duo. Primo comminatur eis quia Deum dereliquerunt, ponens culpam: et vos, Judaei, fortunae, Deo Aegyptiorum, mensam: tangit ritum quo colebatur, quia in fine anni parabatur sibi mensa, omnibus cibis referta.

Deut. 32: dereliquerunt Deum factorem suum, et recesserunt a Deo salutari suo. Ponens etiam poenam, numerabo; quasi dicat: ut nullus remaneat quin opprimatur. Jer. 44: cadent in gladio et fame. Secundo quia revocanti non obedierunt, ponens culpam: pro eo quod vocavi.

Proverbior. 1: vocavi, et renuistis, et comminatur discretionis poenam primo in satietate corporis: propter hoc haec dicit Dominus, Psal. 33: divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Secundo in laetitia cordis: ecce servi mei laetabuntur. Sap. 5: paenitentiam agentes.

Tertio in diversitate nominis.

Et primo ponit quale futurum sit nomen impiorum: et dimittetis in juramentum, ut confirment dicta sua sic: si non est ita, ita accidat mihi sicut illis. Jer. 44: in gladio et fame morientur; et erunt in jusjurando, et in miraculum, et in maledictionem, et in opprobrium. Et deinde ponit quale sit futurum nomen bonorum: et servos in quo scilicet nomine, Jesus est nomen, amen, fideliter. Supra 62: vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Quia oblivioni.

Hic promittit visa praemia. Et primo in generali quantum ad amotionem malorum, quia oblivioni, non defectu cognitionis, sed successione bonorum. Supra 54: confusionis adolescentiae tuae oblivisceris. Et quantum ad restaurationem bonorum: ecce enim ego creo caelos novos, nova de caelo auxilia, terram novam, nova de terra beneficia. Vel ad diem judicii, quando mundus ad gloriam sanctorum innovabitur.

Apocal. 21: prima abierunt. Secundo in speciali: quia ecce ego creo jerusalem. Et primo quantum ad cordium jucunditatem, jerusalem, terrestrem; sed magis caelestem exultationem, emphatice, ut tota gaudio sit absorpta. Supra 35: gaudium et laetitiam obtinebunt, et fugiet ab eis dolor et gemitus. Secundo quantum ad vitae diuturnitatem: non erit amplius qui non impleat: ante tempus moriens, sed puer morietur centum annorum, idest quando pervenerit ad talem aetatem, et, si sit, peccator, quamvis tantum vixerit, maledictioni subjacebit. Gen. 25: mortuus est Abraham in senectute bona. Mystice, in caelesti jerusalem omnes dies suos implebunt, quia nullus morietur. Puer centum annorum, idest qui usque ad aetatem senectutis pueriliter vixit, morietur, morte aeterna. Sap. 4: senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Tertio quantum ad bonorum prosperitatem, tum quantum ad securitatem possessionum, et aedificabunt. Ps. Et aedificaverunt domos; Amos ult.: plantabunt vineas. Et assignat rationem: secundum enim dies, idest, quia diu vivent sicut diu durat lignum arboris. Inveterabunt; idest, usque ad vetustatem in usum eorum remanebunt.

Psal. 1: erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.

Supra 49: in vacuum laboraverunt. Tum quantum ad pacem filiorum: neque generabunt in conturbatione, quasi generantes filios in servitute hostium. Eccli. 44: cum semine ipsorum perseverant bona. Quarto quantum ad precum exauditionem: eritque antequam clament, ore. Supra 30: ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. Quinto quantum ad pacis tranquillitatem, lupus et agnus: quia qui prius tyranni et malefactores, pacifice cum aliis morabuntur, supra 11 idem.

|+66 Capitulus 66

Haec dicit Dominus.

Hic determinat modum executionis dictae sententiae: et primo specialiter quantum ad Judaeos; secundo universaliter quantum ad omnes, ego autem opera eorum et cogitationes.

Prima dividitur in duas. In prima excludit falsam confidentiam; secundo proponit, et determinat datam sententiam, quantum ad modum executionis, audite verbum Domini.

Circa primum duo. Primo excludit falsam fiduciam a templi sanctitate, ostendens templum non esse Dei locum: tum ex Dei magnitudine qui omnia implet, cuius caelum sedes dicitur, quia multum participat de bonitatibus ipsius, sicut sedes magnam partem sedentis habet; terra scabellum, quia terra minimum participat de bonitatibus ipsius, sicut extrema pars ad scabellum pervenit; vel per caelum sanctos, per terram terrenos. 3 Reg. 8: si caelum et caeli caelorum non te capiunt.

Jerem. 23: caelum et terram ego impleo. Act. 17: non in manufactis templi.

Tum ex quiete, quia in loco quiescit unumquodque cuius est locus; Deus autem non quiescit in aliquo, sed omnia in ipso sicut ab ipso facta. Et quis est locus? supra 40: levate in excelsis. Et dat utile remedium ad quem autem; pauperulum idest humilem qui se parvum reputat quantum ad praesentia, contritum, de peccatis praeteritis, trementem, quantum ad propositum de futuris faciendis.

Eccli. 15: oculi ejus ad timentes eum.

Secundo excludit confidentiam quam conceperant ex ritu sacrificiorum: et primo ponit ipsorum reprobationem: qui immolat bovem; ac si diceret: ita sunt abominabilia ipsorum sacrificia, ac si aliquid contra legem facerent; quia eadem idolis offerebant.

Qui benedicat, laudat et veneratur. Supra 1: ne offeratis ultra sacrificium. Secundo ostendit reprobationis rationem, primo ponens culpam: haec omnia elegerunt, scilicet sacrificia, ambulantes, in viis suis, malis. Prov. 2: laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.

Secundo comminatur poenam, unde et ego, Prov. 3: illusores ipse deludet. Job 3: timor quem timebam evenit mihi, et quod verebar accidit. Tertio arguit peccantium duritiam.

Quia vocavi. Prov. 1: vocavi et renuistis.

Audite verbum Domini.

Hic exequitur modum executionis dictae sententiae: et primo quantum ad praemia bonorum; secundo quantum ad supplicia malorum, et cognoscetur.

Prima in duas. Primo excitat attentionem: qui tremitis, ex reverentia verborum ipsius. Eccli. 2: qui timetis Dominum credite illi. Secundo prosequitur promissionem: et primo quantum ad vindictam de irrisoribus, ponens eorum irrisorem: dixerunt fratres vestri. Glorificetur, quasi dicat: appareat gloria Domini quam expectatis, quasi dicat: nunquam apparebit.

Supra 5: festinus velociter veniet, non est deficiens neque laborans in eo. Et praedicens eorum confusionem: ipsi autem confundentur, hoc modo. Vox populi, timentis, vox Domini, quantum ad hostium tumultus. Soph. 1: vox diei Domini amara. Secundo exequitur promissionem quantum ad bonorum abundantiam: et primo quantum ad populi readunationem, ponens promissionem, antequam parturiret; idest, subito, et simul filii jerusalem congregabuntur ad ipsam, sicut si mulier subito filium pareret, non praecedente partu. Supra 37: venerunt filii usque ad partum. Mystice exponitur de partu b. Virginis, et de partu ecclesiae in conversione fidelium, et de parturitione aeternae generationis. Et inducit admirativam quaestionem: quis audivit unquam talia? supra 49: quis genuit mihi? et ponit responsionem ex persona Domini: numquid ego non pariam? congregans Judaeos, vel fideles convertens, vel filium ab aeterno.

Simile psalm. 93: qui plantavit aurem, non audiet; aut qui finxit oculum, non considerat? et haec argumenta tenent, si illud quod est perfectionis in creaturis, attribuatur, remoto omni eo quod imperfectionis est. Secundo promittit congregatis immensam consolationem. Et primo invitat alios ad congratulationem: laetamini cum jerusalem, in ea, sicut in objecto gaudii, ponens conditionem congratulantium quantum ad affectum, qui diligitis. Cant. 5: comedite amici, et bibite, et inebriamini carissimi.

Quantum ad affectus signum, qui lugetis. Matth. 5: beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Et congratulationis fructum quantum ad participationes laetitiae, vel pacis, ut sugatis, can. 1: meliora sunt ubera tua vino. Quantum ad participationem gloriae, ut mulgeatis, quasi mulgentes lac. Job 22: tunc super omnipotentem deliciis afflues. Secundo promittit copiosam collationem pacis: quia haec dicit Dominus: declinabo.

Ut vocetur redundantia sicut fluvius descendens cum magno impetu venit, nec redundat. Et gloriae, et quasi torrentem.

Supra 48: facta fuisset sicut fluvius. Tertio promittit consolationis plenam perceptionem. Primo quantum ad gentium administrationem: quam sugetis, in gloriam gentium, quia ipsi reges gentium consolabuntur, et sustentabunt vos. Unde sequitur, ad ubera. Mystice loquitur de apostolis, qui in gloriam gentium velociter conversarum delectati sunt et eas quasi ad ubera blandis admonitionibus portaverunt.

Supra 60: suges lac.

Secundo quantum ad divinam protectionem: quomodo si cui mater. Heb. 12: obliti estis consolationis.

Tertio quantum ad bonorum fruitionem, videbitis, bona a Deo vobis data, ossa, vos qui in adversitate sicut ossa arida eratis. Ezech. 37: ossa arida audite verbum Domini. Vel videbitis divinam essentiam. Eccl. 11: dulce lumen, et delectabile oculis videre solem. Ossa, in resurrectionem. Et cognoscetur.

Hic promittit malis supplicia: et primo comminatur poenam, ponens judicis indignationem, manus, affligens impios in servis. Vel manus, consolationis, in servis, per effectum. Supra 27: indignatio non est mihi. Ponit etiam poenae magnitudinem: quia ecce Dominus in igne, quo civitas comburenda erat, vel quo mundus purgandus.

Quadrigae, exercitus chaldaeorum, in quo quasi venit Deus; vel Angeli qui cum ipso ad iudicium venient.

Psal. 96: ignis ante ipsum praecedet, Amos 9: gladio Dei peribunt. Ponit etiam punitorum multitudinem, multiplicabuntur.

Supra 34: victima enim Domini in bosra, et interfectio magna in terra edom. Secundo improperat culpam, qui sanctificabantur putantes se mundare ab immunditiis aquis, vel etiam sacrificiis idolorum, in hortis, in quibus idola colebant, vel voluptati se exercebant, post unam, cum mulieribus more pecudum coeuntes. Vel post

januam, ad litteram, murem, glirem, contra legem, Levit. 11: supra 65: comedunt carnem suillam, et jus profanum.

Ego autem. Hic prosequitur modum discretionis quantum ad omnes communiter: et primo indicit universale iudicium, opera et cogitationes, quasi pro utrisque iudicans, venio, in die iudicii. Vel diversa regna hostium vestrorum, et in vobis malos destruens.

Venient, in ierusalem post vestrum reditum, vel ad iudicium, vel ad fidem. Joel. 3: ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos.

Secundo ponit citationem: et ponam in eis, idest Judaeis qui erunt cum zorobabel et aliis ducibus, signum, edictum Cyri, ad gentes, ad quas dispersi erant Judaei, Lydiam, tenentes sagittam, quia sunt boni sagittarii: gloriam meam, quae apparebit in vestra liberatione. Supra 11: levabit signum in nationibus. Vel signum crucis ponit in apostolis, ut omnes ad Deum convertant, quasi ad iudicium praeparantes. Tertio ponit iudicandorum praeparationem: et primo quantum ad bonos; secundo quantum ad malos: et egredientur, et videbunt. Prima in duas. Primo quantum ad Judaeos ponens honorificam reversionem: adducunt in equis, per quae significantur subsidia, quae a gentibus reverentes habuerunt. Baruch 5: adducet hos Dominus ad te. Vel significantur diversae conditiones eorum qui convertuntur ad fidem, sicut exponit Glossa. Secundo reversionis exaltationem primo quantum ad dignitatem, et assumam; quod ad litteram impletum est in Judaeis, et etiam in apostolis. Supra 61: vos sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicitur vobis. Secundo quantum ad seminis conservationem: quia sicut caeli novi, ut supra 65; sic stabit, in perpetuum.

Jer. 31: si defecerint leges istae coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israel deficiet.

Vel sancti stabunt in aeternum innovati sicut caelum et terra. Tertio quantum ad gloriae durationem, et erit mensis; quasi, mensis mensi, et festum festo in vestra prosperitate succedet. Supra 29: additus est annus ad annum, et solemnitates evolutae sunt. Mystice ecclesia post finem, quies spiritualis post carnalem. Secundo quantum ad gentiles, et veniet omnis, quia de diversis nationibus veniebant ierusalem ad Dominum adorandum.

Ps. 85: omnes gentes venient et adorabunt coram te, Domine. Vel in die iudicii: et egredientur.

Hic ponit secundum iudicium quantum ad malos: et primo poenae emanationem: et egredientur, venientes ierusalem, et videbunt, in monumentis antiquis, et in campis ossa mortuorum patrum. Supra 34: interfecti eorum projicientur, et de cadaveribus eorum ascendet foetor. Vel sancti videbunt damnatos in damnationem cadentes.

Secundo ponit poenae durationem: vermis eorum, conscientiae, qua etiam mortui torquebuntur, et ignis, inferni.

Judith 16: dabit ignes, et vermes in carnes eorum. Tertio de poenis delectationem, quantum ad videntes: et erunt usque ad satietatem omni carni, idest sanctis. Ps. 57: laetabitur justus cum viderit vindictam. Ab istis poenis nos liberet, qui incipere, et consummare dedit.

Et sic terminatur sententia et expositio ad litteram super Isaiam secundum fratrem thomam de aquino quam transtulit ad litteram legibilem cum complemento auctoritatum frater Iacobinus Astensis de provincia Lombardia tunc temporis studens in studio generali neapolitano. Ordinavit etiam collationes certis locis super quaslibet lectiones, et hoc fecit ad utilitatem fratrum ordinis nostri et ut de dictis scriptis copia haberetur.

Laus ergo sit ei qui incipere dedit et consummare fecit. Amen.